JOANNIS DOMAT

REGII ADVOCATI IN PRÆSIDIALI CURIA CLAROMONTII
IN ALVERNIIS

LEGUM DELECTUS

EX LIBRIS

DIGESTORUM ET CODICIS

AD USUM SCHOLÆ ET FORI

Accesserunt singulis titulis summaria legum suarum, et BOUCHEVRETI adnotationes ex gallico sermone latine nune redditæ. Supplementa ex Codice utriusque Siciliæ additit LANZELLOTTIUS.

TOMUS PRIMUS



NEAPOLI, MDCCCXIX.

EX TYPOGRAPHIA LUCÆ MAROTTA
In via S. Blasii, num. 119.



PREFAZIONE

Il venerando nome delle leggi romane, inteso e riverito generalmente presso le antiche nazioni, preparò l' apoteosi alla famosa compilazione fatta poi per ordine e sotto gli auspicj dell' imperator Giustiniano. Ammiratore il mondo culto della sapienza civile e della equità che ne' libri del Digesto e del Codice risplendevano, n' encomiò con esse per molti secoli le imperfezioni. Ma poscia col cangiar di costume, di religione e di condotta sociale, discostaronsi pian piano i popoli dal sistema politico de' Romani, ed abili divennero a censurare la di loro legislazione, sino a notarne i pregi ed i difetti.

Ciò successo, era ben naturale il desiderio di ritenere dalle antiche instituzioni quelle soltanto ch' eran confacenti al loro sistema, e di eliminar le inutili, le disadatte. Se ne occuparono per lunga età i giusperiti ed i politici: ma, sia per effetto di troppa venerazione in conservarle intatte, sia per abitudine contratta nella scuola di portar tutto a discettazioni ed a dispute, implicarono in folte caligini la cosa, e ne aumentarono a dismisura la massa.

Molti avvertimenti si dierono nelle glose e nei comentarj, molte dissertazioni si scrissero anche all' uopo, e parafrasi e spiegazioni e note: sempre però soggetto restava il giureconsulto a dovere svolgere nelle occorrenze la gran mole del *Corpus juris* per rinvenire tra le inutili dottrine quella che tal non era; e di trangugiare in oltre la caterva delle glose e le postille degli espositori.

Per rimuovere sì trapazzoso inconveniente si avvide il saggio DOMAT, che l' espediente dovea essere sottrattivo e non addizionale. Quindi si accinse ad eliminare dai libri del diritto quelle leggi che non sono oggi usabili, sia perchè incompatibili con gli odierni costumi, sia perchè contrarie all' equità naturale. Egli dunque nel compilar questo libro non si occupò propriamente di scegliere tra le leggi romane le più utili, le più eleganti, le più singolari; ma badò di risecarne le inutili e quelle aliene o contrarie al nostro dritto. Sembra perciò, che il frontispizio non esprima la vera idea dell' opera annunziandola per una SCELTA DI LEGGI: ella, secondo me, è IL CORPO DEL DIRITTO ROMANO, DEPURATO DALLE LEGGI CHE NON CONVENGONO ALL' ODIERNO COSTUME DE' POPOLI. Sta soggiunto nel prosieguo del titolo, ch' è fatta PER USO DELLA SCUOLA E DEL FORO; saviamente: ciò dinota, che le materie vi si trovano con tal metodo e sobrietà raccolte, onde lo scolare vi rinvenga un corso elementare di dritto civile, e 'l giureconsulto un manuale da servirgli di guida e di

consiglio nell' esercizio della sua professione. In effetti, bandite le superflue e le abborrite leggi, non potea la mole della romana legislazione restar per noi sì smisurata e greve quanto per lo innanzi; senza potersi per tanto riguardar come monca o dimezzata nella parte ch' è ritenuta dagli odierni popoli qual diritto fondamentale, o qual diritto puramente sussidiario.

Io non discendo alla descrizione particolare di tutte le operazioni praticate da DOMAT in quest' opera, giacchè trovansi descritte nell' *Argumentum* di essa. Devengo solo a quel che mi riguarda, in questa edizione.

I.° I sommarj delle leggi trovansi nell' edizioni precedenti distaccati tra loro ed infarciti nel corpo delle materie. Io gli ho raccolti in testa di ciascun titolo, affetti dai rispettivi numeri in corrispondenza de' loro paragrafi.

II.° Ho preso cura della correzione tipografica, eseguendola sul testo del *Corpus juris* della famosa edizione degli Elzevirios. In tale occasione ho rilevato in quanto poco conto debba tenersi l' edizione fatta in Napoli nel 1787, ed anche la francese del 1777.

III.° Di quelli titoli che l' autore ha eliminato intieramente, ne ho ritenuto ai rispettivi luoghi la enunciazione, per non interrompere la serie de' medesimi giusta le Pandette. Nell' indice li ho segnati con carattere corsivo, e senza numero di paginazione.

IV.° Le note francesi del signor DE BOUCHEVRET ho pensato di non più tradurle in italiano, come promisi nella mia prefazione al primo tomo, ma farle correre in latino con quelle dell'Autore, dandolo loro per distintivo un asterisco *. La ragione di questa mia risoluzione è stata quella di non recar confusione al testo delle leggi patrie.

V.° Ho supplito, corrispondentemente alle romane, le nuove leggi delle due Sicilie. Le ho lasciate nella stessa lingua in cui le ha scritte il legislatore, per la stessa ragione che determinò Domat a non tradurre in altra favella le leggi romane: in materia di legislazione, il testo è sacro.

VI.° Ho dato in fine una tavola di quelli articoli del nostro codice che trovansi nel corpo dell'opera, per rinvenir prestamente le leggi romane che vi corrispondono.

Lanzellotti.

OPERIS ARGUMENTUM.

Non is fuit laboris scopus, in hoc Delectu legum, inter utiles utiliores tantum, inter elegantes elegantiores quaedam, inter omnes solae quae singularis sint notae seligerentur; sed id agere studium fuit, ut ex omnibus quae digestorum et codicis voluminibus continentur, is Delectus erueretur, quo tota juris civilis ratio, nostris legibus et moribus apta, constaret: recisis quae superflua exundant; quae inutilia impediunt, quae repetita displicent, quae a nostro jure aliena, vel etiam ipsi adversa, possent esse offendiculo.

Quaenam spectetur hujusce collectionis utilitas, ipsum operis propositum edocet. Haec est, nempe ut qui studiosius juris accedet, operae parcat et tempori; atque etiam ipsi taedio quod plurimos a studio legum avertit, cum aggressuri digestorum et codicis lectionem immensa deterrentur mole articulorum, quos innumeros volumen utrumque complectitur, ut vix paucissimis, quibus in unum curae sit, par operi studium liceat impendere, quo nempe saepius et saepius evolutis utriusque libri paginis, multis vigiliis, sudore multo, utilia discernantur, segregentur, addiscantur.

Quamvis enim quae praecipere quis velit, si caeteris conferantur quae juvat preterire, modica fere censeri possint, non facile tamen sic elucent inter infinita quae circumambiunt, ut obtutus et aciem disquirentium a reliquis aversam ad se deflectant; sed utrisque non impigre perlectis, sagaci disquisitione secernenda sunt. Quotus vero quisque est, qui non in hujuscemodi studio deficiat, et non magis sibi consultum velit, ut in promptu ad manum habeat eruta quae ex digestorum libris et codicis eruenda sint.

Desiderabunt aliqui forte quaedam omissa, quae ipsi non fuerant omissuri: contra vero non probabunt alii quorumdam delectum, quae ipsi forent rejecturi. Quinimo, dicam, si pluribus is idem legum delectus seorsim singulis commissus esset, septuaginta forte, vel eruditissimis; nemo sane crediderit, eadem omnes probaturos, eadem improbaturos, ut idem et unum exurgat singulorum opus: imo nec ullus, qui vel tantulum expertus sit humanae mentis in sentiendo varietatem et judicando, arbitraturus est, vel unum et alterum tot inter ita conventuros, ut eadem uterque et admittant, et rejiciant. Addiderim, nec vel unum, qui diversis temporibus idem acturus sit, acturum idem, ut quae ipse primo reprobaverit, aeque semper omnia sit reprobaturus, aut semper aeque probaturus probata semel.

Si quid igitur, aut inutile, quis aestimet, quod incertum viderit, aut utile quod omissum sit,

aequi bonique consulat summam operis , et ipse sibi vel inserat vel amputet quod libuerit.

De legum ordine hoc in delectu id advertendum , ipsam digestorum seriem servatam esse. Non enim novum hic opus susceptum datur , sed ex ipso veteri expressa quae necessaria visa sunt , quae utilia , sublatis interstitiis , quibus quae selecta sunt caeterorum interjectu dissita sejungebantur. Et digestorum potius quam codicis ordinem sequi visum est aptius studio legum : digestorum enim libri tum prius editi , tum potiores omnium consensu sunt habiti semper. Quapropter ne duo disjuncti delectus forent , digestorum unus , unus codicis , ad ipsum digestorum ordinem leges ex codice decerptae suis locis distributae sunt. Poterat quidem omnium summa in ordinem redigi lucidiorem , ut omnes leges ad suos titulos advocarentur , nihil peregrinum evagaretur , et sub quoque titulo singulae singulis cohaererent , qua ratione inter se invicem suapte natura sunt coaptandae. Poterat et ipsi titulorum varietati , ac numero tum brevitate , tum alio situ consuli : pluribus scilicet titulis in pauciores coactis , et reddita cuique sua serie , prout aut praecedere debent alter alterum , aut subsequi : verum defuissent quae artium omnium ordini , velut elementa , debent adesse semper , omnium scilicet de quibus agitur divisiones , definitiones ac principia , quae non habentur accurate in libris digestorum et codicis , erantque supplenda ; quod non licuit dele-

ctum agenti et legum sententiis inhaerenti religiose, ne in ullo violaretur quae legum antiquitati ac dignitati debetur observantia. Sed habebit suam haec antiqua digestorum series utilitatem, ut neminem offendat alterius ordinis novitas ab eo diversi, qui tot lustrorum diuturnitate stabilitatem nactus est in aevum omne. Quin plerosque juvat digestorum et codicis vetus ordo jam assuetos, et amant fere singuli, qui studiorum sibi legem statuunt, locos suo nutu varii varios destinare, quo referant quae seligere, et memoriae mandare velint. Hoc unum actum est quod omnibus ad eum ordinem concinnandum famuletur, quem sibi quisque elegerit, ut scilicet, ex indice copioso singula quae de singulis hic habentur ad unum facile liceat revocare ut libuerit.

Caeterum paucis quaedam monendi qui lecturi sunt. Primum scilicet, non strictissime et scrupulose id actum semper, ut quaecumque ad usum verti possint, colligerentur; sed ea solum admissa sunt quae sufficiant, omissis quae vel idem repetunt, vel ex quibus non aliud extat, quam quod luculenter ex iis innotescit quae sunt delecta.

Secundum, non omnino semper servatum in omnibus situm cujusque legis. Quaedam enim necesse fuit a propriis sedibus aliò transferre, ut aliis affinibus adnecterentur non ordinis causa, sed ut invicem perspicuitatem sibi concilient; et quod in altera necessarium desideratur, per alteram accedat. Unde non continuo pronuntiandum

omissam legem quod in sua sede desideretur, quae aptiorem alibi sortiri possit.

Tertium, non sic omnino rejectas leges quae juri nostro non conveniunt, nihil ut allectum sit quod alienum quicquam habeat a legibus nostris. Nam omittere non licuit pleraque; ubi de servis, quorum nullus apud nos usus, sententiae proferuntur, quae ab aliu referri possint, quod et in aliis paris fuit necessitatis.

Quartum, leges plurimas ideo adjectas, quod vires habeant, ubi jus scriptum lex est, quamvis alibi non sint in usu. Veluti quae haeredum institutionem spectant, et similis quaedam, quarum nullus est usus apud eos qui propriis moribus pro lege utuntur.

Quintum, prolixiorum quarumdam codicis legum sententiam, et Novellarum, in brevius contractam: quod licere debuit, dum nihil aut immutetur, aut detrahatur ex mente legis, quam facile poterit qui volet legere integram.

Sextum, cum sint plurimae leges, quarum eadem est sententia, electis, quae rem exponant, aut etiam exemplis explanent luculentius, inter caeteras quae idem praestant aliquas interdum adnotari visum est, quo remittantur qui voluerant eandem sententiam pluribus firmare, aut etiam illustrare legum testimoniis.

Septimum, nihil fere ex libris institutionum huc ascitum esse: tum quod omnia quae institutionibus continentur, ex ipsis digestorum libris aut codicis

desumpta sint, atque ideo non desint in hoc delectu, tum quod institutionum ignarus nemo huc accessurus sit.

Postremum, hoc advertendum de summis seu periochis quae singulis legibus appositae sunt, non eam esse rationem, ut moneant de quo in lege agatur; verum id tentatum est, ut ipsam legis sententiam summae indicent, in eum scilicet usum, ut qui jam leges perlegerint, ad memoriam brevi et facile singula revocent, et interdum pro legibus ipsis periochas legum vicarias celerius et facilius transcurrant.

LEGUM DELECTUS

EX LIBRIS DIGESTORUM ET CODICIS.

DIGESTORUM LIBER

TITULUS PRIMUS.

De Justitia et Jure.

SUMMARIA

1. *Jus est ars boni et aequi.*
2. *Jus aut publicum, aut privatum.*
3. *Jus privatum tripartitum est.*
4. *Jus aliud scriptum, aliud non scriptum.*
5. *Jus civile est jus proprium cujusque civitatis.*
6. *Quid semper aequum.*
7. *Justitia suum cuique tribuit.*
8. *Tria juris praecepta.*
9. *Jurisprudentia, justi et injusti scientia.*
10. *Officium magistratus, jus reddere.*

1. Jus est ars boni et aequi (*). l. 1.

2. Hujus studii due sunt positiones; publicum et privatum. Publicum jus est quod ad statum reipublicae spe-

---

(*) §. 1. *dicit*: Cujus merito quis nos sacerdotes appellet: justitiam namque colimus, et boni et aequi notitiam profitemur, veram, ni fallor, philosophiam non simulatam affectantes.

etat. Privatum, quod ad singulorum utilitatem. Sunt enim quaedam publice utilia, quaedam privatim. l. 1. §. 2.

3. Privatum jus tripartitum est. Collectum etenim est ex naturali jus praeceptis, aut gentium; aut civilibus. l. 1. §. 2. in f.

4. Hoc jus nostrum constat aut ex scripto, aut sine scripto: ut apud Graecos των νομων οι μεν εγγραφοι, οι δε αγραφοι, *id est*, legum aliae quidem scriptae, aliae non scriptae. l. 6. §. 1.

5. Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque jus civile, quasi jus proprium ipsius civitatis. l. 9.

6. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur. d. l. 9. Quod semper aequum ac bonum est. l. 11.

7. Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. l. 10.

8. Juris praecepta sunt haec: honeste vivere; alterum non laedere; suum cuique tribuere. d. l. 10. §. 1.

9. Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia. d. l. 10. §. 2.

10. Praetor quoque jus reddere dicitur etiam cum inique decernit (*a*): relatione scilicet facta, non ad id quod ita praetor fecit, sed ad illud quod praetorem facere convenit. l. 11. ff. l. 65. §. 2. ff. *ad senat Trebell.* (*b*).

(a) Cum praetor ambitiose quid decernit, id observari debet propter rerum judicatarum auctoritatem.

(b) V. l. 25. *de statu hom.* l. 3. *de agnosc. lib.*

TITULUS II.

De origine juris, et omnium magistratuum et successione prudentium.

SUMMARIA.

1. *Perfectum est quod suis partibus constat.* (a)
2. *Necessaria legum interpretatio.*
3. *Necesse reipublicae per unum consuli.*
4. *Jus ignorare turpe patricio et causas oranti.*

1. Id perfectum, quod ex omnibus suis partibus constat, et certe cujusque rei potissima pars, principium est (*b*). l. 1.

2. Legibus latis coepit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritate necessariam esse disputationem fori. d. l. 2. §. 5.

3. Novissime, sicut ad pauciores juris constituendi via transiisse, ipsis rebus dictantibus videbatur: per partes evenit, ut necesse esset reipublicae per unum consuli. d. l. 2. §. 11.

4. Turpe esse patritio et nobili et causas oranti, jus in quo versaretur ignorare (*c*) d. l. 2. §. 43.

(a) V. l. 139. §. 1. *de verb. sign.*

(b) In foro causas dicentibus nefas est: nulla praefatione habita, judici rem exponere, l. 1. h. t. V. l. 134. §. 1. *de verb. oblig.*

(c) Jurisconsultus cognatorum gradus et affinium nosse debet, l. 18. *de gradib. et affin.*

TITULUS III.

De legibus senatusque-consultis, et longa consuetudine.

SUMMARIA.

1. *Lex est commune praeceptum.*
2. *Leges de his quae ut plurimum accidunt.*
3. *Lex imperat, vetat, permittit, punit.*
4. *Jura non in singulos personas.*
5. *Neque in omnes casus.*
6. *Neque in singulas.*
7. *Ad similia trahuntur.*
8. *Non sunt exemplo quae contra rationem juris recepta sunt.*
9. *In his quae contra jus, raegula deficit.*
10. *Jus singulare propter utilitatem.*
11. *Scire leges est eorum vim tenere.*
12. *Interpretandae leges quo conserventur.*
13. *Ambigua vox ex mente legis interpretanda.*
14. *Antiquae legis autoritas.*
15. *Legi serviendum.*
16. *Venia illicitum arguit.*
17. *Interpretatio certa non mutanda.*
18. *Tota lex inspicienda.*
19. *Non vertendus in laesionem favor.*
20. *Lex prior ad posteriorem trahitur, posterior ad priorem.*
21. *Leges ad similia pertinent.*
22. *Aliud contra legem, aliud in fraudem legis.*
23. *In legem committit qui verbis serviens sententiam circumvenit.*
24. *Scriptae legi ex consuetudine supplendum, consuetudini ex jure quo Roma utitur.*

25. *Consuetudo pro lege habetur.*
26. *Desuetudine lex abrogatur.*
27. *Consuetudo firmatur ex rebus judicatis.*
28. *Consuetudo jus non scriptum.*
29. *Legum interpres consuetudo.*
30. *Consuetudo et res judicatae legem interpretantur.*
31. *Errore introducta non trahuntur ad consequentias.*
32. *Attemperanda lege et ratione consuetudo.*
33. *Irritum est quidquid lege prohibente factum est.*
34. *Leges in futurum.*
35. *Debent leges omnibus parere.*

1. Lex est commune praeceptum, virorum prudentium consultum: delictorum quae sponte vel ignorantia contrahuntur coercitio communis reipublicae sponsio. l. 1. πολεως συνθηκη κοινη, καθ' ην α πασι προσηκει ζην τοις εν τη πολει, *id est*, communis sponsio civitatis, ad cujus praescriptum omnes qui in ea republica sunt, vitam instituere debent. l. 2.

2. Jura constitui oportet, ut dicit Theophrastus, in his quae επι το πλειστον, *id est, ut plurimum* accidunt, non quae εκ παραλογου, *id est*, *ex inopinato*. l. 3. l. 5. v. l. 10.

3. Legis virtus haec est, imperare, vetare, permittere, punire. l. 7.

4. Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. l. 8.

5. Neque leges, neque senatus-consulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficit ea quae plerumque accidunt contineri (*a*). l. 10.

(*a*) V. l. 13, *de testib.*

6. Non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus, aut senatus-consultis comprehendi; sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni praeest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. l. 12.

7. Quoties lege aliquid unum, vel alterum introductum est, bona occasio est caetera quae tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe jurisdictione suppleri. l. 13. v. l. 27.

8. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias. l. 14.

9. In his quae contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulam juris (*). l. 15.

10. Jus singulare (b) est quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introductum est. l. 16.

11. Scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. l. 17.

12. Benignius leges interpretandae sunt, quo voluntas earum conservetur. l. 18.

13. In ambigua voce legis, ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret: praesertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit. l. 19.

14. Non omnium quae a majoribus constituta sunt, ratio reddi potest. l. 20.

15. Et ideo rationes eorum quae constituuntur inquiri non oportet: alioquin multa ex his quae certa sunt subvertuntur. l. 21.

(*) Applicatur ad institutiones contractuales, et ad renunciationes ex contractu matrimoniali.

(b) Privilegium est jus singulare quod cum persona simul oritur et occidit, f. 1. §. 2 de constit. princ.

16. Cum lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat. l. 22.

17. Minime sunt mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt. l. 23.

18. Incivile est (c), nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare, vel respondere. l. 24.

19. Nulla juris ratio (d) aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum, producamus ad severitatem. l. 25.

Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad laesionem eorum nolumus inventum videri. l. 6. C. *de leg.* V. titulum: *Quod metus causa*, n. ult. l. 19. *de minoribus.*

20. Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur. l. 26.

Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariae sint. l. 28.

21. Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertinerent, quae quandoque similes erunt. l. 27. v. l. 13.

22. Contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet: in fraudem vero, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit. l. 29. l. 30. l. 19. *ad exhib.*

23. Fraus enim legi fit (e), ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit: et quod distat, dictum

---

(c) V. l. 11. *de petit. haered.*

(d) Non debet adversus pupillos observari quod pro ipsis excogitatum est, l. 3. §. 5. *de Carboniano edicto.*

(e) V. l. 3. §. 3. *de Senatus-consulto Maced.* l. 43 §. ult. *de vulgari*, l. 64. *de cond. et dem.*

a sententia, hoc distat fraus, ab eo quod contra legem fit. l. 30.

Non dubium est in leges committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec poenas infertas legibus evitabit qui se contra juris sententiam, saeva praerogativa verborum, fraudulenter excusat (*f*). l. 5. C. *de legib.*

24. De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodire oportet quod moribus et consuetudine inductum est; et si qua in re hoc deficeret, tunc quod proximum et consequens ei est: si nec id quidem appareat, tunc jus quo urbs Roma utitur, servari oportet. l. 32.

25. Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur: et hoc est jus quod dicitur moribus constitutum. l. 32. §. 2. v. l. 33.

26. Rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. d. l. 32. in fin.

27. Cum de consuetudine civitatis vel provinciae considerare quis videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando judicio consuetudo confirmata sit. l. 34.

Praeses provinciae, probatis his quae in oppido frequenter in eodem controversiarum genera servata sunt, causa cognita statuit. Nam et consuetudo praecedens, et ratio quae consuetudinem suasit, custodienda est. l. 1. C. *quae sit longa consuet.*

28. Sed et ea quae longa consuetudine probata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita civium

(f) V. exemplum in l. 19. *ad exhib.*

conventio, non minus quam ea quae scripta sunt jura servantur. l. 35. imo magnae auctoritatis hoc jus habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere. l. 36.

Leges quoque ipsas antiquitus probata et servata tenaciter consuetudo imitatur. l. 3. C. *quae sit long. consuet.*

29. Si de interpretatione legis quaeritur, in primis inspiciendum est quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuisset: optima enim legum interpres consuetudo. l. 37.

30. Imperator noster Severus rescripsit in ambiguitatibus quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem, vim legis (*g*) obtinere. l. 38.

31. Quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. l. 39.

32. Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est. Verum non usque adeo sui valitura momento (*h*), ut aut rationem vincat, aut legem. l. 2. C. *quae sit longa consuet.*

33. Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. l. 5. C. *de legib.*

Quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur; licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixe-

---

(g) l. 6. *Quod quisque universit. nom.*

(h) *Id est* pondere. Nam momentum dicitur quasi movimentum, quod in lance pondus ponitur ut praeponderet.

quae sit longa consuet.

rit inutile esse debere quod factum est. Sed etsi quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse praecipimus. d. l. 5.

34. Leges et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari: nisi nominatim et de praeterito tempore, et adhuc pendentibus negotiis cautum sit. l. 7. C. *de legib.*

35. Leges sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi, praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. l. 9. C. *de legib.*

TITULUS IV.

De constitutionibus principum.

SUMMARIA.

1. *Princeps legum conditor et interpres.*
2. *Princeps legibus vivit.*
3. *Privilegia non sunt exemplo. L.* 16. *de legib.*
4. *Leges non facile mutandae.*
5. *Beneficia principis plenissime interpretanda.*
6. *Judicium principis ad similia trahendum.*
7. *In rescriptis hoc inesse debet si preces veritate nitantur. Leges posteriores prioribus potiores.*

1. Quod principi placuit, legis habet vigorem. l. 1. Tam conditor quam interpres legum solus imperator. l. ult. in f. C. *de legib.*

Si enim in praesenti leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. d. l.

Cum de novo jure, quod inveterato usu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergat; necessaria est tam suggestio judicantis, quam sententiae principalis auctoritas. l. 10. C. *eod.*

Si quid in legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab imperatoria interpretatione patefieri: duritiamque legum nostrae humanitati incongruam emendari. l. 9. C. *eod.*

Inter aequitatem jusque interpositam interpretationem nobis solis et oportet et licet inspicere. l. 1. C. *eod.*

2. Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas. Et revera majus imperio est, submittere legibus principatum. Et oraculo praesentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. l. 4. C. *eod.*

Licet lex imperii solemnibus juris imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium est imperii, quam legibus vivere. l. 3. C. *de testam.*

3. Plane ex constitutionibus quaedam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur. Namque princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam poenam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur. l. 1. §. 2.

Quae princeps certis personis concessit, caeteris exemplo non sunt. l. 2. C. *de. leg.* l. 3. in f. C. *eod.*

4. In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure quod diu aequum visum est. l. 2.

5. Beneficium imperatoris, quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus (a). l. 3.

(a) L. 2. *de bonis vacant. De jure fisci* n. 22.

6. Quod princeps inter privatos cognoscens judicaverit (*), ad similia trahendum. l. ult. C. *de. leg.*

7. In rescriptis principum ad privatorum preces ea semper inesse debet conditio, si preces veritate nitantur. l. 7. C. *de divers. rescr. et pragm. sanct.*

Αι μεταγενεστεραι διαταξεις ισχυροτεραι των προς αυτων εισι, id est, constitutiones tempore posteriores potiores sunt his quae ipsas praecesserunt. l. ult.

TITULUS V.

De statu hominum.

SUMMARIA.

1. *In omni jure habenda ratio personarum, rerum, actionum.*
2. *Omnes aut liberi aut servi.*
3. *Libertas est jus faciendi quod velis, si possis et liceat.*
4. *In servitute est qui alieno dominio subjacet.*
5. *Ingenus est qui ex matre quoque tempore praegnationis libera nascitur.*
6. *Libertini sunt ex libertate manumissi.*
7. *Partus pro nato habetur si ejus intersit.*
8. *Instrumento male concepto status non laeditur.*
9. *Conditio faeminarum in multis deterior.*
10. *In hermaphroditis spectandus sexus qui praevalet.*
11. *Septimestris partus perfectus est.*
12. *Monstrosa pro liberis non habentur.*

(*) Quoad decreta Regii Consilii distinguendum, num ea respiciant jus publicum, aut jus privati. Ita possunt citari in regia aula ut exempla non ut leges.

13. *Cives romani censentur qui sunt in orbe romano.*
14. *Praegnans ultimo supplicio non afficitur donec peperit, et liberum parit.*
15. *Natus ex legitimis nuptiis patrem sequitur.*
16. *Dementia statum non mutat.*
17. *Vulgo concepti sunt qui patrem habent aut incertum aut non ex lege.*
18. *Judicatum pro vero habetur.*
19. *In rerum natura est, qui in utero*

1. Omne jus quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. l. 1.

2. Summa de jure personarum divisio haec est, quod omnes homines aut liberi sunt, aut servi. l. 3.

3. Libertas est naturalis facultas ejus quod cuique facere libet: nisi si quid vi, aut jure prohibetur. l. 4.

4. Servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. l. 4. §. 1.

5. Ingenui sunt qui ex matre libera nati sunt. Sufficit enim liberam fuisse eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit: et e contrario si libera conceperit, deinde ancilla pariat, placuit eum qui nascitur, liberum nasci; quia non debet calamitas matris nocere ei qui in ventre est. Ex hoc quaesitum est: si ancilla praegnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta, aut expulsa civitate, peperit, liberum, an servum pariat? tamen rectius probatum est liberum nasci, et sufficere ei qui in ventre est, liberam matrem, vel medio tempore habuisse. l. 5. §. 2. et 3. v. l. 10. l. 7. §. 1. ff. *de senat.*

6. Libertini sunt qui ex justa servitute manumissi sunt. l. 6.

7. Qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis

esset, custoditur (*b*), quoties de commodis ipsius partus quaeritur: quamquam alii, antequam nascatur, nequaquam prosit. l. 7.

8. Imperator titus Antoninus rescripsit, non laedi statu liberorum, ob tenorem instrumenti male concepti. l. 8.

9. In multis juris nostri articulis deterior est conditio faeminarum (*c*), quam masculorum. l. 9.

10. Quaeritur hermaphroditum cui comparamus; et magis puto ejus sexus extimandum, qui in eo praevalet. l. 10.

11. Septimo mense (*a*) nasci perfectum partum jam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis: et ideo credendum est, eum qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse (*b*) l. 12. (1)

12. Non sunt liberi qui contra formam humani generis, converso more procreantur: veluti mulier si monstrosum aliquid, aut prodigiosum enixa sit. Partus autem qui membrorum humanorum officia ampliavit, aliquatenus videtur effectus, et ideo inter liberos connumerabitur. l. 14.

13. In orbe φ Romano qui sunt, ex constitutione imperatoris Antonini, cives romani effecti sunt. l. 17.

14. Imperator Adrianus Publicio Marcello rescripsit,

(b) V. Infra, l. 26. V. casum exceptum in l. 20. *ad Trebellian.* infra.

(c) Exemplo perniciosum est isto vocabulo feminarum masculos contineri, l. 45 *de leg.* 2.

(a) Scilicet, incoepto non completo, id est, post 182 dies.

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 234, n. 2.

(b) L. 3 §. ult *de suis et legit. haered.* V. l. 6. *de his qui sui vel ali.* V. Novel. 39.

φ Propter vectigal vicesimae haereditatum quod cives romani luebant. Exteri secus. V. Burmannum.

liberam quae praegnans ultimo supplicio damnata est (c), liberum parere, et solitum esse servari eam dum partum ederet. l. 18. (2).

15. Cum legitimae nuptiae factae sint, patrem (d) (3) liberi sequuntur. l. 19.

16. Qui furere coepit et statum et dignitatem in qua fuit, et magistratum, et potestatem videtur retinere: sicut rei suae dominium retinet (e). l. 20.

17. Vulgo concepti dicuntur qui patrem demonstrare non possunt; vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet: qui et spurii appellantur, *παρα την σποραν*, *id est*, a satione. l. 23.

18. Res judicata pro veritate accipitur. (f). l. 25.

19. Qui in utero sunt, in toto pene juri civili intelliguntur in rerum natura esse: nam et legitimae haereditates his restituuntur (g). l. 26. v. l. 7.

(c) Quia partus reipublicae nascitur, l. 1. §. 15 in fin. *de ventre in poss. mitt.*

(2) » Se una donna condannata a morte sia incinta, non soggiacerà alla pena se non dopo il parto » *Leggi pen. art.* 67.

(d) Quia pater est quem nuptiae demonstrant, l. 5. *de in jus voc.* l. 6. *de his qui sui vel ali.*

(3) » Il figlio conceputo durante il matrimonio ha per padre il » marito. » *Leggi civ. art.* 234.

(e) V. *Qui testam. fac. poss.* n. 29. V. l. 8. tit. seq.

(f) Ingenuus dicitur qui talis judicatus est, licet libertinus fuerit. V. l. 1. in f. l. 2. et 3. *de agnos. lib.* l. 11. *de iustit. et jure.*

(g) V. l. 3. *si pars haeredit. petatur.*

TITULUS VI.

De his qui sui vel alieni juris sunt.

SUMMARIA.

1. *Quidam sui juris, quidam alieno juri subjecti.*
2. *In potestate sunt servi dominorum.*
3. *In potestate sunt liberi parentum.*
4. *Patresfamilias sunt qui sui juris sunt: filiifamilias qui sub patria potestate.*
5. *Avo mortuo, nepotes recidunt in filii potestatem.*
6. *Maritus non semper ideo pater.*
7. *Damnato filio ejus loco nepos succedit.*
8. *Furor non solvit matrimonium nec patriam potestatem.*
9. *Filiusfamilias in publicis causis pro patrefamilias habetur.*
10. *Alimentorum causa non facit praejudicium veritati.*
11. *Emancipati non rediguntur inviti in patriam potestatem.*

1. De jure personarum alia divisio sequitur, quod quaedam personae sui juris sunt; quaedam alieno juri subjectae sunt. Videamus itaque de his quae alieno juri subjectae sunt. Nam si cognoverimus quae istae personae sunt, simul intelligemus quae sui juris sunt. l. 1.

2. Igitur in potestate sunt servi dominorum. l. 1. §. 1.

3. Item in potestate nostra sunt liberi, quos ex justis nuptiis procreavimus. l. 3. (1)

---

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 288.

4. Quidam sunt patresfamiliarum; alii filiifamiliarum: quaedam matresfamiliarum, quaedam filiaefamiliarum. *Patresfamiliarum* sunt, qui sunt suae potestatis, sive puberes, sive impuberes: simili modo *matresfamiliarum*. *Filiifamiliarum* et *filiae*, quae sunt in aliena potestate. Nam qui ex me et uxore mea nascitur, in mea potestate est: item qui ex filio meo et uxore ejus nascitur, id est, nepos meus et neptis, aeque in mea sunt potestate; et pronepos, proneptis, et deinceps caeteri. l. 4.

5. Nepotes ex filio, mortuo avo, recidere solent in filii potestatem, hoc est patris sui. Simili modo et pronepotes, et deinceps, vel in filii potestatem, si vivit et in familia mansit, vel in ejus parentis, qui ante eos in potestate est. l. 5.

6. Filium eum definimus, qui ex viro et uxore ejus nascitur. Sed si fingamus abfuisse maritum, verbi gratia per decennium, reversum anniculum (*a*) invenisse in domo sua: placet nobis, Juliani sententia, hunc non esse mariti filium. Non tamen ferendum Julianus ait, eum qui cum uxore sua assidue moratus, nolit filium adgnoscere quasi non suum: sed mihi videtur, quod et Scaevola probat, si constat maritum aliquandiu cum uxore non concubuisse infirmitate interveniente, vel alia causa; vel si ea valetudine paterfamilias fuit ut generare non possit, hunc qui in domo natus est, licet vicinis scientibus, filium non esse (*b*). l. 6. (1)

7. Si qua poena pater fuerit affectus, ut vel civitatem amittat, vel servus poenae efficiatur, sine dubio nepos filii loco succedit (c). l. 7.

(a) L. 5. *de in jus vocan.* l. 19. *de statu hom.*

(b) V. l. 12 *de statu hom.* et Novel. 19. Praesumptio operatur in dubio non in liquido. * Praesumptio legalis cedat oppositae veritati.

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 234.

(c) Repraesentatio locum habet in morte civili.

8. Patre furioso liberi nihilominus in patris sui potestate sunt (*d*). Idem et in omnibus est parentibus, qui habent liberos in potestate (*e*). Nam cum jus potestatis moribus sit receptum, nec possit desinere quis habere in potestate, nisi exierint liberi quibus casibus solent; nequaquam dubitandum est remanere eos in potestate. Quare non solum eos liberos in potestate habebit, quos ante furorem genuit: verum et si qui ante furorem concepti, in furore editi sunt. Sed et si in furore agente eo uxor concipiat; videndum an in ejus potestate nascatur filius? Nam furiosus licet uxorem ducere non possit, retinere tamen matrimonium potest. Quod cum ita se habeat, in potestate filium habebit. Proinde et si furiosa sit uxor, ex ea ante conceptus in potestate nascetur: sed in furore ejus conceptus ab eo qui non furebat, sine dubio in potestate nascetur: quia retinetur matrimonium. Sed et si ambo in furore agant et uxor et maritus, et tunc concipiat; partus in potestatem patris nascetur, quasi voluntatis reliquiis in furiosis manentibus: nam cum consistat matrimonium altero furente, consistet et utroque. Adeo autem retinet jus potestatis pater furiosus, ut et acquiratur illi commodum ejus quod filius adquisivit. l. 8.

9. Filiusfamilias in publicis causis, loco patrisfamilias habetur: veluti ut magistratum gerat, ut tutor detur. (*f*). l. 9.

10. Si judex nutriri vel ali oportere pronuntiaverit, dicendum est de veritate quaerendum (*g*), filius sit an

(d) V. l. 20. *de statu hom.*
(e) V. Nov. 111 et 112. Sec. 50.
(f) V. l. 5. *Quod cujusque univers.*
(g) V. l. 5. §. 3. *de Carbonian.*

non; neque enim alimentorum causa veritati facit praejudicium. l. 10.

11. Inviti filii naturales, vel emancipati, non rediguntur in patriam potestatem. l. ult.

TITULUS VII.

De adoptionibus et emancipationibus, et aliis modis quibus potestas solvitur.

SOMMARA.

1. *Pro emancipato habetur qui ut emancipatus vixit.*
2. *Potest avus vel solum filium, vel solum nepotem, vel utrumque emancipare.*
3. *Filius invito patre non liberatur ab ejus potestate.*
4. *Plena pubertas annis octodecim.*

1. Post mortem filiae suae, quae ut materfamilias, quasi emancipata vixerat, et testamento scriptis haeredibus decessit: adversus factum suum quasi non jure eam, nec praesentibus testibus emancipasset (a), pater movere controversiam prohibetur. *l.* 25.

2. Liberum arbitrium est ei qui filium, et ex eo nepotem in potestate habebit, filium quidem potestate demittere, nepotem vero in potestate retinere: vel ex diverso, filium quidem in potestate retinere, nepotem vero manumittere, vel omnes sui juris efficeres. Eadem et de pronepote dicta esse intelligimus. *l.* 28.

3. Non potest filius, qui est in potestate patris, ullo modo compellere eum, ne sit in potestate. l. 31.

(a) Sic agebat, sic contrahebat, l. 3. *de senatus. consulto Maced.*

4. **Plena pubertas, id est decem et octo anni (b).** l. 40. §. 1.

TITULUS VIII.

De divisione rerum, et qualitate.

SUMMARIA.

1. *Aliae res divini juris, aliae humani.*
2. *Res humani juris, aut publicae sunt, aut privatae.*
3. *Quaedam res corporales, quaedam incorporales.*
4. *Quaedam communia omnium, quaedam universitatis, quaedam nullius, quaedam singulorum.*
5. *Communia omnium, aer, aqua profluens, mare.*
6. *Occupantis fiunt lapilli, gemmae in littore inventae.*
7. *Communia omnium flumina, portus, ripae.*
8. *Universitatis sunt stadia, theatra, et similia. Non est singulorum quod est universitatis.*

1. Summa rerum divisio in duos articulos deducitur. Nam aliae sunt divini juris, aliae humani. Divini juris sunt, veluti res sacrae. l. 1.

2. Hae autem res quae humani juris sunt, aut publicae sunt aut privatae. Quae publicae sunt, nullius in bonis esse creduntur: ipsius enim universitatis esse creduntur. Privatae autem sunt, quae singulorum sunt. d. l. 1.

V. tit. *de acq. rer. domin.*

3. Quaedam praeterea res corporales sunt, quaedam incorporales. Corporales hae sunt quae tangi possunt,

(b) Alimenta relicta usque ad pubertatem intelliguntur de plena. l. 14 *de aliment. leg.* §. 1.

veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, et denique aliae res innumerabiles. Incorporales sunt quae tangi non possunt: qualia sunt ea quae in jure consistunt; sicut haereditas, ususfructus; obligationes quoquo modo contractae. Nec ad rem pertinet quod in haereditate res corporales continentur. Nam et fructus qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt: et id quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerumque corporale est; veluti fundus, homo, pecunia: nam ipsum jus successionis, et ipsum jus utendi, fruendi, et ipsum jus obligationis incorporale est. Eodem numero sunt et jura praediorum urbanorum et rusticorum; quae etiam servitutes vocantur. l. 1. §. 1.

4. Quaedam naturali jure communia sunt omnium, quaedam universitatis, quaedam nullius, pleraque singulorum: quae variis ex causis cuique acquiruntur. l. 2.

5. Et quidem naturali jure omnium communia sunt illa; aer, aqua profluens et mare, et per hoc littora maris. l. 2. §. 1.

Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur. l. 4.

6. Item lapilli, gemmae, ceteraque quae in littore invenimus, jure naturali nostra statim fiunt. l. 3.

7. Flumina pene omnia, et portus publica sunt. l. 4. §. 1.

Riparum usus publicus est jure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque navem ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare, retia siccare, et ex mare reducere, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum est, sicuti per ipsum flumen navigare. l. 5.

8. Universitatis sunt non singulorum veluti quae in civitatibus sunt, theatra, et stadia, et similia, et si qua alia sunt communia civitatum. Ideoque nec ser-

vus communis civitatis singulorum pro parte intelligitur, sed universitatis (*b*). l. 6. §. 1.

TITULUS IX.

De senatoribus.

SUMMARIA.

1. *Dignitas major in sexu virili.*
2. *Viri dignitatem uxor obtinet, non mater filii.*
3. *Indignus inferiori ordine ad superiorem non admittitur.*
4. *Senatoris filius censetur etiam natus ante dignitatem.*
5. *Conceptus patre a senatu moto non est senatoris filius. Aliud si ante conceptus patre moto, natus sit.*
6. *Avi dignitas nepoti prodest post casum patris.*
7. *Feminae dignitas a marito, filiae a patre.*
8. *Casus patris non aufert dignitatem a patre quaesitam.*
9. *Liberi senatorum censentur et nepotes.*
10. *Dignitas non a matre.*
11. *Dignitas adjicit, non mutat domicilium.*
12. *Prior dignitas feminae a principe servata.*

1. Consulari foeminae utique praeferendum consularem virum nemo ambigit; sed vir praefectorius an consulari foeminae praeferatur videndum: putem praeferri; quia major dignitas est in sexu virili (*a*). l. 1.

2. Consulares feminas dicimus consularium uxores:

(a) L. 2. *Quod cujusque universit.* l. 7 §. 1 *eod.* l. 10 §. 4 *de in jus voc.*

(a) L. 45. *de leg.* 2, *l.* 9 *de statu hom.*

adjicit Saturninus, etiam matres; quod nec usquam relatum est, nec unquam receptum (*b*) l. 1. §. 1.

3. Qui indignus est inferiori ordine, indignior est superiore (*c*). l. 4.

4. Senatoris filium accipere debemus (*sive*) jam in senatoria dignitate constitutus eum susceperit: (*sive*) ante dignitatem senatoriam. l. 5. v. l. 2. §. 2. ff. *de decur. et fil. eor.*

Labeo scribit etiam eum qui post mortem patris senatoris natus sit, quasi senatoris filium esse. l. 7. §. 1.

5. Sed eum qui postea quam pater ejus de senatû motus est, concipitur et nascitur, Proculus et Pegasus opinantur non esse quasi senatoris filium; quorum sententia vera est. l. 7. §. 1. v. l. 2. §. 3. ff. *de decur. et fil. eor.*

Si quis conceptus quidem sit antequam pater ejus senatu moveatur, natus autem post patris amissam dignitatem, magis est ut quasi senatoris filius intelligatur (*d*). §. 1. v. d. l. 2. §. 3. *de decur.*

6. Si quis et patrem et avum habuerit senatorem, et quasi filius et quasi nepos senatoris intelligitur: sed si pater amiserit dignitatem ante conceptionem hujus, quaeri poterit an quamvis quasi senatoris filius non intelligatur, quasi nepos tamen intelligi debeat? Et magis est ut debeat: ut avi potius ei dignitas prosit, quam obsit casus patris (*). l. 7. §. 2.

7. Feminae nuptae clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur. Clarissimarum fe-

---

(b) Honos non ascendit nec dignitas.
(c) Argumentum a majori valet in dignitatibus.
(d) L. 5. §. 2. et 3 *de statu hom.*
(*) Qualitas nepotis servat jus dignitatis.

minarum nomine, senatorum filiae, nisi quae viros clarissimos sortita sunt, non habentur. Feminae enim dignitatem clarissimarum mariti tribuunt, parentes vero donec plebeii nuptiis fuerint copulatae. Tamdiu igitur clarissima femina erit quamdiu senatori nupta est, vel clarissimo: aut separata ab eo, alii inferioris dignitatis non nupsit. l. 8.

Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus (*). Sin autem minoris ordinis virum, postea sortitae fuerint, priore dignitate privatae, posterioris mariti sequentur conditionem; et domicilium mutamus. l. ult. C. *de incol.* l. 13. C. *de dignit.* l. ult. §. 3. ff. *ad munic.*

8. Quaesita dignitas liberis, propter casum patris remoti a senatu auferenda non est. l. 9.

9. Liberos senatorum accipere debemus non tantum senatorum filios, verum omnes qui geniti ex ipsis, exve liberis eorum dicantur. l. 10.

10. Si ex filia senatoris natus sit, spectare debemus patris ejus conditionem. d. l. 10 in fin.

11. Senatores licet in urbe domicilium habere videantur, tamen et ibi unde oriundi sunt habere domicilium intelliguntur, quia dignitas domicilii adjectionem potius dedisse, quam permutasse videtur. l. 11. v. l. 2. C. *ubi senat* l. 23. ff. *ad munic.*

12. Nuptae prius consulari viro impetrare solent a principe, quamvis perraro, ut nuptae iterum minoris dignitatis viro, nihilominus in consulari maneant dignitate. Ut scio Antoninum-Augustum Juliae Mamae consobrinae suae indulsisse. l. ult. (1).

TITULUS X. *De officio consulis.*

(*) Secus in Anglia.

(1) *In tal modo una principessa conserva il suo rango.*

TITULUS XI.

De officio praefecti praetorio.

SUMMARIA.

1. *Plenior auctoritas ad publicam disciplinam.*
2. *A quibusdam magistratibus non appellatur.*

1. Data plenior licentia praefectis praetorio ad disciplinae publicae emendationem. l. unica.

2. Appellandi a praefectis praetorio facultas interdicta est. Credidit enim princeps, eos qui ob singularem industriam explorata eorum fide et gravitate, ad ejus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse, pro sapientia ac luce dignitatis suae, quam ipse foret judicaturus. d. l. 1. §. 1.

TITULUS XII.

De officio praefecti urbi.

SUMMARIA.

1. *Cura carnis ad magistratum pertinet.*
2. *Interdicere potest magistratus regione, negotiatione, professione.*

1. Cura carnis omnis ut justo pretio praebeatur ad curam praefecturae pertinet. l. 1. §. 11.

2. Et urbe interdicere praefectus urbi, et quavis alia solitarum regionum potest, et negotiatione, et professione, et advocationibus, et foro; et ad tempus, et in perpetuum. l. 1. §. 13.

TITULUS XIII. *De officio quaestoris.*

TITULUS XIV.

De officio praetorum.

SUMMARIA.

1. *Decreta ab eo qui, servus cum esset, praeturam gessit, non revocantur.* (a)

1. Barbarius Philippus, cum servus fugitivus esset, Romae praeturam petiit, et praetor designatus est: sed nihil ei servitutem obstitisse, ait Pomponius, quasi praetor non fuerit. At quin verum est praetura eum functum, et tamen videamus si servus, quamdiu latuit, dignitate praetoria functus sit, quid dicemus? Quae edixit, quae decrevit, nullius fore momenti? An fore propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt vel lege, vel quo alio jure? et verum puto, nihil eorum reprobari; hoc enim humanius est. l. 3. v. l. 3. ff. *de senat. Maced.* (b)

TITULUS XV.

De officio praefecti vigilum.

SUMMARIA.

1. *Summa reipublicae cura apud principem.*
2. *Famosiores rei certis magistratibus remittuntur.*
3. *Incendia vix sine culpa.*

1. Salutem reipublicae tueri nulli magis credidit Augu-

(a) V. leg. 3. §. 5. *de suppel. leg.*
(b) L. 24. *de adoption.*

stas convenire, nec alium sufficere ei rei quam Caesarem l. 3.

2. Cognoscit praefectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus, nisi si qua tam atrox tamque famosa persona sit ut praefecto urbi remittatur. l. 3. §. 1.

3. Plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium. l. 3. §. 1. v. l. 11. ff. *de peric. et comm. rei vend.* V. d. l. 3. §. 4. et l. ult. h. t.

TITULUS XVI.

De officio proconsulis.

SUMMARIA

1. *Magistratus extra fines potestatem non exercet, licet utatur insignibus.*
2. *Duplex jurisdictio, contentiosa et voluntaria.*
3. *Tenetur proconsul de uxoris delicto quam secum adducit.*
4. *Magistratus circa advocatos debet esse gravis, et patiens sum ingenio.*
5. *Omnium desideria debet audire.*
6. *Advocatos dare non habentibus.*
7. *Jus dicit usque in adventum successoris.*

1. Proconsul ubique quidem proconsularia insignia habet statim atque urbem egressus est. Potestatem autem non exercet, nisi in ea provincia sola quae ei decreta est. l. 1.

2. Omnes proconsules statim quam urbem egressi fuerint habent jurisdictionem: sed non contentiosam, sed voluntariam. l. 2.

3. Proficisci proconsulem melius quidem est sine uxore, sed et cum uxore potest (*b*): dummodo sciat senatum, Cotta et Messala consulibus censuisse, futurum, ut *si quid uxores eorum qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio, et vindicta, exigatur.* l. 4. §. 2.

4. Circa advocatos patientem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur: nec adeo dissimulare, si quos causarum concinnatores, vel redemptores deprehendat (*c*); eosque solos pati postulare, quibus per edictum ejus postulare permittitur (*d*). l. 9. §. 2.

5. Observare item eum oportet, ut sit ordo aliquis postulationum, scilicet, ut omnium desideria audiantur, ne forte, dum honori postulantium datur, vel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non froferant, qui aut omnino non adhibuerunt, aut minus frequentes, neque in aliqua dignitate positos advocatos sibi prospexerunt. l. 9. §. 4.

6. Advocatos quoque petentibus debebit indulgere plerumque feminis, vel pupillis, vel aliis debilibus, vel his qui suae mentis non sunt, si quis ex eis petat: vel si nemo sit qui petat, ultro eis dare debebit. Sed si quis per potentiam adversarii non invenire se advocatum dicat, aeque oportebit ei advocatum dare. Caeterum opprimi aliquem per adversarii sui potentiam non oportet: hoc enim etiam ad invidiam ejus qui provinciae praeest, spectat, si quis tam impotenter se gerat, ut omnes metuant adversus eum advocationem suscipere (*e*). l. 9. §. 5.

(b) Vide Cornel. Tacit., de hac quaestione disserentem.
(c) L. 5. C. *de postuland.*
(d) L. 1. *de post.*
(e) V. l. 1. §. 4. *de postuland.*

7. Meminisse oportebit usque ad adventum successoris omnia debere proconsulem agere, cum sit unus proconsulatus, et utilitas provinciae exigat esse aliquem per quem negotia sua provinciales expliceat. Ergo in adventum successoris debet jus dicere. l. 10.

TITULUS XVIII. *De officio praefecti augustalis.*

TITULUS XVIII.

De officio praesidis.

SUMMARIA.

1. *Malis hominibus purganda provincia.*
2. *Vim, exactiones, et omne illicitum prohibeat magistratus.*
3. *Error non nocet veritati cui semper standum.*
4. *Non impune delinquit medicus.*
5. *Mulctae moderatio.*
6. *Mulctae remissio.*
7. *Ædificiorum cura ne deformentur.*
8. *Non tam exemplis quam jure judicandum.*
9. *Malorum hominum coercitio.*
10. *Furiosi etiam carcere continendi.*
11. *Coercendi furiosi, non in poenam sed in tutelam.*
12. *Magistratus abdicando se nihil agit.*
13. *Gravis cum humanitate debet esse qui jus reddit.*

1. Curet is qui provinciae praeest malis hominibus provinciam purgare: nec distinguitur unde sint. l. 3. in f.

2. Illicitas exactiones, et violentia factas et extortas metu venditiones, et cautiones, vel sine pretii numeratione prohibet praeses provinciae. Item ne quis iniquum lucrum aut damnum sentiat, praeses provinciae

provideat. l. 6. Ne potentiores viri humiliores injuriis afficiant; neve defensores eorum calumniosis criminibus insectentur innocentes, ad religionem praesidis provinciae pertinet. d. l. §. 2. Illicita ministeria, sub praetextu adjuvantium militares viros ad concutiendos homines procedentia prohibere, et deprehensa coercere, praeses provinciae curet, et sub specie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat. d. l. 6. §. 3. Neque licita negociatione aliquos prohiberi, neque prohibita exerceri, neque innocentibus poenas irrogari, ad sollicitudinem suam praeses provinciae revocet. d. l. §. 4.

3. Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur. Et ideo praeses provinciae id sequatur quod convenit eum ex fide eorum quae probabuntur. l. 6. §. 1.

4. Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet, praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet (a). l. 6. §. 7.

5. Praeses provinciae, si mulctam quam irrogavit ex praesentibus facultatibus eorum quibus eam dixit, redigi non posse deprehenderit, necessitatem solutionis moderetur reprehensa exactorum illicita avaritia (*) l. 6. §. 9.

6. Remissa propter inopiam mulcta a provincias regentibus exigi non debet. d. l. 6. in fin.

7. Praeses provinciae inspectis aedificiis, dominos eorum, causa cognita, reficere ea compellat, et adversus detrectantes, competenti remedio, deformitati auxilium ferat (b). l. 7.

(a) L. 7. §. ult. *ad leg. Aq.* l. 1. *de decretis ab ordin.*

(*) Judex potest mulctam moderari in praejudicium eorum qui mulctas colligunt.

(b) V. tit. *de damno infecto.*

8. Non tam sectandum est quid Romae factum est (c), quam quid fieri debeat. l. 12.

9. Congruit bono et gravi praesidi curare ut pacata atque quieta provincia sit, quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eósque conquirat. Nam et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet; et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere: receptoresque eorum coercere, sine quibus latro latere diutius non potest. l. 13.

10. Furiosis, si non possint per necessarios contineri, eo remedio per praesidem obviam eundum est, scilicet, ut carcere contineantur, et ita divus Pius rescripsit. l. 13. §. 1.

11. Divus Marcus et Commodus Scapulae Tertyllo rescripserunt in haec verba: Si tibi liquido compertum est, Ælium Priscum in eo furore esse, ut continua mentis alienatione, omni intellectu careat: nec subest ulla suspicio matrem ab eo simulatione dementiae occisam, potes de modo poenae ejus dissimulare, cum satis furore ipso puniatur (*d*): et tamen diligentius custodiendus erit, ac si putabis, etiam vinculo coercendus: quoniam tam ad poenam, quam ad tutelam ejus, et securitatem proximorum pertinebit. Si vero, ut plerumque adsolet, intervallis quibusdam sensu saniore, non forte eo momento scelus admiserit, nec morbo ejus danda est venia, diligenter explorabis: et si quid tale compereris, consules nos, ut aestimemus, an per

(c) L. 13. C. *de sentent. et interloc. l.* 26. ff. *de testat. tut.*
(d) L. 12. *ad leg. Cor. de sicar.* l. 9. §. 2. *ad leg. Pomp. de part.*

immanitatem facinoris, si cum posset videri sentire commiserit, supplicio afficiendus sit (*e*). Cum autem ex litteris tuis cognoverimus, tali eum loco, atque ordine esse, ut a suis vel etiam in propria villa custodiatur, recte facturus nobis videris, si eos, a quibus illo tempore observatus esset, vocaberis, et causam tantae negligentiae excusseris; et in unumquemque eorum, prout tibi levari vel onerari culpa ejus videbitur, constitueris. Nam custodes furiosis non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne aliis quoque exitio sint. Quod si committatur non immerito culpae eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio suo fuerint. l. 14.

12. Legatus Caesaris, id est praeses vel corrector provinciae, abdicando se, non ammittit imperium(*f*). l. 20.

13. Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se praebeat, sed contemni non patiatur. Unde mandatis adjicitur, ne praesides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant: nam ex conversatione aequali contemptio dignitatis nascitur. l. 19. Sed et in cognoscendo neque excandescere adversus eos quos malos putat, neque precibus calamitosorum inlacrymari oportet (*g*): id enim non est constantis, et recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. Et summatim ita jus reddet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat. d. l. 19. §. 1.

TITULUS XIX. *De officio procuratoris Caesaris.*

TITULUS XX. *De officio juridici.*

(e) Locus singularis ex quo patet supplicis non tam infligi ad emendationem quam ad exemplum.

(f) Collata dignitas est juris publici.

(g) Nec doluit miserans inopem.

TITULUS XXI.

De officio ejus cui mandata est jurisdictio.

SUMMARIA.

1. *Qui mandatum habet, jurisdictionem mandantis jure fungitur.*
2. *Non mandat jurisdictionem cui mandata est.*
3. *Jurisdictioni accedit coercitio.*

1. Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet (*a*), sed ejus qui mandavit jurisd ictione utitur, l. 1. §. 1. etsi praetor (*b*) sit is qui alienam jurisdictionem exequitur, non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo cujus mandatu jus dicit, quoties partibus ejus fungitur (*c*). l. 3.

2. Mandatam sibi jurisdictionem, mandare alteri (*d*) non posse manifestum est. l. ult.

3. Jurisdictio sine modica coercitione nulla est (*). l. ult.

(a) V. l. 5. *de jurisdict.*

(b) In Gallia judices exercent dumtaxat mandatam a rege jurisdictionem: adeo ut me perorante judicatum sit praeside D. Talon, judicem pictaviensem non potuisse partes ad arbitrum privatum remittere, ut jusjurandum necessarium et involuntarium ab iis susciperet.

(c) V. l. 16. ff. *de jurisdict.*

(d) Secus in delegatis principis qui subdelegant.

(*) Lex *Si qui jus di. non obtemp.* ait: Omnibus magistratibus secundum jus potestatis suae concessum est jurisdictionem suam defendere personali judicio. Idque propter l. 2. *de jurisdict.*

TITULUS XXII.

De officio adsessorum.

SUMMARIA.

1. *Consiliari et assidere non licet in eodem auditorio.*

1. Consiliarii, eo tempore quo adsidet, negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est: in alienum autem non prohibetur (a), L. 5.

(a) V. H. Moraec. eodem titulo.

LIBER SECUNDUS.

TITULUS I.

De jurisdictione. (1)

SUMMARIA

1. *Jurisdictioni accedunt necessaria.*
2. *Jurisdictionem mandat qui habet suo jure.*
3. *Punitur qui album praetoris corrupit.* L. 3.
4. *In pœnis qui non habet in aere, luat in corpore.*
5. *Nec sibi, nec suis jus quis dicit.*
6. *Si singulae quantitates jurisdictionem non excedant nec coacervatae.*
7. *In mutuis petitionibus minor majorem sequitur.*
8. *Spectanda quantitas, non qua ab uno petitur, sed de qua inter omnes agitur*
9. *Qui errat non consentit.*
10. *Qui mandatum habet jurisdictionem, fungitur vice mandantis, non sua.*
11. *Mutatio fori post litem contestatam judicium non mutat.*
12. *In quantitate jurisdictionis quod petitur spectandum, non quod debetur.*
13. *Nihil agit qui suae jurisdictionis fines excedit.*

1. Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse

(1) *La giurisdizione non è impero, ma emana da esso.* Imperium aut merum, aut mixtum est. Merum est imperium, habere gladii potestatem ad animadvertendum facinorosos homines, quod etiam *potestas* appellatur. Mixtum est imperium (cui etiam jurisdictio inest) quod in danda bonorum possessione consistit. l. 3.

videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit (a) l. 2.

2. More majorum (b) ita comparatum est, ut is demum jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet (c). l. 5.

3. Si quis id quod jurisdictionis perpetuae causa, non quod, prout res incidit, in albo vel in cartha, vel in alia materia praepositum erit, dolo malo corruperit, datur in eum judicium. l. 7.

4. In eos qui inopia laborant corpus torquendum est. l. 7. §. 3.

5. Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori vel liberis suis, vel caeteris quos secum habet. l. 10. (1)

6. Si idem cum eodem pluribus actionibus agat (d), quarum singularum quantitas intra jurisdictionem judicantis sit, coacervatio vero omnium excedat modum jurisdictionis ejus; apud eum agi posse (e) Sabino, Cassio, Proculo placuit: quae sententia rescripto imperatoris Antonini confirmata est. l. 11. (2)

7. Sed et si mutuae sunt actiones: et alter minorem quantitatem, alter majorem petat; apud eundem judicem agendum est ei, qui quantitatem minorem petit: ne in potestate calumniosa adversarii mei sit, an apud eundem litigare possim. l. 11. §. 1.

(a) Unde potest uti coercitione: l. ult. *de eo cui mandata est.* l. unic. *Si quis jus di. non obtemp.*

(b) V. l. 1. §. 1. *de officio ejus cui mandata est.*

(c) L. 16.

(1) In tai casi presso di noi il giudice può essere ricusato. *Leggi di proc. civ.*, art. 147, n. 470.

(d) V. Monac. II.

(e) Contra in l. 10. §. 1. *de appellat.*

(2) Concorda. *Leggi di proc. civ. art.* 99, n. 3.

8. Si una actio communis sit plurium personarum, veluti familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum, utrum singulae partes spectandae sunt circa jurisdictionem ejus, qui cognoscit? Quod Ofilio, et Proculo placet; quia unusquisque de parte sua litigat? an potius tota res, quia et tota res in judicium venit, et vel uni adjudicari potest, quod et Cassio, et Pegaso placet? Et sane eorum sententia probabilis est. l. 11. §. ult.

9. Non consentiunt qui errant (*)(3). Quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit? l. 15.

10. Is, cui mandata jurisdictio est, fungetur vice ejus qui mandavit, non sua. l. 16. v. l. 3. ff. *de off. ej. cui mand. est. jurisd.*

11. Cum quaedam puella apud competentem judicem litem susceperat, deinde condemnata erat, posteaque ad viri matrimonium alii jurisdictioni subjecti pervenerat: quaerebatur, an prioris judicis sententia exsequi possit? Dixi posse, quia ante fuerat sententia dicta. Sed et si post susceptam cognitionem, ante sententiam, hoc eveniet, idem putarem; sententiaque a proprio judice recte fertur. Quod generaliter et in omnibus hujuscemodi casibus observandum est (e) l. 19.

Qui libellum accepit, etiamsi in aliud officium tran-

(*) Lex addit: Si per errorem alius pro alio praetor aditus sit, nihil valebit. l. 57. *de obligat. et act.* l. 83. §. 1. *de ver. obl.* l. 66. *de judiciis.*

(3) » Il consenso non è valido, se è stato dato per errore « *Leggi civ. art.* 1063.

(e) Quia maritus praeventus est. Arg. l. 7. *de judiciis.* Ratio dubii quod forum mulieris mutatur ex domicilio mariti. l. ult. C. *de incolis.*

slatus sit, forte clericus factus, respondeat omnino in primo foro. l. ult. C. *de in jus voc.*

12. Quoties de quantitate ad jurisdictionem pertinente quaeritur, semper quantum petatur quaerendum est, non quantum debeatur. l. 19. §. 1. (4)

13. Extra territorium jus dicenti, impune non paretur. Idem est, et si supra jurisdictionem suam velit jus dicere. l. ult.

TITULUS II. *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.*

TITULUS III.

Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

SUMMARIA.

1. *Jurisdictionem suam poena tuetur magistratus.*

1. Omnibus magistratibus, secundum jus potestatis suae, concessum est jurisdictionem suam defendere poenali judicio (*a*) l. 1. (1)

---

(4) » Il valore dell' azione sarà regolato da quel che si contiene » nella domanda, e non da ciò che si aggiudica colla sentenza. » *Leggi di proc. civ. art.* 100.

(a) V. l. ult. *de officio ejus cui mandata est.*

(1) » I tribunali, secondo la gravità delle circostanze, potranno nelle cause portate innanzi a loro pronunziare precetti penali, » anche di proprio uffizio. *Leggi di proc. civ. art.* 1113.

TITULUS IV.

De in jus vocando.

SUMMARIA.

1. *Mater semper certa, pater ex nuptiis.*
2. *Parentibus naturalibus debetur reverentia.*
3. *Jus universitatis non competit singulis.*
4. *Sua cuique domus refugium.*

1. Semper certa est (mater (*a*)) etiam si vulgo conceperit. Pater vero is est quem nuptiae demonstrant. l. 5. (1)

2. Una est omnibus parentibus (etiam naturalibus) servanda reverentia. l. 6. (2)

3. Qui manumittitur a corpore aliquo, vel collegio, vel civitate, . . non est singulorum libertus (*b*), sed reipublicae honorem habere debet. l. 10. §. 4.

4. Domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum. l. 18. (3)

(a) Est inde major matris affectio.

(1) » Il figlio conceputo durante il matrimonio ha per padre il » marito » *Leggi civ. art.* 234.

(2) » Il figlio dee onorare e rispettare i genitori, qualunque sia » la sua età ed il posto che occupi nella società. » *Leg. civ. art.* 287.

(b) L. 6. §. 1. *de divisione rerum.* l. 2. *Quod cujusque universit.*

(3) Concorda. *Leggi di proc. civ. art.* 864, n. 5.

TITULUS V.

Si quis in jus vocatus non ierit : sive quis eum vocaverit, quem ex edicto non debuerit.

SUMMARIA.

1. *In jus vocatus venire debet, ut de ipsa jurisdictione agatur.*
2. *Rusticitati interdum parcitur,*

1. Ex quacumque causa ad praetorem vel alios, qui jurisdictioni praesunt, in jus vocatus venire debet, ut hoc ipsum sciatur, an jurisdictio ejus sit. l. 2.

2. Rusticitati aliquando parcendum. l. 2. §. 1. in fine.

TITULUS VI. *In jus vocati ut eant, aut satis, vel cautum dent.*

TITULUS VII.

Ne quis eum qui in jus vocatur, vi eximat.

SUMMARIA.

1. *In pari delicto deterior causa petitoris.*

1. Deteriore loco est, qui in simili delicto petitoris partes sustinet. l. 2.

TITULUS VIII.

Qui satisdare cogantur, vel jurato promittant, vel suae promissioni committantur. (a)

SUMMARIA.

1. *Satisdatio est cautio datis fidejussoribus.*
2. *Fidejussorem idoneum faciunt facultates, et conveniendi facilitas.*
3. *Cautio idonea esse debet.*
4. *Depositum pro cautione in re mobili.*
5. *Si fidejussor haeres fit stipulatoris vel contra, denuo satisdandum.*
6. *Si fidejussor facultatibus lapsus sit, satisdandum ex integro.*

1. Satisdatio eodem modo appellata est quo satisfactio. Nam ut satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus; ita satisdare dicimur adversario nostro, cum pro eo quod a nobis petit, ita cavemus, ut eum hoc nomine securum faciamus datis fidejussoribus. l. 1.

2. Locuples videtur dari fidejussor non tantum ex facultatibus, sed etiam ex conveniendi facilitate (*). l. 2.(1)

3. Quoties vitiose cautum vel satisdatum est, non videtur cautum (**). l. 6.

4. Si satisdatum pro re mobili non sit, et persona

(a) L. 4. §. 8. *de fideicom. lib.*

(*) Tres conditiones pro cautione judiciaria: 1. ut sit vir; 2. ut sit dives immobilium; 3. ut sit facilis conventionis.

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1890, 1891.

(**) Lex 7. in p. ait: Si fidejussor non negetur idoneus, sed dicatur habere fori praescriptionem, merito petitor eum recusat; vel praedicendum ei non usurum privilegio fori si conveniatur.

suspecta sit, ex qua satis desideratur; apud officium deponi debebit; si hoc judici sederit, donec vel satisdatio detur, vel lis finem accipiat. l. 7. §. 2. (2)

5. Si fidejussor judicatum solvi, stipulatori haeres extiterit, aut stipulator fidejussori, ex integro cavendum erit (τ) l. 8. §. 3. (3)

6. Si medio tempore calamitas fidejussoribus insignis, vel magna inopia accidit, causa cognita ex integro satisdandum erit (σ). l. 10. (4)

TITULUS IX. *Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caveatur.*

TITULUS X.

De eo, per quem factum erit, quominus quis in judicio sistat.

SUMMARIA.

1. *Utrinque dolus compensandus.*

1. Si et stipulator dolo promissoris, et promissor dolo stipulatoris impeditus fuerit, quominus ad judicium veniret: neutri eorum praetor succurrere debebit, *ab utraque parte dolo compensando* (a). l. ult. §. 3. v. l. 39. D. *sol. matr.* (b).

---

(2) » Colui che non può trovare una malleveria, viene ammesso » a dare in vece un pegno sufficiente ad assicurare il credito. » *Leggi civ. art.* 1913.

(τ) Ratio est in l. 13. *de duobus reis.*

(3) » La confusione che viene ad effettuarsi nella persona del » debitor principale e del suo fidejussore, quando divengono eredi » l' uno dell' altro, non estingue l' azione del creditore contra co- » lui che ha dato sicurtà pel fidejussore » *Leggi civ. art.* 1907.

(σ) V. l. 3. in f. et l. 4. *ut in possess.* l. 3. *in fideicom.*

(4) » Quando il fidejussore sia divenuto insolvibile, se ne dee » dare un altro. *Leggi civ. art.* 1892.

(a) Paria delicta mutua compensatione tolluntur. *l.* 39. *sol. matr.*

(b) V. l. 36. *de dolo.* * Lex 1. §. 2. *Ne quis eum* ait: Et sane si deliquit qui vocat, non deliquit qui eximit.

TITULUS XI.

Si quis cautionibus in judicio sistendi causa factis non obtemperaverit.

SUMMARIA.

1. *In computando tempore dilationis, non adnumeratur dies quo sisti jubetur, nec quo sistitur.*
2. *Excusatio propter morbum aut aliam causam.*
3. *Interdum exprimenda sunt quibus renunciatur.*
4. *Nulla morae poena cum nihil interest.*
5. *Injuriarum actio non competit haeredi.*

1. Vicena millia passuum in singulos dies dinumerari praetor jubet, praeter eum diem quo cautum promittitur (a), et in quem sistere in judicium oportet (1). Nam sane talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa est. l. 1.

2. Si quis judicio se sisti promiserit, et valetudine vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus se sistere non possit, exceptione adjuvatur (b)(2). Nec immerito; cum enim in tali promissione praesentia opus sit, quemadmodum potuit se sistere qui adversa valetudine impeditus est? Et ideo etiam lex duodecim tabularum, SI JUDEX VEL ALTERUTER EX LITIGATORIBUS MORBO SONTICO IM-

---

(a) Dies termini a quo non continetur in termino.

(1) » Il giorno della notificazione e quello della scadenza non » sono mai computati nei termini generali stabiliti per le citazioni a » giorno prefisso, intimazioni ec. » *Leggi di proc. civ. art.* 1109.

(b) Modo sese tempore non arctaverit cum posset non incidere in vim tempestatis, *lex* §. 1. V. l. 26. §. 7. *ex quibus caus. maj.* et l. 16. *eodem.* l. 4. *de vacation. et excusat. mun.*

(2) Concorda. *Leggi di proc. civ. art.* 124.

PEDIATUR, jubet DIEM JUDICII ESSE DIFFISUM. l. 2. §. 3.

3. Quaesitum est, an possit conveniri, *ne ulla exceptio in promissione deserta judicio sistendi causa facta, objiciatur*? et ait Attilicinus, conventionem istam non valere (*c*): sed et ego puto conventionem istam ita valere, si specialiter causae exceptionum expressae sint, quibus a promissore sponte renunciatum est (*d*). l. 4. §. 4.

4. Et si post tres aut quinque pluresve dies quam judicio sisti se reus promisit, secum agendi potestatem fecerit, nec actoris jus ex mora deterius factum est (*e*), consequens est dici, defendi eum debere per exceptionem. l. 8. (3)

5. Injuriarum actio haeredi non competit (*f*). l. 10. §. 2. (4)

(c) Renunciatio generalis non continet ea de quibus non est cogitatum.

(d) V. l. 78. ult. *de contrahend. empt.*

(e) Neque enim magnum damnum est in mora modici temporis. l. 21. *de judicio.* l. 7. *de in integr. restitut.*

(3) Concorda. *Leggi di proc. civ. art.* 76, 123., 243.

(f) Contra. Haeredis interest defuncti existimationem purgare, l. 1. §. 6. *de injuriis.*

(4) Contra. *Leggi di proc. pen. art.* 3, 37.

TITULUS XII.

De feriis et dilationibus, et diversis temporibus.

SUMMARIA.

1. *Judicium in feriis messium et vindemiarum.*
2. *Causae in quibus non est dilatio.*
3. *Idem.*
4. *Idem.*
5. *Tempus messis et vindemiarum statuendum.*
6. *Dies a media nocte incipit.*

1. Ne quis messium vindemiarumque tempore adversarium cogat ad judicium venire, oratione divi Marci exprimitur: quia occupati circa rem rusticam, in forum compellendi non sunt. l. 1.

2. Sed excipiuntur certae causae ex quibus cogi poterimus et per id temporis, cum messes vindemiaeque sunt, ad praetores venire; scilicet si res tempore peritura sit, hoc est, si dilatio actionem sit peremptura. l. 1. §. 2.

3. Eadem oratione divus Marcus in senatu recitata effecit, de aliis speciebus praetorem adiri etiam diebus feriaticis: utputa ut tutores aut curatores dentur, ut officii admoneantur cessantes, excusationes allegentur, alimenta constituantur. l. 2.

4. Solet etiam messis vindemiarumque tempore jus dici de rebus quae tempore vel morte periturae sunt: morte; veluti damni, injuriae, injuriarum atrocium; qui de incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata rapuisse dicuntur, et si quae similes sunt. Item

si res tempore periturae sunt (*), aut actionis dies exiturus est. l. 3.

5. Praesides provinciarum, ex consuetudine cujusque loci, solent messis, vindemiarumque causa tempus statuere. l. 4.

6. More romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur(a). Itaque quicquid in his viginti quatuor horis (id est duabus dimidiatis noctibus, et luce media) actum est, perinde est, quasi quavis hora lucis actum esset. l. 8.

TITULUS XIII.

De edendo.

SUMMARIA.

1. *Actio edenda.*
2. *Rationes cum die edendae.*
3. *Edenda quibus utimur.*
4. *Eis qui lapsi non ediderunt ex justa causa subvenitur.*
5. *Edi debet totum instrumentum, aut quod ad rem pertinet.*
6. *Judex ex causa jubet edere.*
7. *Acta publica exibenda ad veri fidem.*
8. *Mutari potest actio et petitio, nisi obstet aequitas.*
9. *Actore non probante, reus absolvitur.*
10. *Creditor et idem petitor potest ex causa compelli ut edat rationes. Non idem in reo.*

1. Qua quisque actione agere volet, eam edere debet;

(*) Quid de retractione gentilitia? Retrahens non debuit tempore se coarctare. Arg. l. 2. §. 8. *si quis cautionib.* l. 26. §. 7. *ex quibus causis maj.*

(a) V. l. 16. §. 8. *de pignorib. et hypot.*

nam aequissimum videtur, eum qui acturus est edere actionem, ut proinde sciat reus utrum cedere an contendere ultra debeat: et si contendendum putat, veniat instructus ad agendum, cognita actione qua conveniatur. l. 1. (1)

2. (a) Rationes cum die et consule edi debent: quoniam accepta, et data non alias possunt apparere, nisi dies et consul fuerit editus (b). l. 1. §. 2. in fine.

3. Edenda sunt omnia quae quis apud judicem editurus est. l. 1. §. 3.

4. Eis qui ob aetatem, vel rusticitatem, vel ob sexum lapsi non ediderunt, vel ex alia justa causa, subvenitur. l. 1. §. ult.

5. Edere non videtur qui stipulationem totam non edit. l. 1. §. 4.

Edi ratio ita intelligitur, si a capite edatur (nam ratio, ni inspiciatur; intelligi non potest): scilicet ut non totum cuique codicem rationum, totasque membranas inspiciendi describendique potestas fiat; sed ut ea sola pars rationum quae ad instruendum aliquem pertineat, inspiciatur, et describatur. l. 10. §. 2.

6. Ipse dispice, quemadmodum pecuniam, quam te deposuisse dicis, deberi tibi probes. Nam quod desideras, ut rationes suas adversarii tua exibeat, id ex causa ad judicis officium pertinere solet. l. 1. C. *de edendo.*

---

(1) » L'atto di citazione conterrà l'oggetto della domanda, e » la enunciazione sommaria delle ragioni sulle quali è fondata » *Leggi di proc. civ.* art. 101, 153 n. 3.

(a) Editiones sine die et consule fieri debent, ne quid excogiletur e die et consule, et praelato die fiat. l. 1. §. 2. in principio. Molin. ad §. 234. Consuet. Andegav. et Cenoman. V. l. 28. *de leg. Corn. de fals.* V. l. 3. *de fide instrum.* V. l. 2. §. 6. *quemadmodum testamenta aper.*

(b) Et id singulare est in rationibus.

7. Is apud quem res agitur, acta publica tam civilia quam criminalia exiberi inspicienda ad investigandam veritatis fidem iubebit. l. 2. C. *eod.*

8. (*) Edita actio speciem futurae litis demonstrat: quam emendari vel mutari licet, prout jus reddentis decernit aequitas. l. 3. C. *eod.*

9. Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil ipse praestat, obtinebit. l. 4. in f. C. *eod.*

10. Non est novum, eum a quo petitur pecunia, implorare rationes creditoris, ut fides veri constare possit. l. 5. C. *eod.*

(*c*) Multum interest an ex parte ejus qui aliquid petit, quique doli exceptione submoveri ab intentione petitionis suae potest, rationes promi reus desideret, quibus se posse instruere contendit; quod utique ipsa rei aequitas suadet: an vero ab eo, a quo aliquid petitur, actor desideret actiones exhiberi: quando hoc casu non oportet originem petitionis ex instrumentis ejus qui convenitur, fundari. l. 8. C. *eod.*

Qui accusare volunt, probationes habere debent, cum neque juris neque aequitatis ratio permittat ut alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. l. 4. C. *eod.*

(*) Permissum convertere occupationem realem in petitionem ad declarationem hypothecae, cum debitor reperitur quod haereditatem vendiderit.

(*c*) V. l. 45. §. 6. *de jure fisc.*

TITULUS XIV.

De pactis

SUMMARIA.

1. *Pacta servanda.*
2. *Pactum est quod inter aliquos placuit.*
3. *Conventio; de quo convenerunt.*
4. *Conventio fit re, scriptis, per nuntium, tacito consensu.*
5. *Reddita cautione liberatur debitor, non reddito pignore.*
6. *Invecta tacite sunt pignori pro mercede.*
7. *Nulla obbligatio sine causa.*
8. *Pacta legibus, et bonis moribus debent esse consena.*
9. *Aliud pactum in rem, aliud pactum in personam.*
10. *Dolus est aliud agere, aliud simulare.*
11. *Pactum ut depositarii periculo sit res deposita.*
12. *Valet pactum inter haeredem qui nondum adiit, et creditores, ut minus solvatur.*
13. *Major pars creditorum aestimatur pro modo debiti.*
14. *Pactum procuratoris prodest et nocet.*
15. *Item pactum magistri societatis.*
16. *Obligatio ultra causam non valet.*
17. *Pactum in rem correo prodesse potest et socio, non eis nocere.*
18. *Pactum in personam nec prodest, nec nocet correo, aut socio, imo nec haeredi.*
19. *Pacta inhonesta reprobantur.*
20. *Pactum de alia re, ad aliam non trahitur.*
21. *Pacta contra regulas, irrita.*
22. *Privata pacta jus publicum non mutant.*

23. *Pactio obscura venditori nocet.*
24. *Pactum patris, ut dotis pars fratri restituatur ad liberos supervenientes transit fratre excluso.*
25. *Pacto derogatur legi contractus.*
26. *Forma juris fiscalis privatorum pactis non mutatur.*
27. *Quod tutor idemque creditor pupilli cum caeteris creditoribus pactus est, ipse sequatur.*
28. *Juri suo renuntiare licet.*
29. *Illicitum pactum de quota litis.*
30. *Usuris in futurum solutis, sors interim peti non potest.*
31. *Consensu a contractu disceditur.*
32. *Liberatus fidejussor pacto debitoris ne a se petatur, non obligatur secundo pacto ut peti possit.*
33. *Licet pacisci de fideicommisso conditionali.*
34. *Creditor qui egit cum emptore haereditatis non redit ad haeredem.*
35. *Licitum est pactum de pascendo pecore pro parte foetus.*
36. *Priores conventiones posterioribus mutantur.*
37. *Invicem substitutis consentientibus, evanescit fideicommissum.*
38. *Dominia traditione, et usucapione transferuntur.*
39. *Non licet pacisci de futura viventis successione.*

1. Hujus edicti aequitas naturalis est (*a*). Quid enim tam congruum fidei humanae, quam ea quae inter eos placuerunt, servare? l. 1. (1)

2. Et est pactio, duorum pluriumve in idem placitum consensus. l. 1. §. 2.

(a) L. 1. *de const. pecun.*

(1) » Le convenzioni debbono essere eseguite di buona fede. » » *L.* 551 *civ. art.* 1088.

3. *Conventionis* verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt qui inter se agunt. Nam sicuti *convenire* dicuntur, qui ex diversis locis in unum locum colliguntur et veniunt, ita et qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt. l. 1. §. 3.

4. Labeo ait, convenire posse vel re, vel per epistolam, vel per nuncium, inter absentes quoque posse, sed etiam tacito consensu convenire intelligitur. l. 2.

5. (*b*) Et ideo si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse, ne peterem: profuturamque ei conventionis exceptionem placuit, l. 2. §. 1.

Postquam pignus vero debitori reddatur, si pecunia soluta non fuerit (*c*), debitum peti posse dubium non est; nisi specialiter contrarium actum esse probetur. l. 3.

6. Item, quia conventiones etiam tacite valent, placet in urbanis habitationibus locandis, invecta illata pignori esse locatori; etiamsi nihil nominatim convenerit. l. 4. (2)

7. (*d*) Sed cum nulla subest causa propter conventionem, hic constat non posse constitui obligationem. l. 7. §. 4. (3)

8. Ait praetor, *pacta conventa, quae neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo.* l. 7. §. 7.

(b) V. J. *de solut. n.* 38.
(c) V. l. 14. *de probat.*
(2) » Le pigioni sono crediti privilegiati sopra il valore di tutto ciò che serve a guarnire la casa. *Leggi civ. art.* 1971.
(d) L. 2. §. 3. *de doli exception.* V. l. 17.
(3) » L' obbligazione senza causa non può avere alcun effetto » *Leggi civ. art.* 1085.

Pacta quae contra leges constitutionesque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est. l. 6. C. *eod.* (4)

9. Pactorum quaedam in rem sunt, quaedam in personam. In rem sunt, quoties generaliter paciscor ne petam: in personam, quoties ne a persona petam, id est, ne a Lucio Tito petam. Utrum autem in rem, an in personam pactum factum est, non minus ex verbis, quam ex mente convenientium aestimandum est. Plerumque enim persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur cum quo pactum factum est. l. 7. §. 8.

10. (e) Dolo malo, ait praetor, pactum se non servaturum. Dolus malus fit calliditate, et fallacia; (et) ut ait Pedius, dolo malo pactum fit, quoties circumscribendi alterius causa aliud agitur, et aliud agi simulatur (f). l. 7. §. 9.

11. Item si quis pactus sit, *ut ex causa depositi omne periculum praestet*, Pomponius ait, pactionem valere: nec quasi contra juris formam factam non esse servandam. l. 7. §. 15.

12. Si ante aditam haereditatem paciscatur quis cum creditoribus, *ut minus solvatur;* pactum valiturum est. §. 17.

13. (*) Majorem esse partem (creditorum) pro mo-

(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 7, 1085 e 1087.

(e) L. 1. §. 2. *de dolo.*

(f) Definitio doli.

(*) *Chyrographariorum declaratio non potest hypothecarios obligare. Communiter hypothecariorum declaratio nocere nequit aliis hypothecariis*, quia cuique jus suum quaesitum est. Sed ex causa subveniendum est, quando quis adversus propria commoda laborare invenitur.

do debiti, non pro numero personarum placuit. Quod si aequales sint in cumulo debiti, tunc plurimum numerus creditorum praeferendus est. l. 8. Si plures sint qui eandem actionem habent, unius loco habentur. l. 9. v. l. 14. *depos.*

14. Sicuti pactum procuratoris mihi nocet, ita et prodest. l. 10. §. ult. sive ei mandavi ut pacisceretur, sive omnium rerum mearum procurator fuit. l. 12. (5)

15. (*g*) Item magistri societatum pactum et prodesse et obesse constat. l. 14. (6)

16. Si tibi decem dem, et paciscar, ut viginti mihi debeantur, non nascitur obligatio ultra decem (*h*); re enim non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit. l. 17.

17. In his qui ejusdem pecuniae exactionem habent in solidum, vel qui ejusdem pecuniae debitores sunt; quatenus alii quoque prosit vel noceat pacti exceptio, quaeritur (*i*)? Et in rem itaque debitoris conventio fidejussoribus proficiet. l. 21. §. ult.

(*k*) Si unus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio? Neratius, Atilicinus, Proculus, nec si in rem pactus sit, alteri nocere: tantum enim constitutum, ut solidum alter petere possit. Idem Labeo (*l*): nam nec novare alium posse, quamvis ei recte solvatur. Sic enim et his qui in no-

---

(5) » Il mandante è tenuto di eseguire le obbligazioni contratte dal mandatario » *Leggi civ. art.* 1870.

(*g*) V. l. 82. *pro socio.* Nivernois. Berry.

(6) Concorda. *Leggi civ. art.* 1728.

(*h*) Quia obligatio est sine causa l. 7. §. 4.

(*i*) V. l. ult.

(*k*) L. 3. §. 3. *de liberat. legat.*

(*l*) L. 31. §. 1. *de novat.*

stra potestate suut recte solvi quod crediderint, licet novare non possint; quod est verum. Idemque in duobus reis stipulandi dicendum, est. l. 27.

18. Personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad haeredem Labeo ait. l. 25. §. 1.

19. Pacta quae turpem causam continent, non sunt observanda. l. 27. §. 4. (7)

20. (*m*) Ante omnia enim animadvertendum est, ne conventio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re, aliave persona noceat. l. 27. §. 4. in fine.

21. Contra juris civilis regulas pacta conventa rata non habentur. l. 28.

22. (*n*) Jus publicum, privatorum pactis mutari non potest. l. 38. (8)

23. (o) Veteribus placet, pactionem obscuram vel ambiguam venditori, et qui locavit nocere: in quorum fuit potestate legem apertius conscribere. l. 39. (9)

24. Pater qui dotem promisit, pactus est, *ut post mortem suam in matrimonio, sine liberis defuncta filia, portio dotis apud haeredem suum fratrem remaneret.* Ea conventio, liberis a socero postea susceptis, et haeredibus testamento relictis, per exceptionem doli proderit (*p*); cum inter contrahentes id actum sit, ut

---

(7) » L'obbligazione fondata sopra una causa illecita, non può » avere alcun effetto » *Leggi civ. art.* 1085.

(m) Res inter alios acta. l. 5 *de trans.* l. 9 §. 3. *eod.*

(n) V. *de leg.*

(8) » Le leggi che interessano l' ordine pubblico, non possono » essere derogate da particolari convenzioni. *Leggi civ. art.* 7.

(o) V. l. 21. *de contrahenda empt.* l. 26. *de rebus dubiis.* l. 99. *de verb. obl.* l. 38 §. 18. *eod.*

(9) » Nel dubbio la convenzione s'interpreta contra colui che » ha stipulato, ed a favore di quello che ha contratto la obbligazio- » ne. *Leggi civ. art.* 1115.

(p) L. 102 *de cond. et dem.* l. 30. C. *de fideicom.* l. 7. C. *de revocandis donat.* l. 2. et 12 *de pactis dotal.*

haeredibus consulatur; et illo tempore, quo pater alios filios non habuit, in fratrem suum judicium supremum contulisse videatur. l. 40. §. ult.

25. In emptionibus scimus quid praestare venditor debeat, quidque ex contrario emptor. Quod si in contrahendo aliquid exceptum fuerit, id servari debebit. l. 43.

26. Inter debitorem et creditorem convenerat, *ut creditor onus tributi praedii pignorati non agnosceret, sed ejus solvendi necessitas debitorem spectaret*; talem conventionem (q) quantum ad fisci rationem, non esse servandam respondi. Pactis etenim privatorum formam juris fiscalis convelli non placuit. l. 42.

27. Cum in eo esset pupillus, ut ab haereditate patris abstineretur, tutor cum plerisque creditoribus decidit, *ut certam portionem acciperent* (idem curatores cum aliis fecerunt) quaero, an et tutor idemque creditor patris eandem portionen retinere debeat (r)? Respondi eum tutorem (s), qui caeteros ad portionem vocaret, eadem parte contentum esse debere. l. 44.

28. Licet sui juris persecutionem (t), aut spem futurae perceptionis deteriorem constituere. l. 46. in (u) fine.

29. Sumptus quidem prorogare litiganti honestum est: pacisci autem, ut non quantitas eo nomine expensa cum usuris licitis restituatur (x), *sed pars dimidia ejus*

(q) V. tit. C. *sine censu vel reliq.*
(r) V. Contra l. 9. *de transact.*
(s) Propter tit. *quod quisque juris* V. l. 59. *de admin. tutor.*
(t) Quid an fieri non damnato. V. Nov. l. 15. *ad leg. falcid.*
(u) V. n. 33.
(x) L. 9 §. 2. *de offic. procons.*

quod ex ea lite datum erit, non licet. l. 53. v. l. 5. *de postul.*

30. (y) Qui in futurum usuras a debitore acceperat, tacite pactus videtur, ne intra id tempus sortem petat. l. 57.

31. Ab emptione, venditione, locatione, conductione, caeterisque similibus obligationibus, quin integris omnibus consensu eorum qui inter se obligati sint, recedi possit, dubium non est. l. 58.

32. (z) Si reus postquam pactus sit *a se non peti pecuniam* (ideoque coepit id pactum fidejussori quoque prodesse) pactus sit, ut a se peti liceat; an utilitas prioris pacti sublata sit fidejussori, quaesitum est? Sed verius est, semel adquisitam fidejussori pacti exceptionem, ulterius ei invito extorqueri non posse. l. ult.

33. (a) Conditionis incertum, inter fratres non iniquis rationibus conventione finitum est. Cum igitur verbis fideicommissi petitum a patre tuo profitearis, ut *si vita sine liberis decederet*, *haereditatem Licinio Frontoni restitueret*; pactum eodem tempore *de sextante Licinio Frontoni dando*, *cum liberos Philinus non sustulerit*, interpositum, non idcirco potest iniquum videri, quod facta sicut placuit divisione, diem suum, te filio ejus superstite, functus esset (b). l. 1. C. *de pactis*.

34. (c) Post venditionem haereditatis a te factam, si creditores contra emptores actiones suas movisse probare poteris, eosque eas spontanea voluntate suscepisse,

---

(y) Usurae possunt ergo in antecessum accipi.

(z) L. 98 §. 8 *de solut.* V. l. 19 *de except.* V. l. 21 §. ult. *eod.*

(a) L. 42 *de acquirendo rerum dominio*. n. 28 b.

(b) L. 11 C. *de transact.* V. n. 37.

(c) V. *de acquir. haered.* n. 33.

exceptione taciti pacti non inutiliter defenderis. l. 2. C. *eod.*

35. (*d*) Si pascenda pecora partiaria, id est, *ut foetus eorum portionibus, quibus placuit, inter dominum et pastorem dividantur*, Apollinarem suscepisse probabitur: fidem pacto praestare per judicem compellatur. l. 8. C. *eod.*

36. (*e*) Pacta novissima servari oportere, tam juris quam ipsius rei aequitas postulat. l. 12. C. *eod.*

37. (*f*) Cum proponas filios testamento scriptos haeredes rogatos esse, *ut qui primus rebus humanis eximeretur, alteri portionem haereditatis restitueret*: quoniam precariam substitutionem fratrum consensu remissam adseris; fideicommissi persecutio cessat. l. 16. C. *eod.* v. l. 11. C. *de transact.*

38. (*g*) Traditionibus et usucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur. l. 20. C. *eod.* (10)

39. (*h*) Circa futuram viventis successionem pacisci illicitum eo non consentiente vel ignorante. l. ult. C. *eod.* (11)

(d) *Socida.*
(e) L. 31. §. ult. *de procurat.*
(f) V. n. 33.
(g) L. 1. §. 1. et l. 2. *pro socio.*
(10) Contra. *Leggi civ. art.* 1428, 2081.
(h) Quod si consenserit, semper tamen revocare poteat. Dic. leg.
(11) Concorda. Ma Nemmeno col consenso di colui della cui eredità si tratta. *Leggi civ. art.* 708, 1084.

TITULUS XV.

De transactionibus.

SUMMARIA.

1. *Transactio fit de re dubia.*
2. *Transactio non visis tabulis, his apparentibus revocatur.*
3. *Transactio cum eo qui se haeredem dicit, vero haeredi nec prodest nec nocet.* (φ)
4. *Aquiliana stipulatio omnes obligationes perimit.*
5. *Aquiliana stipulatio ad lites non pertinet de quibus non est cogitatum.*
6. *Transigi non potest nisi visis tabulis.*
7. *Transactio post rem judicatam non valet nisi appellari potuerit.*
8. *Transactio de alimentis non facile probanda.*
9. *Idem.*
10. *Ex justis causis rescinditur transactio de alimentis.*
11. *De simili jure quaesito post transactionem actio integra est.*
12. *Transactio ultra placita non extenditur.*
13. *Qui dolo adversarii ignorans transigit, non obligatur.*
14. *Transactio de his valet de quibus agitur.*
15. *Transactio cum haerede post venditam ab eo haereditatem liberat debitorem qui venditionis ignarus transegit.*
16. *Etsi quaestio nulla fuit, valet transactio propter metum litis.*
17. *Mandatum agendi non extenditur ad transigendum.*

(φ) Ratio, quia saepe contemptione poenae fit transactio.

18. *Nullus litium finis, si a transactionibus facile discedatur.*
19. *Possunt fratres a fideicommisso invicem liberari per transactionem, etiam minores.*
20. *Transactio non rescinditur propter nova instrumenta, nisi a parte subtracta essent.*
21. *Par judicati transactio.*
22. *Non transigitur nisi aliquo dato vel retento.*
23. *Non stat transactio ex falsis instrumentis, etiam cum jurejurando.*
24. *Error calculi veritati non praejudicat.*

1. Qui transigit, quasi de re dubia, et lite incerta, neque finita transigit (1). Qui vero paciscitur donationis causa, rem certam et indubitatam liberalitate remittit. l. 1.

2. (a) Cum transactio propter fideicommissum facta esset, (et) postea codicilli reperti sunt; quaero an quanto minus ex transactione consecuta mater defuncti fuerit quam pro parte sua est, id ex fideicommissi causa consequi debeat? Respondit debere. l. 3. §. 1. l. 6. *eod.*

3. Debitor cujus pignus creditor distraxit, cum Maevio, qui se legitimum creditoris haeredem esse jactabat, minimo transegit; postea testamento prolato, Septicium haeredem esse apparuit: quaesitum est, si agat pigneratitia debitor cum Septicio, an is uti possit exceptione transactionis factae cum Maevio, qui haeres eo tempore non fuerit: possitque Septicius pecuniam quae Mevio, ut haeredi, a debitore numerata est, condictione

(1) » La transazione è un contratto col quale le parti pongono » fine ad una lite già incominciata, o prevengono una lite che sia » per nascere. *Leggi civ. art.* 1916.

(a) V. C. l. 78 §. ult. *ad Trebellian.*

repetere, quasi sub praetextu haereditatis acceptam? Respondit, secundum ea quae proponerentur, non posse: quia neque cum eo ipse transegit, nec negotium Septicii Maevius gerens accepit. l. 3. §. 2. V. n. 11.(2).

4. Aquiliana stipulatio omnimodo omnes praecedentes obligationes novat et perimit; ipsaque perimitur per acceptilationem: et hoc jure utimur. Ideoque etiam legata sub conditione relicta in stipulationem aquilianam deducuntur. l. 4.

5. Cum aquiliana stipulatio interponitur, quae ex consensu redditur, lites de quibus non est cogitatum, in suo statu retinentur (*b*): liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentium fregit. l. 5. (3)

6. (*c*) De his controversiis, quae ex testamento proficiscuntur, neque transigi, neque exquiri veritas aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti. l. 6. l. 3. *eod.*

7. (*d*) Et post rem judicatam transactio valet, si vel appellatio intercesserit, vel appellare potueris. l. 7.(4)

---

(2) » La transazione è nulla quando essa non riguardi che un » solo oggetto, e resti provato dai documenti nuovamente scoperti » che una delle parti non aveva alcuna ragione sopra lo stesso og» getto. » *Leggi civ. art.* 1929, *n.* 2.

(b) L. 27 §. 4 in fin. *de pactis.*

(3) » Le transazioni non regolano se non le controversie che » vi sono state comprese. » *Leggi civ. art.* 1921.

(c) L. 9 §. 3 h. l. *de his quae ut judic.* V. l. 4. C. *de juris et facti ignorantia.*

(d) Modo appellari possit. l. 23 §. 1. *de condiction. indeb.* * Decisiones adsunt quod nulla transactio sit facta post rem judicatam, cum partes id ignorarent. Ratio, quia post arrestum lis amplius non erat: transactio autem fit super lite.

(4) » È nulla la transazione di una lite che fosse finita con » sentenza passata in giudicato, della quale le parti o una di esse » non avevano notizia. »

» Quando la sentenza ignorata dalle parti fosse ancora appella» bile, la transazione sarà valida. » *Leggi civ. art.* 1928.

Post rem judicatam, etiamsi provocatio non est interposita, tamen si negetur judicatum esse, vel ignorari potest an judicatum sit, quia adhuc lis subesse possit, transactio fieri potest. l. 11.

Si causa cognita prolata sententia, sicut jure traditum est, appellationis, vel in integrum restitutionis solemnitate suspensa non est, super judicato frustra transigi', non opinionis incertae. l. 32. C. *de transact.* V. l. 23 §. 1. ff. *de cond. indeb.*

8. Cum hi, quibus alimenta relicta erant, facile transigerent, contenti modico praesenti; Divus Marcus oratione in senatu recitata efficit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quam (si) auctore praetore facta. Solet igitur praetor intervenire, et inter consentientes arbitrari, an transactio, vel quae admitti debeat. l. 8. Eam transactionem oratio improbat, quae idcirco fit, ut quis repraesentatam pecuniam consumat. l. 8. §. 6.

9. Ejusdem praetoris notio ob transactionem erit, sive habitatio, sive vestiarium, sive de praediis alimentum legabitur. l. 8. §. 1.

10. Vult igitur oratio, apud praetorem de istis quaeri: in primis *de causa* transactionis; dein *de modo*; tertio *de persona* transigentium. In causa hoc erit requirendum, quae *causa* sit transigendi: sine causa enim neminem transigentem audiet praetor. Causae fere hujusmodi solent allegari: si alibi domicilium haeres, alibi alimentarius habeat; aut si destinet domicilium transferre alter eorum; aut si causa aliqua urgeat praesentis pecuniae; aut si a pluribus ei alimenta relicta sint, et minutatim singulos convenire difficile ei sit; aut si qua alia causa fuit, ut plures solent incidere, quae praetori suadeant transactionem admittere. *Modus* quoque pecuniae, quae in transactionem venit, aesti-

mandus est: utputa quantitas transactionis: nam etiam ex modo fides transactionis aestimabitur. Modus autem pro aetate ejus qui transigit, arbitrandus est, et valetudine; nam alias cum puero, alias cum juvene, alias cum sene transigi palam est: constat enim alimenta cum vita finiri. Sed et *personarum contemplatio* habenda est; hoc est, cujus vitae sint hi quibus alimenta relicta sunt: utrum frugi vitae hi sint, qui alias sufficere sibi possint, an sequioris qui de alimentis pendeant. In persona ejus a quo alimenta relicta sunt, haec erunt inspicienda: in quibus sunt facultatibus, cujus propositi, cujus opinionis. Tunc enim apparebit, numquid circumvenire velit eum, cum quo transigit. l. 8. §. 8. 9. 10. 11.

11. (*c*) Qui cum tutoribus suis de sola portione administratae tutelae suae egerat, et transegerat: adversus eosdem tutores ex persona fratris sui, cui haeres extiterat, agens, praescriptione factae transactionis non summovetur. l. 9. v. n. 3. (5)

12. Transactio, quaecumque sit, de his tantum, de quibus inter convenientes placuit, interposita creditur.(6) l. 9. §. 1. v. §. 3.

13. Qui per fallaciam cohaeredis ignorans universa quae in vero erant, instrumentum transactionis sine a-

---

(c) Contra l. 44 *de pactis:* l. 59 *de administrat. tutor.* V. l. 10 *de exceptionib.*

(5) » Colui che ha transatto sopra un diritto suo proprio, se » acquisti in appresso un simile diritto da altra persona, non resta » legato dalla transazione precedente in quanto al diritto nuovamente » acquistato. » *Leggi civ. art.* 1922.

(6) » La transazione non si estende oltre a ciò che ne forma » l'oggetto. » *Leggi civ. art.* 1920.

quiliana stipulatione interposuit (*f*), non tam paciscitur, quam decipitur. l. 9. §. 2. (7)

14. Ei, qui nondum certus ad se querelam contra patris testamentum pertinere, de aliis causis, cum adversariis pacto transegit; tantum in his interpositum pactum nocebit, de quibus inter eos actum esse probatur. His tantum transactio obest, quamvis major annis vigintiquinque eam interposuit (*g*), de quibus actum probatur: nam ea, quorum actiones competere (ei) postea compertum est, iniquum est perimi pacto, id (*h*) de quo cogitatum non docetur. l. 9. §. 3. (8)

15. (*i*) Venditor haereditatis, emptori mandatis actionibus, cum debitore haereditario, qui ignorabat venditam esse haereditatem, transegit; si emptor haereditatis hoc debitum ab eo exigere velit, exceptio transacti negotii debitori propter ignorantiam suam, accommodanda est, l. ult. praeter l. 3. C. *de novat.*

16. Cum te proponas cum sorore tua de haereditate transegisse, et ideo certum pecuniam ei te debere cavisse (*): etsi nulla fuisset quaestio haereditatis, tamen propter timorem litis transactione interposita: pecunia recte causa intelligitur. l. 2. C. *de transact.* (9)

(f) V. l. 78. §. ult. *ad Trebellian.*

(7) » Può rescindersi una transazione in tutti i casi ne' quali » vi sia intervenuto dolo. » *Leggi civ. art.* 1925. *n.* 2.

(g) L. 27 *de pactis.*

(h) V. §. 1. l. 5 6. et 3 h.

(8) » Le transazioni non regolano se non le controversie che » vi sono state comprese. » *Leggi civ. art.* 1931.

(i) Idem et in eo qui fideicommissariam recepit haereditatem, si haeres cum ignorante debitore transegit. Dicta leg. ult. hic. V. l. 70 §. ult. *ad Trebellian.*

(*) Lex 65 §. 1. *de condictione indebit.* ait „ Si lis fuit, hoc ipsum quod a lite disceditur causa videtur esse; sin autem evidens calumnia detegitur, et transactio imperfecta est, repetitio datur.

(9) Vedi la nota 1.

17. Transactionis placitum ab eo interpositum (*k*), cui causae actionem, non decisionem litis mandasti, nihil petitioni tuae derogavit. l. 7. C. *eod.*

18. Nullus erit litium finis, si a transactionibus bona fide interpositis coeperit facile discedi. l. 10. in f. C. *eod.*

19. De fideicommisso a patre inter te et fratrem tuum vicissim dato, si alter vestrum sine liberis excesserit vita, interposita transactio rata est. Cum fratrum concordia (*l*), remoto captandae mortis alterius voto improbabili, retinetur. Et non potest eo casu rescindi, tanquam circumventus sis, cum pacto tali consenseris, neque eam cui subveniri solet aetatem agere te proponas. Nec si ageres, iisdem illis de causis in integrum restitutionis auxilium impetrare deberes. l. 11. C. *eod.* V. l. 16. C. *de pact.*

20. Sub praetextu instrumenti post reperti, transactionem bona fide finitam rescindi jura non patiuntur. Nisi cum eo transactum sit, qui instrumentum, quo veritas argui potuit, subtraxerat. l. 19. C. *eod.*

Sub praetextu specierum post repertarum, generali transactione finita, rescindi prohibent jura. l. 29. C. *eod.* (10).

21. Non minorem auctoritatem transactionum, quam rerum judicatarum esse recta ratione placuit. l. 20. C. *eod.* (11)

(*k*) L. 60 *de procuratorib.*

(*l*) L. 1. *de pactis.*

(10) » Allorchè le parti hanno transatto generalmente sopra tutti » gli affari che potessero esservi tra loro, i documenti che loro erano ignoti in quel tempo, e che posteriormente sieno stati scoperti, » non costituiscono una causa di rescissione; purchè non sieno stati » occultati per fatto di una delle parti medesime. » *Leggi civ. art.* 1929.

(11) » Le transazioni hanno fra le parti l'autorità di una sentenza inappellabile. » *Leggi civ. art.* 1924.

22. (*m*) Transactio nullo dato, vel retento, seu promisso, minime procedit. l. 38. C. *eod.*

23. (*n*) Si ex falsis instrumentis transactiones vel pactiones initae fuerint, quamvis jusjurandum de his interpositum sit (*o*), etiam civiliter falso revelato, eas retractari praecipimus. l. penult. C. *eod.* l. 1. et seq. C. *si ex fals. instr.* (12)

24. (*p*) Error calculi numquam veritati facit praejudicium. l. un. C. de err. cal. (13)

(*m*) Contra. Cum quis liti renuntiat, et petitionem derelinquit pacto interposito rerum, hoc casu dat quod petit, et is a quo petebatur, retinet.

(n) V. l. 29. §. *de minor.*

(o) Si de pluribus causis vel capitulis transactiones initae sint, illa tantum causa vel pars retractetur quae ex falso instrumento composita fuerit, aliis capitulis firmis manentibus. Nisi etiam de eo quod falsum dicitur, controversia orta decisa sopiatur, dict. leg. penult. Nota, utile per inutile vitiari. V. Gotof. Nota, transigi hic de falso. Contra l. 18. C. de *transaction.* ubi dicitur: transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est; in aliis autem publicis criminibus, quae sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem. V. l. ult. *de praevaricator.* Cujacius 6 obs. 12.

(12) „ La transazione fatta sopra documenti che si sono in se„ guito riconosciuti falsi, è interamente nulla. „ *Leggi civ. art.* 1927.

(p) Porro quid sit error calculi. V. l. 1 §. 1. Quae sententiae sine appellat. Error calculi non praescribitur, (l. 8. *de administratione rerum ad civitatem pertinentium*) per viginti annos Error calculi praescribitur per triginta annos. 1. Sibi imputare debet qui errorem passus est, nec detexit. 2. Bonae fidei est qui hoc errore juvatur. 3. Praescriptio triginta annorum currit adversus ignorantes et tituli vicem subit. 4. Glossa ad leg. unic. C. *de errore calculi*, hanc praescriptionem tuetur. Revera error qui in rationibus obrepit non purgatur per ipsas rationes, sed lex post triginta annos actionem denegat. V. Cujacium ad l. 2 C. *de jure fisci.* l. 3 §. 1 *de divers. et tempor. praescrip.* l. 2. C. *de re judicata.*

(13) „ L'errore di calculo caduto in una transazione debbe „ esser corretto. *Leggi civ. art.* 1930.

TITULUS I.

De postulando.

SUMMARIA.

1. *Postulant actor et reus causam agentes coram magistratu.*
2. *Dantur advocati non habentibus.*
3. *Coecus magistratum retinet non adipiscitur.*
4. *Affinitates praesentes spectandae, non quae fuerunt.*
5. *Tempus poena non porrigitur.*
6. *Alicubi infamis ubique infamis.*
7. *Advocatus fisci contra fiscum causam agere potest pro se, liberis, parentibus, et pupillis quorum tutor sit.*
8. *Defensor idem utriusque partis in eadem causa, varia ratione.*
9. *Illicitum pactum de quota litis,*
10. *Officium advocatorum.*
11. *A parte prolatum censetur, quod advocatus profert ea praesente.*
12. *Supplet judex ex jure, quod a partibus et advocatis est omissum.*

1. Postulare est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum qui jurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. l. 1. §. 2.

2. (a) Ait praetor, *si non habebunt advocatum, ego*

(a) V. l. 9. §. 5. *de offic. proconsul.*

dabo. d. l. §. 4. Hanc humanitatem praetor solet exhibere, si quis sit qui certis ex causis, vel ambitione adversarii, vel metu, patronum non invenit. l. 1. §. 4. (1).

3. Quamvis coecus pro alio postulare non possit, tamen et senatorium ordinem retinet, et dijudicandi officio fungetur. Numquid ergo et magistratus gerere possit? Sed de hoc deliberabimus: extat quidem exemplum ejus qui gessit. Appius denique Claudius coecus consiliis publicis intererat, et in senatu severissimam dixit sententiam de Pirrhi captivis. Sed melius est ut dicamus, retinere quidem jam coeptum magistratum posse, adspirare autem ad novum penitus probiberi; idque multis comprobatur exemplis. l. 1. §. 5. in fine.

4. Adfinitates non eas accipere debemus, quae quondam fuerunt, sed praesentes. l. 3. §. 1.

5. Imperator Titus Antoninus rescripsit, eum cui advocationibus in quinquennio interdictum esset, post quinquennium pro omnibus postulare non prohiberi: divus quoque Hadrianus rescripserat, de exilio reversum postulare posse, nec adhibetur distinctio quo crimine silentium, vel exilium sit irrogatum, ne scilicet (*b*) poena tempore determinata contra sententiae fidem ulterius porrigatur. l. 8. V. l. 3. §. 1. ff. *de decur*.

6. Ex ea causa prohibitus pro alio postulare, quae infamiam non irrogat, ideoque jus pro omnibus postulandi non aufert: in ea tantum provincia pro aliis non recte postulat, in qua praeses fuit qui sententiam di-

(1) „ Se l'accusato non avesse scelto il suo difensore precedentemente all' atto di accusa, gli sarà assegnato di uffizio. „ *Leggi di proc. pen. art.* 170.

(b) L. 9. *de poenis*.

xit: in alia vero non prohibetur, licet ejusdem nominis sit. l. 9.

7. Hi qui fisci causas agunt, suam, vel filiorum, et parentum suorum, vel pupillorum quorum tutelas gerunt, causam et adversus fiscum agere non prohibentur. l. 10.

8. A principe nostro rescriptum est, non prohiberi tutorem adesse pupillo in negotio, in quo advocatus contra patrem ejus fuisset. Sed et illud permissum ab eo est, agere tutorem pupilli causam adversus fiscum, in qua adversus patrem pupilli antea advocatus fisci fuisset. l. ult.

9. (c) Arceantur a professione advocatorum, qui de certa litis parte pacti fuerint. l. 5. C. *de postul.* (2)

10. *Abstineant advocati a conviciis; ratione, non probris certent; agant quod causa desiderat; litem ex industria non protrahant; oblatum a partibus honorarium non aspernentur.* (*d*) ex l. 6. C. de postul.

11. Ea quae advocati praesentibus his quorum causae aguntur, allegant; perinde habenda sunt, ac si ab ipsis dominis litium proferantur. l. 1. C. *de err. advoc.*

12. Non dubitandum est judicem, si quid a litigatoribus, vel ab his qui negotiis assistunt minus fuerit dictum, id supplere et proferre quod sciat legibus et juri publico convenire. l. un. C. *ut quae des. adv. part. jud. suppl.*

(c) V. l. 9 §. 2. *de offic. proconsulis.* l. 53. *de pactis.*

(2) „ L' avvocato o patrocinatore che pattuisca in premio delle „ sue fatiche una parte dell' oggetto controverso, sarà punito colla „ interdizione del suo uffizio da due a cinque anni. „ *Leggi pen. art.* 207.

(d) V. l. 2. §. 12. *de extraordin. cognit.*

TITULUS II.

De his qui notantur infamia.

SUMMARIA.

1. *Missio ab exercitu ignominiae causa, ars ludicra, lenocinium, calumnia et praevaricatio in publico judicio infamia notant.*
2. *Fatetur crimen qui paciscitur.*
3. *Appellatio suspendit notam infamiae.*
4. *Haeres tutoris non est tutor, nec haeres socii socius est.*
5. *Poena quae modum excedit existimationem servat.*
6. *Stellionatus damnati infames sunt.*
7. *Potest pudor onerari sine ignominia.*
8. *Bonis cedens non fit infamis.*
9. *Patris in testamento increpatio, etsi non infamat, existimationem onerat.*
10. *Ob calumniam notatus fit infamis.*

1. (*a*) Infamia notatur qui ab exercitu, ignominiae causae, ab imperatore, eove cui de ea re statuendi potestas fuerit, dimissus erit. Qui artis ludicrae, pronunciandive causa in scenam prodierit; qui lenocinium fecerit; qui in judicio publico calumniae praevaricationisve causa quid fecisse judicatus erit, infamia notantur. l. 1.

2. (*b*) Intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. l. 5.

(a) L. 3. Qui opera locavit nec prodiit in scenam, non notatur: quia ea res non est adeo turpis. * Quid de nobili viro, qui fundum conducit at non illum excolit, derogat ne id? consule usus locorum.

(b) Etsi pretio pactus sit, ne alias nullus esset veniae locus. l. 6. §. 3, l. 18 C. *ex quib. caus. irrog.*

3. Sed si furti, vel aliis famosis actionibus quis condemnatus provocavit, pendente judicio nondum inter famosos habetur. Si autem omnia tempora provocationis lapsa sunt (*), retro infamis est; quamvis si injusta appellatio ejus visa sit, hodie notari puto, non retro notatur. l. 6. §. 1.

4. Haeres neque in tutelam, neque in societatem succedit(**), sed tantum in aes alienum defuncti. l. 6. §. 6. in fine.

5. Poena gravior ultra legem imposita, existimationem conservat; ut et constitutum est, et responsum: ut puta, si eum qui parte bonorum mulctari debuit, praeses relegaverit, dicendum erit duriori sententia cum eo transactum de existimatione ejus, idcircoque non esse infamem. l. 13. §. 7.

Quoniam sententiae severitas cum caeteris damnis transigere videtur. l. 4. in f. C. *ex quibus caus. inf. irrog.*

6. Crimen stellionatus infamiam irrogat damnato, quamvis publicum non est judicium. l. 13. §. ult.

7. Ob haec verba sententiae praesidis provinciae, *callido commento videris (c) accusationis instigator fuisse (d)*: pudor potius oueratur, quam ignominia videtur irrogari (e). l. 20.

8. (f) Debitores qui bonis cesserint, licet ex ea cau-

(*) Lex 1. §. ult. *ad senatusconsul. Turpil.* hanc reddit rationem: quia provocationis remedio condemnationis extinguitur pronuntiatio. Unde in criminalibus agitur ex confirmante non ex confirmato.

(**) Cum de tertia utilitate in contractu agitur, ut in locatione, tum haeres ad defuncti obligationem succedit.

(c) Modus pronuntiandi Romanorum.

(d) Non enim qui exhortatur mandatoris opera fungitur.

(e) Hic non erat accusator, sed accusatoris instigator. V. l. 47. *de re judicata.*

(f) L. 21 C. *eod.* Si fratres tui minores ludicrae artis ostentatione prodierunt, non sunt infames. * Quid de minori, qui actum derogationis fecerit?

sa bona eorum venierint, infames non fiunt. l. 11. C. *ex quib. caus. inf. irrog.*

9. Ea quae pater testamento suo filios increpans, scripsit, infames quidem filios jure non faciunt: sed apud bonos et graves opinionem ejus, qui patri displicuit, onerant. l. 13. C. *eod.*

10. (*) Ut calumniatorem notatum, esse famosum manifestum est. l. 13. C. *eod.*

TITULUS III.

De procuratoribus et defensoribus.

SUMMARIA.

1. *Procurator est qui mandata gerit.*
2. *Procurator vel omnium rerum, vel quarumdam.*
3. *Usus procuratorum necessarius.*
4. *Prior procurator posteriore constituto prohibetur.*
5. *Procuratorum in diem qui prior occupat caeteros excludit.*
6. *Procurator ad agendum defendere debet.*
7. *Impendia procuratori restituenda.*
8. *Procurator domini conditionem non potest facere deteriorem.*
9. *Ibi defendi debet tutor, ubi gessit.*
10. *Procurator ex mandato generali potest exigere, permutare, solvere.*
11. *Non potest transigere.*
12. *Nec alienare nisi quae facilè corrumpuntur.*

1. Procurator est qui aliena negotia mandatu domini administrat. l. 1.

(*) Lex 21 *de his qui notantur infam.* ait » Quando testimonium reprobatum est et accusator causa cecidit, testatores non habentur infames, quia non oportet alium aliena sententia praegravari. *Id applicatur ad notarios, quorum testamentum falsum declaratum fuit; de eo ipsi pleno jure non convincuntur.*

2. Procurator autem vel omnium rerum, vel unius rei esse potest. l. 1. §. 1. (1)

3. (*) Usus autem procuratoris perquam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt (a), per alios possint vel agere, vel conveniri. l. 1. §. 2.

4. Julianus ait, eum qui dedit diversis temporibus procuratores duos, posteriorem dando, priorem prohibuisse videri. l. 31. §. ult. V. *de pactis.* n. 36. (2)

5. (b) Pluribus procuratoribus in solidum simul datis, occupantis melior conditio erit; ut posterior non sit in eo quod prior petit, procurator. l. 32.

6. (c) Æquum praetori visum est, eum qui alicujus nomine procurator experitur, eundem etiam suscipere defensionem. l. 33. §. 4.

7. (*) Litis impendia bona fide facta vel ab actoris procuratore vel a rei, debere ei restitui aequitas suadet. l. 46. § 6. (3)

---

(1) „ Il mandato è speciale o per un affare, o per certi affari „ solamente; ovvero è generale per tutti gli affari del mandante. *Leggi civ. art.* 1859.

(*) Lex 11. *de doli mali et metus exceptione* ait Litis contestatione res procuratoris, ait, eamque suo jam quodammodo nomine exequitur.

(a) L. 29. Si actor malit dominum potius convenire, quam eum, qui in rem suam procurator est: dicendum est ei licere. * Inde est, ut cedens maneat in causa et cessionarius possit solum intervenire, et non reprehendere.

(2) „ La costituzione di un nuovo procuratore per lo stesso af- „ fare produce la revocazione del primo dal giorno in cui si è a „ questo notificata „ *Leggi civ. art.* 1878.

(b) L. 24 §. 1 f. n. 4 *de administratione et periculo tutor.*

(c) L. 39. §. 2. ait. Nec illis verbis *ad quem ea res pertinet,* creditores contineri.

(*) Lex 46 §. 4 ait: Si per errorem aut injuriam judicis procurator non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debet. V. contra. l. 52 *de heredit. petit.*

(3) Concorda. *Leggi civ.* 1871; leggi di *proc. civ.* art. 224, 634.

8. Ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri non debet. l. 49. (4)

9. Tutores qui in aliquo loco administraverunt, eodem loco et defendi debent. l. 54. §. 1.

10. (d) Procurator cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare; sed et id quoque ei mandari videtur, ut solvat creditoribus. l. 58. et l. 59.

11. (e) Mandato generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam: et ideo si postea is qui mandavit, transactionem ratam non habuit, non posse eum repelli ab actionibus exercendis. l. 60. (5)

12. Procurator totorum bonorum, cui res administrandae mandatae sunt, res domini neque mobiles vel immobiles, neque servos, sine speciali domini mandato alienare potest; nisi fructus, aut alias res quae facile corrumpi possunt. l. 63.

---

(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 1863, 1864, 1866.

(d) V. l. 12 *de solution.*

(e) Diminuendi. Cujac. V. l. 46 §. ult. *de administratione et periculo tutor.* V. *de transact.* n. 17.

(5) Concorda. *Leggi civ. art.* 1860; *leggi di proc. civ. art.* 444.

TITULUS IV.

Quod cujuscunque universitatis nomine, vel contra eam agatur.

SUMMARIA.

1. *Collegia et corpora illicita sunt, si non permittantur.*
2. *Collegiis res comunes et actorem habere licet.*
3. *Actor universitatis non est actor singulorum.*
4. *Civitatis nomine agit cui aut lex aut ordo permittit.*
5. *Numerum implet qui eligitur.*
6. *Suffragium patris filio prodest : et contra.*
7. *Interest quo nomine quis agat.*
8. *Non est singulorum quod est universitatis.*
9. *Universitas stat in uno superstite.*

1. (*a*) Neque societas ; neque collegium, neque hujusmodi corpus passim omnibus haberi conceditur : nam et legibus, et senatusconsultis, et principalibus constitutionibus ea res coercetur. l. 1.

2. Quibus autem permissum est corpus habere collegii, societatis, sive cujusque alterius eorum nomine, proprium est, ad exemplum reipublicae, habere res comunes, arcam comunem, et actorem sive syndicum per quem tamquam in republica, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat. l. 1. §. 1.

3. (*b*) Si municipes, vel aliqua universitas ad agendum det actorem, non erit dicendum quasi a pluribus

(*a*) L. 1 et 3. *de collegiis et corporibus.*
(*b*) L. 6 §. 1 *de rerum divisione.* l. 10 §. 4. *de in jus vocando.*

datum sic haberi: hic enim pro republica vel universitate intervenit, non pro singulis. l. 2.

Nulli permittetur nomine civitatis vel curiae experiri, nisi ei cui lex permittit, aut lege cessante ordo dedit, cum duae partes adessent aut amplius quam duae l. 3.

5. Plane ut duae partes decurionum adfuerint, is quoque quem decernent, numerari potest. l. 4.

6. (c) Illud notandum, Pomponius ait, quod et patris suffragium filio proderit; et filii, patri. l. 5.

7. Item eorum qui in ejusdem potestate sunt: quasi decurio enim hoc dedit, non quasi domestica persona. Quod et in honorum petitione erit servandum, nisi lex municipii, vel perpetua consuetudo prohibeat. l. 6.

8. (d) Si quid universitati debetur, singulis non debetur: nec quod debet universitas, singuli debent. l. 7. §. 1.

9. In decurionibus, vel aliis universitatibus nihil refert utrum omnes idem maneant, an pars maneat, vel omnes immutati sint (e). Sed si universitas ad unum redit, magis admittitur posse eum convenire et conveniri: cum jus omnium in unum reciderit, et stet nomen universitatis. l. 7. §. 2.

(c) Quia in publicis causis filius est loco patrisfamilias. l. 9 *de his qui sui vel alieni juris sunt.*

(d) V. l. 2 h. l. 6 §. 1. *de rerum divis.*

(e) L. 76 *de judiciis et ubi quisque agere, vel conveniri debeat.*

TITULUS V.

De negotiis gestis.

SUMMARIA

1. *Utilitas defensionis absentium.*
2. *Ex gestu utrinque oritur actio.*
3. *Interdum dolus solum praestatur a gestore.*
4. *Error non prodest.*
5. *Gestor tenetur de omissis, si ea debuit gerere.*
6. *Judex supplet quae sunt aequitatis.*
7. *Semel probata non possunt reprobari.*
8. *Eventus gestori non nocet.*
9. *Non habet actionem qui inutile aut oneraturum adgreditur.*
10. *De dolo et culpa etiam levi tenetur gestor: interdum de casu veluti si novum negotium pro absente gerat. Quo casu lucrum absentem sequitur; damnum gestorem pensato lucro.*
11. *Gestor suo periculo repetat pecuniam quam debui in solutum dare creditoribus: nisi justa intervenerit causa reponendi.*
12. *Habenda ratio personarum in judiciis.*
13. *Gestor non praescribit adversus dominum.*
14. *Usuras debet gestor, et ei debentur, ex circumstantiis.*
15. *Domino mortuo, gestor inchoata explicat: nova non inchoat.*
16. *De culpa gestoris tenetur is cujus mandatu aliena gessit.*
17. *Gestor qui utiliter gessit non tenetur de casu, nisi ejus culpa contigerit, aut ita convenerit.*

18. *Non animo gestoris agit qui pietatis causa impendit.*
19. *De alimentis quae avia nepoti praestitit ex circumstantiis statuendum.*
20. *Tutor aut magistratus qui pecuniam ex administratione in usus suos convertunt, usuras praestant. Gratuitam fidem praestare debent tutor et magistratus.*
21. *Solvere quis pro alio potest etiam invito.*
22. *Sumptus repetit gestor, et usuras.*

1. Hoc edictum necessarium est: quoniam magna utilitas absentium versatur, ne indefensi rerum possessionem, aut venditionem patiantur, vel pignoris distractionem, vel poenae committendae actionem, vel injuria rem suam amittant. l. 1.

Ait praetor: *Si quis negotia alterius, sive quis negotia quae cujusque, cum is moritur, fuerint, gesserit, judicium eo nomine dabo.* l. 3.

2. Si quis absentis negotia gesserit, licet ignorantis; tamen quidquid utiliter in rem ejus impenderit, vel etiam ipse se in re absentis alicui obligaverit, habeat eo nomine actionem. Itaque eo casu ultro citroque nascitur actio, quae appellatur *negotiorum gestorum.* Et sane, sicut aequum est, ipsum actus sui rationem reddere, et eo nomine, condemnari quidquid vel non ut oportuit gessit, vel ex his negotiis retinet; ita ex diverso justum est, si utiliter gessit, praestare ei, quidquid eo nomine vel abest ei, vel abfuturum est. l. 2.

3. Interdum in negotiorum gestorum actione Labeo scribit, dolum solummodo versari: nam si affectione coactus ne bona mea distrahantur, negotiis te meis obtuleris; aequissimum esse, dolum dumtaxat te praestare: quae sententia habet aequitatem. l. 3. §. 9.

4. Sed et si cum putavi Titii negotia esse, cum essent Sempronii, ea gessi; solus Sempronius mihi actione negotiorum gestorum tenetur. l. 5. §. 1.

5. Videamus in persona ejus qui negotia administrat: si quaedam gessit, quaedam non; contemplatione tamen ejus alius ad haec non accessit: et si vir diligens, quod ab eo exigimus, etiam ea gesturus fuit; an dici debeat negotiorum gestorum eum teneri (et) propter ea quae non gessit? quod puto verius. l. 6 §. 12 (1).

Tutori vel curatori similis non habetur, qui citra mandatum negotium alienum sponte gerit. Quippe superioribus quidem necessitas muneris administrationis finem, huic autem propria voluntas facit (a): ac satis abundeque sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur. l. 20. C. *de neg. gest.* (2).

6. (*) Tantumdem in bonae fidei judiciis officium judicis valet, quantum in stipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio. l. 7.

7. (*) Reprobare non possum semel probatum: et quemadmodum quod utiliter justum est, necesse est apud judicem pro rato haberi; ita omne quod ab ipso probatum est. l. 9.

8. (*b*) Is autem qui negotiorum gestorum agit, non

---

(1) » Il mandatario è tenuto pei danni ed interessi risultanti » dal suo inadempimento. *Leggi civ. art.* 1863.

(a) L. 17 § 3 D. *commod.*

(2) » Il mandante non è tenuto per ciò che il mandatario » avesse fatto oltre le facoltà che gli ha date. *Leg. civ. art.* 1870.

(*) Inde est ut renunciationes subintelligantur in judicio, et venditio censetur facta tuta pecunia. V. l. 8. Hic *de praescriptione*.

(*) Exceptiones rei petitorem sua actione depellentis.

(b) V. l. 3. §. 6. 7. *de in rem verso*. l. 8. Si negotiorum gestor ex causa fuit obligatus quae tempore finiebatur, et tempore liberatus est, nihilominus actione negotiorum gestorum erit obligatus. l. 19 h.

solum si effectum habuit negotium quod gessit, actione ista utetur, sed sufficit si utiliter gessit (c), etsi effectum non habuit negotium. Et ideo, si insulam fulsit, vel servum aegrum curavit, etiamsi insula exusta est vel servus obiit (d); aget negotiorum gestorum: idque et Labeo probat. l. 10. §. 1.

9. Is enim negotiorum gestorum (inquit) habet actionem, qui utiliter negotia gessit: non autem utiliter negotia gerit, qui rem non necessariam, vel quae oneratura est patremfamilias, adgreditur. l. 10. §. 1.

10. Si negotia absentis et ignorantis geras, et culpam et dolum praestare debes. Sed Proculus, interdum etiam casum praestare debere; veluti si novum negotium, quod non sit solitus absens facere, tu nomine ejus geras; veluti venales novicios coemendo, vel aliquam negotiationem ineundo: nam si quid damnum ex ea re secutum fuerit, te sequetur; lucrum vero, absentem. Quod si in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnum; absens pensare lucrum cum damno debet. l. 11.

(*) Non tantum dolum et latam culpam, sed et levem praestare necesse habet (negotiorum gestor). l. 20. C. *de negot. gest.*

(c) L. 38 *de haereditatis petitione*. V. l. 3. §. 8 *de contraria tutelae et utili actione.*

(d) Lex valde utilis medicis.

(*) Lex 23 §. 1 *pro socio* ait: Idem quaerit an commodum quod per admissum socium accessit compensari cum damno quod culpa praecessit debeat, et ait compensandum, quod non est verum. Nam Marcellus scribit: si servus unius ex sociis societati a domino praepositus negligenter versatus sit, dominum societati qui proposuerit praestaturum, nec compensandum commodum quod per servum societati accessit, cum damno, et ita D. Marcum pronuntiasse; nec posse dici socio. Abstine commodo quod per servum accessit si damnum petis. V. leg. 25 et 26 *pro socio.*

11. Debitor meus, qui mihi quinquaginta debebat, decessit: hujus haereditatis curationem suscepi, et impendi decem: deinde redacta ex venditione rei haereditariae centum in arca reposui: haec sine culpa mea perierunt. Quaesitum est, an ab haerede, qui quandoque existisset, vel creditam pecuniam quinquaginta petere possim, vel decem quae impendi? Julianus scribit, in eo verti quaestionem, ut animadvertamus an justam causam habuerim seponendorum centum: nam si debuerim et mihi et caeteris haereditariis creditoribus solvere, periculum non solum sexaginta, sed et reliquorum quadraginta (millium) me praestaturum; decem tamen quae impenderim retenturum, id est, sola nonaginta restituenda. Si vero justa causa fuerit, propter quam integra centum custodirentur; veluti si periculum erat, ne praedia in publicum committerentur, ne poena trajectitiae pecuniae augeretur, aut ex compromisso committeretur; non solum decem quae in haereditaria negotia impenderim, sed etiam quinquaginta quae mihi debita sunt, ab haerede me consequi posse. l. 13.

12. Pro qualitate personarum et actio formatur, et condemnatio moderatur. l. 15. in fine.

13. (e) Is qui temporali actione tenebatur, etiam post tempus exactum negotiorum gestorum actione id praestare cogitur. l. 19 (3).

14. Non tantum sortem, verum etiam usuras ex pecunia aliena perceptas negotiorum gestorum judicio

(e) Debuit enim a seipso exigere. l. 8 h. V. l. 9 §. 1 *de administratione et periculo tutorum.*

(3) » Coloro che posseggono in nome altrui, non possono mai » prescrivere per qualunque corso di tempo. *Leggi civ. art.* 2142.

praestabimus; vel etiam quas percipere potuimus. Contra quoque usuras quas praestavimus, vel quas ex nostra (*f*) pecunia percipere potuimus, quam in aliena negotia impendimus, servabimus negotiorum gestorum judicio. l. 19. §. 4. l. 18. C. *eod.* (4).

15. Si vivo Titio negotia ejus administrare coepi, intermittere mortuo eo non debeo: nova tamen inchoare necesse mihi non est; vetera explicare, ac conservare necessarium est, ut accidit cum alter ex sociis mortuus est: nam quaecunque prioris negotii explicandi causa gerentur, nihilum refert quo tempore consumentur, sed quo tempore inchoarentur. l. 21 §. 2 (5).

16. Mandatu tuo negotia mea Lucius Titius gessit: quod is non recte gessit, tu mihi actione negotiorum gestorum teneris: non in hoc tantum ut actiones tuas praestes, sed etiam quod imprudenter, cum elegeris, ut quidquid detrimenti negligentia ejus fecit; tu mihi praestes. l. 21. §. 3. (6).

17. Sive haereditaria negotia, sive ea quae alicujus essent, gerens aliquis, necessario rem emerit; licet ea interierit, poterit quod impenderit judicio negotiorum gestorum consequi; veluti si frumentum aut vinum familiae paraverit (*g*), idque casu quodam interierit,

---

(f) V. l. 24 *depositi vel contra.* et 25 l. 6 §. 1 *de pigneratitia actione, vel contra.* l. 1 §. 1 *de usuris*; l. 18 §. 3 *familiae erciscundae.* l. 52 §. 10 Bon. et 67 §. 2 *pro socio.* l. 10 §. 3 12 §. 9 *mandati vel contra.*

(4) » Il mandante dee al mandatario gl' interessi delle somme » che costui ha anticipate. *Leggi civ. art.* 1868, 1873.

(5) » Il mandato si estingue per la morte del mandante.
» Il mandatario è tenuto a terminar l' affare che trovavasi già » incominciato allorchè morì il mandante, se dal ritardo possa derivarne pericolo. *Leggi civ. art.* 1875, 1863.

(6) » Il mandatario è tenuto per colui che ha sostituito nella » sua incumbenza. *Leggi civ. art.* 1866.

(g) V. l. 10 §. 1.

forte incendio, ruina. Sed ita scilicet hoc dici potest, si ipsa ruina vel incendium sine vitio ejus acciderit: nam cum propter ipsam ruinam aut incendium damnandus sit (*h*), absurdum est eum istarum rerum nomine, quae ita consumptae sunt, quicquam consequi. l. 22.

Negotium gerentes alienum, non interveniente speciali pacto, casum fortuitum praestare non compelluntur. l. 22. C. *eod.*

18. Titium, si pietatis respectu sororis aluit filiam, actionem hoc nomine contra eam non habere respondi. l. 27. §. 1.

19. Nesennius Apollinaris Julio Paulo salutem. Avia nepotis sui negotia gessit (*i*). Defunctis utrisque, aviae haeredes conveniebantur a nepotis haeredibus negotiorum gestorum actione: reputabant haeredes aviae alimenta praestita nepoti. Respondebatur, aviam jure pietatis de suo praestitisse; nec enim aut desiderasse ut decernerentur alimenta, aut decreta essent: praeterea constitutum esse dicebatur, ut si mater aluisset, non posset alimenta quae pietate cogente de suo praestitisset, repetere. Ex contrario dicebatur, tunc hoc recte dici, ut de suo aluisse mater probaretur; at in proposito aviam quae negotia administrabat, verisimile esse de re ipsius nepotis eum aluisse. Tractatum est, nunquid utroque patrimonio erogata videantur? Quaero quid tibi justius videatur? Respondi, haec disceptatio in factum constitit. Nam et illud quod in matre con-

---

(*h*) Quod contra aliquem juratum est, ei adhuc nocet in alia causa.

(*i*) V. l. 50. *familiae erciscundae.* l. 14 §. 7 *de religiosis et sumptibus funerum.* l. 5 §. 14 *de agnoscendis et alendis liberis.*

stitutum est, non puto ita perpetuo observandum. Quid enim si etiam protestata est (l), se filium ideo alere, ut aut ipsum, aut tutores ejus conveniret? Pone peregre patrem ejus obiisse, et matrem, dum in patriam revertitur, tam filium, quam familiam ejus exhibuisse; in qua specie etiam in ipsum pupillum negotiorum gestorum dandam actionem divus Pius Antoninus constituit. Igitur in re facti facilius putabo, aviam vel haeredes ejus audiendos, si reputare velint alimenta: maxime etiam, si in rationem impensarum ea retulisse aviam apparebit. Illud nequaquam admittendum puto, ut de utroque patrimonio erogata videantur. l. 34.

20. Ubi quis ejus pecuniam cujus tutelam negotiave administrat, aut magistratus municipii publicam, in usus suos convertit, maximas usuras praestat, ut est constitutum a divis principibus. l. 38. nam (tutor et magistratus) cum gratuitam, certe integram, et abstinentem omni lucro praestare fidem deberent. d. l. 38. (7).

21. Solvendo quisque pro alio, licet invito et ignorante, liberat eum: quod autem alicui debetur, alius sine voluntate ejus non potest jure exigere. Naturalis enim simul et civilis ratio suasit, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis et inviti nos facere posse; deteriorem non posse. l. 39. (8).

22. Quae utiliter in negotia alicujus erogantur, in quibus est etiam sumptus honeste ad honores per gra-

(l) L. 16 in fine *de senatusconsulto Macedoniano*.
(7) Concorda. *Leggi civ. art.* 378, 1868.
(8) Concorda. *Leggi civ. art.* 1189, n. 2.

dus pertinentes factus, actione negotiorum gestorum peti possunt (c). l. 45.

(d) Ob negotium alienum gestum, sumptuum factorum usuras praestari bona fides suasit; quo jure contra eos etiam, quorum te necessitate compulsum negotium gessisse proponis, per judicium negotiorum gestorum uteris. l. 18. C. *de neg. gest.* (9).

TITULUS VI. *De calumniatoribus.*

(c) V. l. ult. et Duperier. l. 3 q. 1 ubi is dicit, intentandam actionem realem ante personalem. V. infra *mandati vel contra*, n. 10 l. 45. §. 1 *de actionibus empti et venditi*, n. 19 in fine. l. 12 §. 6. *Qui potiores in pignore*. l. 5 §. 3 *mandati vel contra*.

(d) Lex 49 quae est ultima, ait: Si rem quam servus venditus subripuisset a me venditore, emptor vendiderit, eaque in rerum natura esse desierit, de pretio negotiorum gestorum actio mihi danda sit: ut dari deberet, si negotium quod tuum esse existimares cum esset meum, gessisses. V. l. 13 §. 1 *de minoribus viginti quinque annis*.

(9) Vedi la nota 4[illegible]

LIBER QUARTUS.

TITULUS I.

De in integrum restitutionibus.

SUMMARIA.

1. *Lapsis aut circumscriptis subvenitur ex justa causa.*
2. *Si ob levem causam majori fiat praejudicium, non erit restitutio.*
3. *Haeres in integrum restituetur.*
4. *Æquitatis ratione subveniendum.*
5. *Deceptis sine culpa sua succurrendum.*

1. Sub hoc titulo plurifariam hominibus praetor vel lapsis, vel circumscriptis subvenit sive metu, sive calliditate, sive aetate, sive absentia inciderunt in captionem. l. 1.

Omnes in integrum restitutiones, causa cognita, a praetore promittuntur: scilicet, ut justitiam earum causarum examinet, an verae sint, quarum nomine singulis subvenit. l. 3.

2. Scio illud a quibusdam observatum, ne propter satis minimam rem, vel summam, si majori rei vel summae praejudicetur, audiatur is qui in integrum restitui postulat. l. 4.

3. Non solum minoris, verum eorum quoque qui reipublicae causa abfuerunt, item omnium qui ipsi po-

tuerunt restitui in integrum, successores in integrum restitui possunt: et ita saepissime est constitutum. l. 6.

4. Divus Antoninus Marcio Avito praetori de succurrendo ei qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit (a): *Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus; tamen ubi aequitas evidens poscit, subveniendum est. Itaque si citatus non respondit, et ob hoc more pronunciatum est, confestim autem pro tribunali te sedente adiit; existimari potest non sua culpa, sed parum exaudita voce praeconis defuisse: ideoque restitui potest.* l. 7.

5. Deceptis sine culpa sua, maxime si fraus ab adversario intervenerit, succurri oportebit. l. 7. §. 1.

(a) L. 8. Si quis cautionibus in judicio.

TITULUS II.

Quod metus causa gestum erit.

SUMMARIA.

1. *Metu factum ratum non habetur.*
2. *Vis est impetus qui repelli habetur.*
3. *Vis non dicitur dum jure cogit magistratus.*
4. *Metus accipitur majoris malitatis : non vanus timor.*
5. *Mortis aut vinculorum metus, licet ex crimine, ad hoc edictum pertinet.*
6. *Ex periculo status justus timor.*
7. *Vitae pudor anteponendus.*
8. *Parentes terrentur in persona liberorum.*
9. *Creditum amittit qui vim intulit debitori.*
10. *Idem.*
11. *Nihil interest quis vim intulerit possessor, an alius.*
12. *A detruso in carcerem extorta revocantur.*
13. *Metus non facile praesumitur.*
14. *Adversarii dignitas metum non probat.*

1. Ait paetor: *quod metus causa gestum erit, ratum non habebo* (1). Olim ita edicebatur, *quod vi metusve causa.* Vis enim fiebat mentio propter necessitatem impositam contrariam voluntati : metus instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatione. Sed postea detracta est *vis* mentio : ideo quia quodcumque vi atroci fit, id metu quoque fieri videatur. l. 1.

2. Vis autem est majoris rei impetus, qui repelli non potest. l. 2.

3. Sed vim accipimus atrocem, et eam quae adver-

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1063, 1065.

sus bonos mores fiat, non eam quam magistratus recte intulit, scilicet jure licito, et jure honoris quem sustinet. Caeterum si per injuriam quid fecit populi romani magistratus, vel provinciae praeses, Ponponius scribit, hoc edictum locum habere: si forte (inquit) mortis, aut verberum terrore pecuniam alicui extorserit. l. 3. §. 1.

4. Metum accipiendum, Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris malitatis (*b*): metum autem non vani hominis, sed qui merito et in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicemus. l. 5. et l. 6. (2).

Proinde si quis meticulosus rem nullam frustra timuerit; per hoc edictum non restituitur, quoniam neque vi, neque metus causa factum est. l. 7. v. l. 13. *eod.* l. 3. D. *ex quib. caus. maj.*

5. Proinde, si quis in furto vel in adulterio deprehensus, vel in alio flagitio, vel dedit aliquid, vel se obligavit; Pomponius libro vicesimo octavo recte scribit, posse eum ad hoc edictum pertinere: timuit enim vel mortem, vel vincula. l. 7. §. 1.

6. Si is accipiat pecuniam, qui instrumenta status mei interversurus est nisi dem; non dubitatur quin maximo metu compellar. l. 8. §. 1.

7. Quod si dederit ne stuprum patiatur vir seu mulier, hoc edictum locum habet: cum viris bonis iste metus major quam mortis esse debet. l. 8. §. 2.

(b) Quid si in hominem non constantissimum, sed caeteris parem dumtaxat?

(2) » Vi è violenza, quando sia tale da fare impressione sopra » una persona ragionevole, e possa inspirarle il timore di esporre » la persona propria o le sue facoltà ad un male considerevole e » presente. *Leggi civ. art.* 1066. »

8. (a) Haec quae diximus ad edictum pertinere, nihil interest in se quis veritus sit, an in liberis suis: cum pro affectu parentes magis in liberis terreantur. l. 8. §. 3. (3)

9. Julianus ait, eum qui vim adhibuit debitori suo, ut ei solveret, hoc edicto non teneri, propter naturam metus causa actionis (b), quae damnum exigit; quamvis negari non possit, in Juliam eum de vi incidisse, et jus crediti amisisse. l. 12. §. ult.

10. (c) Extat decretum divi Marci in haec verba: optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Cum Marcianus diceret, vim nullam feci; Caesar dixit, tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? vis est et tunc, quoties quis id quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo judice temere possidere, vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse; jus crediti non habebit. l. 13.

11. (d) In hac actione non quaeritur utrum is qui convenitur, an alius metum fecit: sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim. l. 14. §. 3. l. 9. §. ult.

Datur et in rem actio, et in personam. l. 9. §. 4. Et si ad alium res pervenit; alter metum adhibuit. l. 16. Non interest a quo vis adhibita sit. l. 5. C. eod. (4)

(a) L. 1. §. 5. *de injuriis et famosis libellis.*
(3) Concorda. *Leggi civ. art.* 1067.
(b) Vis non sufficit sine damno dato.
(c) V. l. 5. *de acquirenda vel amittenda possessione.* l. 7. *ad legem Juliam de vi privata. De vi bonorum raptorum et de turbat.* §. ult.
(d) V. l. 4 §. 33 *de doli mali et metus exceptione.*
(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 1065.

12. Qui in carcerem quem detrusit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est. l. 22.

13. Non est verisimile compulsum in urbe inique indebitum solvisse eum, qui claram dignitatem se habere praetendebat; cum potuerit jus publicum invocare et adire aliquem potestate praeditum, qui utique vim eum pati prohibuisset: sed hujusmodi (e) praesumptioni debet apertissimas probationes violentiae opponere. l. ult.

14. (f) Ad invidiam alicui nocere nullam dignitatem oportet. Unde intelligis quod ad metum arguendum, per quem dicis initum esse contractum, senatoria dignitas adversarii tui sola non est idonea. l. 6. C. *de his quae vi, metusve causa gesta sunt.*

TITULUS III.

De dolo malo.

SUMMARIA.

1. *Dolus coercendus.*
2. *Dolus est omnis machinatio ad decipiendum.*
3. *Inanis actio, nulla actio est.*
4. *Qui laudat non ideoneum, ut ei credatur, potest, ex circumstantiis de dolo teneri.*
5. *Dolus utriusque compensatur.*
6. *Potest venditor sine dolo commendare quod vendit.*
7. *Dolus probandus est.*

1. Hoc edicto praetor adversus varios et dolosos qui

(e) Praesumptio rejicit onus probandi in adversarium. l. 9, 15, 25 *de probationibus et praesumptionibus.*

(f) Inde magistratus in minori aetate constitutus, potest restitui in integrum ne venia aetatis ipsi a principe concessa adversus eum retorqueatur. l. 25. *de legibus senatusque consultis, et longa consuetudine.*

aliis offuerunt calliditate quadam, subvenit: ne vel illis malitia sua sit lucrosa, vel istis simplicitas damnosa. l. 1. (1)

2. (a) (Labeo) sic definiit, *dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*. l. 1. §. 2.

3. (b) Is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adversarii inanis actio est. l. 6.

4. Pomponius refert, Caecidianum praetorem non dedisse de dolo actionem adversus eum qui adfirmaverat, *idoneum esse eum, cui mutua pecunia dabatur*. Quod verum est: nam nisi ex magna et evidenti calliditate, non debet de dolo actio dari. l. 7. §. ult.

Quod si cum scires eum facultatibus labi, tui lucri gratia, adfirmasti mihi idoneum esse, merito adversus te, cum mei decipiendi gratia alium falso laudasti, de dolo judicium dandum est. l. 8.

5. Si duo dolo malo fecerint, invicem de dolo non agent. l. 36. Ab utraque parte dolo compensando. l. ult. §. 3. ff. *de eo per quem factum erit.*, V. l. 39. ff. *solut. matr.*

6. Quod venditor ut commendet dicit, sic habendum quasi neque dictum, neque promissum est: si vero decipiendi emptoris causa dictum est, aeque sic habendum est ut non nascatur adversus dictum promissumve actio, sed de dolo actio, l. 37.

7. Dolum ex indiciis perspicuis probari convenit. l. 6. C. *eod.* (2).

---

(1) Concorda: *Leggi civ. art.* 1070.

(a) V. l. 7. §. 9. *de pactis.*

(b) Inutilis est actio quam inopia debitoris excludit. l. 12 *de furtis.* Ubi dicitur, qui non habet quod perdat, ejus periculo nihil est.

(2) » Il dolo non si presume, ma dee provarsi. » *Leggi civ. art.* 1070, §. 2.

TITULUS IV.

De minoribus vigintiquinque annis.

SUMMARIA.

1. *Lapsis propter infirmum consilium minoribus subvenitur.*
2. *Uti quaeque res erit animadvertendum.*
3. *Propter aetatem succurritur.*
4. *Usque ad hanc aetatem datur curator.*
5. *Pro majore non habetur minor cui commissa est rerum administratio.*
6. *Si, quae minor caepit, major factus comprobavit, non restituitur.*
7. *Excipitur minor qui debitum haereditarium major factus exigit. Is enim initio inspecto restituitur.*
8. *Aetatis computatio a momento ad momentum.*
9. *Filiafamilias in dote capta patre consentiente, restituitur.*
10. *Filiusfamilias minor restituitur adversus gestum a patre, si ejus intersit.*
11. *Pater haeres filii minoris, ejus nomine restituitur.*
12. *Minori succurritur, ne vexetur.*
13. *Minor restituitur ex omni gestu.*
14. *In judiciis minori subvenitur, quamvis tutor intervenerit.*
15. *Et adversus aditam haereditatem.*
16. *In lucro.*
17. *In optione si perperam elegerit.*
18. *Si quasi contumax sit condemnatus.*
19. *Non subvenitur minoribus in delictis.*
20. *Non restituuntur minores nisi capti.*
21. *Non eventus spectandus, sed inconsulta facilitas.*

22. *Si haereditatem locupletem adierit, quae deinde lapsa sit, non restituitur, nisi ex causa.*

23. *Minor a minore captus restituitur. Si ambo capti sunt, et neuter in lucro, non est restitutio.*

24. *Minoris fidejussor, eo restituto, manet obligatus, nisi dolus intervenerit.*

25. *Minor restituitur adversus tertium possessorem.*

26. *Incerta ratio pretii rerum.*

27. *Successor minoris restituitur, et si is minor sit, tempus ei suum dabitur.*

28. *Tempora restitutionis in minore et haerede conjunguntur.*

29. *A lite desistit qui renuntiat.*

30. *Restituto minore ob aditam vel non aditam haereditatem, stant quae recte ante gesta sunt.*

31. *Rebus integris restituitur minor qui omisit haereditatem: non integris, repellitur.*

32. *Jus suum uterque integrum recipit.*

33. *Totum a judice pendet.*

34. *In procuratione generali non venit restitutio.*

35. *Mutuo minor non obligatur si dissipavit.*

36. *Si Minor pluris emerit, restituitur.*

37. *Item si sine causa acceptum tulit vel novavit.*

38. *Adversus gesta a patre tutore minor restituitur.*

39. *Quae non cohaerent causae restitutionis, non mutantur.*

40 *Qui major factus probavit testamentum, non restituitur.*

41. *Qui falso majorem se probavit, non restituitur.*

42. *Restituitur adversus compromissum.*

43. *Adversus licitationem in venditione rei majorum.*

44. *Non restituitur minor, si actionem injuriarum omiserit.*

45. *Ætatis miseratio poenam minuit.*

46. *Malos mores aetas non excusat.*
47. *Restituitur minor adversus legem commissoriam.*
48. *Emptori qui fundum minoris meliorem fecit expensae praestantur.*
49. *Fundo in solutum dato, minor restituitur. L. 27. §. 1.*
50. *Non temere sed causa cognita minor restituitur.*
51. *Restituitur minor adversus necessariam venditionem.*
52. *Parte rescissa totum rescinditur, altero volente.*
53. *Restituitur minor captus, licet sine dolo adversarii.*
54. *In omissis minori succurritur.*
55. *Jure communi usus non est circumscriptus.*
56. *Restituitur minor, etsi tutor intervenerit.*
57. *Omissa haereditate minor restituitur.*

1. Hoc edictum praetor naturalem aequitatem secutus proposuit, quo tutelam minorum suscepit. Nam cum inter omnes constet, fragile esse et infirmum hujusmodi aetatum consilium, et multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum; auxilium eis praetor hoc edicto pollicitus est, et adversus captiones opitulationem. l. 1.

2. Praetor adicit: *quod cum minore quam vigintiquinque annis natu gestum esse dicetur, uti quaequae res erit, animadvertam. l.* 1. §. 1.

3. Apparet minoribus vigintiquinque annis eum opem polliceri: nam post hoc tempus compleri virilem vigorem constat. l. 1. §. 2.

4. Et ideo hodie in hanc usque aetatem adolescentes curatorum auxilio reguntur: nec ante rei suae administratio eis committi debebit, quamvis bene rem suam gerentibus. l. 1. §. 3.

5. Denique divus Severus, et imperator noster hu-

jusmodi consulum vel praesidum decreta, quasi (c) ambitiosa esse interpretati sunt. Ipsi autem perraro minoribus rerum suarum administrationem extra ordinem indulserunt: et eodem jure utimur. l. 3.

Ætatis veniam a principe impetrant minores honestis moribus: mares scilicet impleto vicennio, feminae vero octavum et decimum annum egressae: ut patrimonia gubernent: sed non restituendi ex causa administrationis, et si minus idonee administraverint(1). *Sed nec alienandi immobilia, nec pignorandi aetatis venia dat facultatem, nec pro legitima aetate, in substitutionum, caeterorumque conditionibus habetur, nisi id expressum sit.* Ex l. 1. 2. 3. 4. C. de his qui ven. aet. impetr. (2).

6. Si quis cum minore contraxerit, et contractus inciderit in tempus quo major efficitur, utrum initium spectamus, an finem? Et placet (ut et est constitutum) si quis major factus comprobaverit quod minor gesserat, restitutionem cessare. l. 3. §. 1.

Qui post vigesimumquintum annum aetatis ea quae in minore aetate gesta sunt, rata habuerint, frustra rescissionem eorum postulant. l. 2. C. *si maj. fact. rat. hab.* v. §. seq. et l. 30. (3)

7. Scio etiam aliud aliquando incidisse: minor viginti quinque annis miscuerat se paternae haereditati, majorque factus exegerat aliquid a debitoribus paternis; mox desiderabat restitui in integrum, quo magis abstineret paterna haereditate. Contradicebatur ei, qua-

---

(c) L. 4. ff. *de decretis ab ordine faciendis.*

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 404.

(2) Concorda. *Ivi, art.* 407.

(3) » Il minore non è più ammesso ad impugnare la obbligazione sottoscritta nella sua minor età, quando divenuto maggiore l'ha ratificata. » *Leggi civ. art.* 1265.

si major factus comprobasset, quod minori sibi placuit (*): putavimus tamen restituendum in integrum, initio inspecto. Idem puto etsi alienam adiit haereditatem. l. 3. §. 2.

8. Minorem autem vigintiquinque annis natu videndum an etiam diem natalis sui adhuc dicimus, ante horam qua natus est, ut si captus sit, restituatur; et cum nondum compleverit, ita erit dicendum « ut a » momento in momentum tempus spectetur » (b)(4). Proinde si bissexto natus est, sive priore, sive posteriore die, Celsus scribit, nihil r ferre: nam id biduum pro uno die habetur, et posterior dies kalendarum intercalatur. l. 3. §. 3.

9. Ergo etiam filiamfamilias in dote captam, dum patri consentit stipulanti dotem non statim quam dedit, vel adhibenti aliquem qui dotem stipularetur, puto restituendam: quoniam dos ipsius filiae patrimonium est. l. 3. §. 5. (5)

10. Si quid minori fuerit filiofamilias legatum post

(*) V. H Mornac. *Is distinguit inter locationem in longum tempus, et in debitum particulare.* Quia rem utilem et necessariam gessit dum debitores exegit. V. l. 4. C. *de jure deliberandi.* l 8 §. 1. C. *de inofficioso testamento.* Ubi qui solvit fit haeres, licet quis solvat invitus. Contra qui debitores exigit, ultro agit. Unde restringi debet lex ad eum qui debitores fugitivos aut suspectos exigit.

(b) Contra in honoribus adipiscendis et muneribus publicis ubi annus inceptus habetur pro completo, l. 8 *de muneribus et honoribus.* Item secus in l. 5 *qui testamenta facere possunt vel non possunt*, l. 6 *de obligationibus et actionibus*, l. 4 *de diversis regulis juris antiqui*, l. 2 *de diversis temporalibus action.* Nil refert, num quis natus sit die 28, an 29 Februarii ut cum majoritas cadit in diem 28 Februarii ipsa non expletur nisi die 29 si annus est bissextus. Priorem diem natalem habet, l. 98 *de verborum significatione.*

(4) Concorda *Leggi civ. art.* 311, 411.

(5) Contra. *Leggi civ. art.* 1263.

mortem patris, vel fideicommissum relictum, et captus est, forte dum consentit patri, paciscenti ne legatum peteretur; potest dici in integrum restituendum: quoniam ipsius interest propter spem legati, quod ei post mortem patris competit. Sed et si ei legatum sit aliquid, quod personae ejus cohaeret, puta jus militiae (*); dicendum est posse eum restitui in integrum: interfuit enim ejus non capi; cum haec patri non acquiret, sed ipse haberet. l. 3. §. 7.

11. Pomponius adjicit, ex his causis ex quibus in re peculiari filiifamilias restituuntur, posse et patrem, quasi haeredem, nomine filii post obitum ejus impetrare cognitionem. l. 3. §. 9.

12. Minoribus vigintiquinque annis subvenitur per in integrum restitutionem, non solum cum de bonis eorum aliquid minuitur, sed etiam cum intersit ipsorum litibus et sumptibus non vexari. l. 6.

13. Ait praetor, *gestum esse dicetur. Gestum* sic accipimus, qualiter qualiter: sive contractus sit, sive quid aliud contigit. Proinde si emit aliquid, si vendidit, si societatem coiit, si mutuam pecuniam accepit, et captus est; ei succurretur (6). Sed etsi ei pecunia a debitore paterno soluta sit, vel proprio, et hanc perdidit; dicendum est ei subveniri, quasi gestum sit cum eo. l. 7. §. 1. 2.

14. Sed et in judiciis subvenitur, sive dum agit, sive dum convenitur, captus sit. l. 7. §. 4.

Minus ex tutelae judicio consecuti, de superfluo habere actionem ita potestis, si tempore judicii minores

---

(*) *Carica venale.*
(6) Concorda. *Leggi civ. art.* 1259.

annis fuistis. l. 1. C. *si adver. rem jud.* In rem pupilli vel adulti contra tutores seu curatores a praeside lata sententia, restitutionis auxilium non minus quam si quid adversus eos fuisset statutum, implorare minores posse constat. l. ult. C. *eod.* v. l. 1. et l. 2. C. *si tut. vel cur. int.*

15. (c) Sed et si haereditatem minor adiit minus lucrosam, succurritur ei, ut se possit abstinere. l. 7. §. 5. v. l. 11. §. 5. l. 22. l. 24. §. 2. et l. 1. C. *si ut omiss. haered.*

16. Hodie certo jure utimur, ut et in lucro minoribus succurratur. l. 7. §. 6.

17. Et si sine dolo cujusquam legatum repudiaverit, vel in optionis legato captus sit, dum elegit deteriorem: vel si duas res promiserit, illam aut illam, et pretiosiorem dederit; debere subveniri, et subveniendum est. l. 7. §. 7.

18. (*d*) Minor, etiam si quasi contumax condemnatus sit, in integrum restitutionis auxilium implorabit. l. 8.

19. Nunc videndum, minoribus utrum in contractibus captis duntaxat subveniatur, an etiam delinquentibus, ut puta dolo aliquid minor fecit in re deposita, vel commodata, vel alias in contractu; an ei subveniatur, si nihil ad eum pervenit? Et placet in delictis minoribus non subveniri: nec hic itaque subvenietur. l. 9. §. 2. v. l. 37. §. 1. d. l. in f. (7).

20. Sciendum est autem non passim minoribus sub-

(c) Quid si lucrosa sit hereditas, et minor velit restitui, an audietur creditor, vel cohaeres cujus non interest?

(d) Id est, si indefens. condemnatus est, non vero si obedire recusat, l. 53 in fine, l. 54 *de re judicata.*

(7) » Il minore non può restituirsi in intero contra le obbliga-» zioni nascenti dal suo delitto o quasi delitto. *Leggi civ. art.* 1264.

veniri (e), sed causa cognita, si capti esse proponantur. l. 11. §. 3.

Non semper autem ea quae cum minoribus geruntur, rescindenda sunt, sed ad bonum et aequum redigenda sunt: ne magno incommodo hujus aetatis homines adficiantur, nemine cum his contrahente, et quodammodo commercio eis interdicetur. Itaque, nisi aut manifesta circumscriptio sit, aut tam negligenter in ea causa versati sunt, praetor interponere se non debet l. 24. §. 1.

21. Item non restituetur qui sobrie rem suam administrans, occasione damni non inconsulte accidentis, sed fato, velit restitui: nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas; et ita Pomponius libro vicesimo octavo scripsit. Unde Marcellus, apud Julianum, notat, si minor sibi servum naccessarium comparaverit, mox decesserit, non debere eum restitui: neque enim captus est emendo sibi rem necessariam, licet mortalem. l. 11. §. 4.

22. Si locupleti haeres extitit, et subito haereditas lapsa sit (puta, praedia fuerunt quae chasmate perierunt, insulae exustae sunt, servi fugerunt aut decesserunt) Julianus quidem libro quadragesimo sexto sic loquitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem, apud Julianum, notat, cessare in integrum restitutionem. Neque enim aetatis lubrico captus est adeundo locupletem haereditatem (f): et quo fato contingit, cuivis patrisfamilias, quamvis diligentissimo, possit contingere. Sed haec res adferre potest restitu-

(e) V. Contra novell. 51.

(f) Semper latet aes alienum in haereditate, Semper interest minoribus litibus et sumptibus non vexari. Unde semper minor potest restitui adversus aditionem haereditatis.

tionem minori, si adiit haereditatem in qua res erant multae mortales, vel praedia urbana, aes autem alienum grave: quod non prospexit, posse evenire ut demoriantur mancipia, praedia ruant; vel quod non cito distraxerit haec, quae multis casibus obnoxia sunt. l. 11. §. 5.

Haereditatem pro minore non adit tutor sine inventario, et ideo beneficium inventarii semper habent minores. V. l. ult. C. de jure delib.

23. Item quaeritur, si minor adversus minorem restitui desiderat, an sit audiendus? Et Pomponius simpliciter scribit, non restituendum. Puto autem inspiciendum a praetore, quis captus sit. Proinde si ambo capti sunt, verbi gratia, minor minori pecuniam dedit, et ille perdidit; melior est causa, secundum Pomponium, ejus qui accepit, et vel dilapidavit, vel perdidit. l. 11. §. 6.

24. (g) In causae cognitione versabitur, utrum soli ei succurrendum sit, an etiam aliis qui pro eo obligati sunt; ut puta fidejussoribus. Itaque si cum scirem minorem, et ei fidem non haberem, tu fidejusseris pro eo: non est aequum, fidejussori in necem meam subveniri; sed potius ipsi deneganda erit mandati actio. In summa, perpendendum erit praetori, cui potius subveniat, utrum creditori, an fidejussori: nam minor captus, neutri tenebitur. Facilius in mandatore dicendum erit, non debere ei subvenire: hic enim velut adfirmator fuit et suasor, ut cum minore contraheretur. l. 13.

(g) Non debet eludi providentia ejus qui fidejussorem ideo accepit a minore, quia minor erat.

Fidejussor minoris, eo propter solam aetatem restituto, manet obligatus (8). Verum si dolus intervenerit, tam fidejussori succurrendum, quam minori. l. 2. C. *de fidej. min.*

25. (*) Interdum autem restitutio et in rem datur minori, id est, adversus rei ejus possessorem, licet cum eo non sit contractum. Ut puta rem a minore emisti, et alii vendidisti; potest desiderare interdum adversus possessorem restitui, ne rem suam perdat, vel re sua careat. l. 13. §. 1.

26. Idem Pomponius ait, in pretio emptionis et venditionis naturaliter (*h*) licere contrahentibus se circumvenire. l. 16. §. 4.

27. (*i*) Non solum autem minoribus, verum successoribus quoque minorum datur in integrum restitutio, etsi sint ipsi majores. l. 18. §. ult.

(*) Interdum successori plus quam annum dabimus, ut est edicto expressum, si forte aetas ipsius subveniat. Nam post annum vicesimumquintum habebit legitimum tempus: hoc enim ipso deceptus videtur, quod cum posset restitui intra tempus statutum ex persona defuncti, hoc non fecit. l. 19.

28. (*) Plane si defunctus ad in integrum restitutio-

---

(8) Concorda. *Leggi civ. art.* 1883 e 1884 *n.* 2. *combinati.*

(*) Quid: *si minor adiit unice tertium possessorem sui fundi, et siluerit per decem annos majoritatis respectu sui emptoris? lex dicit:* licet cum possessore non sit contractum, l. 5 §. 15 *de rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt*; l. ult. *de negotiis gestis.*

(h) L. 22 §. 3 *locati conducti.*

(i) L. 3 §. 9.

(*) Nota: Successor titulo singulari obtinere nequit restitutionem nisi habeat cessionem actionum rescindentium. Louet l. c. n. 12.

(*) Lex 20 in fine ait: Si major viginti quinque annis intra tempus restitutionis statutum litem contestatus, postea desiiterit, nihil ei proficit ad in integrum restitutionem contestatio.

nem modicum tempus ex anno utili habuit, huic haeredi minori post annum vicesimumquintum completum, non totum statutum tempus dabimus ad in integrum restitutionem, sed id dumtaxat tempus quod habuit is cui haeres extitit. l. 19.

29. (*) Destitisse autem is videtur non qui distulit, sed qui liti renuntiavit in totum. l. 21.

30. In integrum vero restitutione postulata adversus aditionem a minore factam, si quid legatis expensum est, vel pretia eorum, qui ad libertatem aditione ejus pervenerunt, a minore refundenda non sunt; quemadmodum per contrarium, cum minor restituitur ad adeundam haereditatem (*k*), quae antea gesta erant per curatorem bonorum, decreto praetoris, ad distrahenda bona secundum juris formam constitutum, rata esse habenda, Calpurnio Flacco Severus et Antoninus rescripserunt. l. 22.

31. Scoevola noster ajebat, si quis juvenili levitate ductus, omiserit vel repudiaverit haereditatem, vel bonorum possessionem; si quidem omnia in integro sint, omni modo audiendus est: si vero jam distracta haereditate, et negotiis finitis, ad paratam pecuniam laboribus substituti veniat, repellendus est. Multoque parcius ex hac causa haeredem minoris restituendum esse. l. 24. §. 2. V. n. ult.

32. Restitutio autem ita facienda est (*l*), ut unus-

(*) Lex 14 § 9 de aedilitio edicto, ait: remittentibus enim actiones suas non est dandus regressus l. 2 *ad senatusconsultum Turpillianum*, Ubi dicitur: qui destiterit agere amplius, et accusare prohibetur. l. 15 §. 5 *ad leg. Jul. de adult.*

(*k*) Unde quae adversus minorem judicata sunt, stant adversus substitutum. l. 41 *de re judicata*. V. *de vulgari et pupillari substitutione* n. ult.

(l) Omnis restitutio est reciproca, nisi quis pecuniam minori perdituro dederit.

quisque in integrum jus suum recipiat. Itaque, si in vendendo fundo circumscriptus restituetur, jubeat praetor, *emptorem fundum cum fructibus reddere et* (m) *pretium recipere*: nisi si tunc dederit, cum eum perditurum non ignoraret; sicuti facit in ea pecunia, quae ei consumpturo creditur. l. 24. §. 4.

Qui restituitur in integrum, sicut in damno morari non debet, ita nec in lucro. Et ideo, quidquid ad eum pervenit vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex alio contractu, hoc debet restituere. l. un. C. *de reput. quae fiunt in jud. in int. restit.*

Sed et cum minor adiit haereditatem, et restituitur, mox quidquid ad eum ex haereditate pervenit, debet praestare. Verum et si quid dolo ejus factum est, hoc eum praestare convenit. d. l. §. 2.

33. Totum hoc pendet ex praetoris cognitione. l. 24. §. ult.

34. Si talis interveniat juvenis cui praestanda sit restitutio, ipso postulante praestari debet, aut procuratore ejus, cui idipsum nominatim mandatum sit. (*n*). Qui vero generale mandatum de universis negotiis gerendis alleget, non debet audiri. l. 25. §. 1.

35. Si pecuniam, quam mutuam minor accepit, dissipavit, denegare debet proconsul creditori adversus eum actionem. Quod si egenti minor crediderit, ulterius procedendum non est, quam ut jubeatur juvenis actionibus suis quas habet adversus eum, cui ipse credidisset, cedere creditori suo. l. 27. §. 1. l. 24. §. 4. l. 50. §. 1.

(m) L. 27 §. 1.

(n) Opus est speciali mandato ut voluntas minoris certa sit, quia aliquo pudore afficitur qui restitutionem adversus proprium factum petit. *Louet*, *l. C. n.* 14.

36. Praedium quoque, si ex ea pecunia pluris quam oporteret emit, ita temperanda res erit, ut jubeatur venditor reddito pretio recuperare praedium; ita ut sine alterius damno etiam creditor a juvene suum consequatur. Ex quo scilicet simul intelligimus quid observari oporteat, si sua pecunia pluris quam oportet emerit. Ut tamen hoc, et superiore casu venditor qui pretium reddidit, etiam usuras quas ex ea pecunia percepit, aut percipere potuit, reddat; et fructus quibus locupletior factus est juvenis, recipiat. l. 27. §. 1.

37. Si minor annis vigintiquinque sine causa debitori acceptum tulerit, non solum in ipsum, sed et in fidejussores, et in pignora actio restitui debet. Et, si ex duobus reis alteri acceptum tulerit, in utrumque restituenda est actio. Ex hoc intelligimus, si damnosam sibi novationem fecerit, forte si ab idoneo debitore ad inopem, novandi causa, transtulerit obligationem, oportere eum in priorem debitorem restitui. l. 27. §. 2. et 3.

(o) Etiamsi patre, eodemque tutore auctore, pupillus captus probari possit, curatorem postea ei datum, nomine ipsius in integrum restitutionem postulare non prohiberi. l. 29.

39. Ex causa curationis condemnata pupilla, adversus unum caput sententiae restitui volebat: (et) quia videbetur in caeteris litis speciebus relevata fuisse, actor major aetate, qui adquievit tunc temporis sententiae; dicebat totam debere litem restaurare. Herennius Modestinus respondit (p): Si species in qua pupilla in integrum restitui desiderat, caeteris speciebus non cohae-

(o) Ne minori noceat quod in ejus favorem receptum est. l. 25 *de legibus senatusque consultis*. V. n. 56 et 51.

(p) V. *de transactionibus*. n. 23.

ret, nihil proponi cur a tota sententia recedi actor postulans audiendus sit. l. 29. §. 1.

40. Si filius emancipatus contra tabulas non accepta possessione, post inchoatam restitutionis quaestionem, legatum ex testamento patris major viginti quinque annis petiisset, liti renuntiare videtur (*). Cum, et si bonorum possessionis tempus largiretur, electo judicio defuncti, repudiatum beneficium praetoris existimaretur. l. 30. V. l. 3. §. 1.

41. Minor vigintiquinque annis, adito praeside, ex aspectu corporis falso probavit perfectam aetatem. Curatores, cum intellexissent esse minorem, perseveraverunt in administratione: medio tempore, post probatam aetatem, ante impletum vicesimumquintum annum solutae sunt adolescenti pecuniae debitae, easque male consumpsit. Quaero, cujus sit periculum? Et quid, si curatores quoque in eodem errore perseverassent, ut putarent majorem esse, et abstinuissent se ab administratione, curationem etiam restituissent; an periculum emptoris, quod post probatam aetatem cessit, ad eos pertineat?

Respondi: hi qui debita exsolverunt, liberati jure ipso, non debent iterum conveniri. Plane, curatores qui scientes eum minorem esse, perseveraverunt in eodem officio, non debuerunt eum pati accipere pecunias debitas; et debebunt hoc nomine conveniri. Quod si et ipsi decreto praesidis crediderunt, et administrare cessaverunt, vel etiam rationem reddiderunt; similes erunt caeteris debitoribus: ideoque non conveniuntur. l. 32.

Si is qui minorem nunc se esse asseverat, fallaci ma-

(*) Exceptione rei petitorem sua actione depellentis.

joris aetatis mendacio te deceperit, cum juxta statuta juris (*q*), errantibus, non etiam fallentibus minoribus, publica jura subveniant, in integrum restitui non debet. l. 2 C. *si min. se maj. dix.* Malitia supplet aetatem. l. 3 C. *eodem.*

42. (*r*) Minores, si in judicem compromiserunt, et tutore auctore stipulati sunt; integri restitutionem adversus talem obligationem jure desiderant. l. 34, §. 1.

43. Si in emptionem penes se collocatam minor adjectione ab alio superetur; implorans in integrum restitutionem audietur, si ejus interesse emptam ab eo rem fuisse adprobetur: veluti quod majorum ejus fuisset; ita tamen, ut id quod ex licitatione accessit, ipse offerat venditori. l. 35 (*s*).

44. (*t*) Auxilium in integrum restitutionis executionibus poenarum paratum non est. Ideoque injuriarum judicium semel omissum, repeti non potest. l. 37.

45. In delictis minor annis vigintiquinque non meretur in integrum restitutionem, utique atrocioribus: nisi quatenus interdum miseratio aetatis ad mediocrem poenam judicem produxerit. l. 37. §. 1.

46. Non sit aetatis excusatio adversus praecepta legum ei, qui dum leges invocat, contra eas committit. l. 37 in fin.

In criminibus aetatis suffragio minores non juvantur:

(q) L. 5 §. ult. *de verborum obligationibus.*

(r) Si emptor compromiserit et evictus sit, non habet regressum. l. 56. §. 2 *de evictionibus et duplae stipulatione.* Contra tutor potest jusjurandum deferre. l. 17 §. 2 *de jurejurando.*

(s) Apud nos minor non restituitur adversus venditionem in jure, post auctiones, rite factam; nec adversus lapsum tempus in redhibitione gentilitia.

(t) Quia poenae non irrogatae indignatio solam duritiem continet. l. 7 in fine, *de servis exportandis.*

etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. l. 1 C. *si advers. delict.* (9).

47. Æmilius Larianus ab Obinio fundum Rutilianum lege commissoria emerat, data parte pecuniae: *ita ut si intra duos menses ab emptione, reliqui pretii partem dimidiam non solvisset*, *inemptus esset*: item *si intra alios duos menses reliquum pretium non numerasset*, *similiter esset inemptus*. Intra priores duos menses Lariano defuncto, Rutiliana pupillaris aetatis successerat, cujus tutores in solutione cessaverunt: venditor denunciationibus tutoribus saepe datis, post annum eandem possessionem Claudio Thelemaco vendiderat: pupilla in integrum restitui desiderabat: victa tam apud praetorem, quam apud praefectum urbi provocaverat. *Putabam* bene judicatum, quod pater ejus, non ipsa contraxerat. *Imperator* autem motus est, quod dies committendi in tempus pupillae incidisset (*a*), eaque effecisset ne pareretur legi venditionis. *Dicebam* posse magis ea ratione restitui eam, quod venditor denunciando post diem quo placuerat esse commissum, et pretium (*b*) petendo, recessisse a lege sua videretur: non me moveri quod dies postea transisset, non magis quam si creditor pignus distraxisset post mortem debitoris die solutionis finita. *Quia tamen* lex commissoria displicebat ei (*), pronunciavit in integrum restituendam. l. 38.

(9) » Il minore non può restituirsi in intero contra le obbligazioni nascenti dal suo delitto o quasi delitto. *Leggi civili art.* 1264.

(a) Hinc patet romanos usurpasse nomina fundorum. Rutiliana enim filia dicebatur a fundo Rutiliano.

(b) V. contra l. 77 *de verborum obligationibus*.

(*) Exceptiones rei petitorem sua actione depellentis, tacita renunciatio. Aut potius puella placebat.

48. Vendentibus curatoribus minoris fundum, emptor extitit Lucius Titius, et sex fere annis possedit; et longe; longeque rem meliorem fecit. Quaero, cum sint idonei curatores, an minor adversus Titium emptorem in integrum restitui possit? Respondi, ex omnibus quae proponerentur, vix esse eum restituendum; nisi si maluerit omnes expensas, quas bona fide emptor fecisse adprobaverit, ei praestare. l. 39 §. 1. V. tit. *de reb. cur. qui sub tut.*

49. Praedia patris sui minor annis vigintiquinque, ob debita rationis tutelae aliorum quam pater administraverat, in solutum inconsulte dedit. Ad suam aequitatem, per in integrum restitutionem revocanda res est: usuris pecuniae quam constituerit ex tutela deberi, reputatis, et cum quantitate fructuum perceptorum compensatis. l. 40 §. 1.

50. Non omnia quae minores annis vigintiquinque gerunt, irrita sunt; sed ea tantum quae causa cognita ejusmodi deprehensa sunt: ut, si ab aliis circumventi, vel sua facilitate decepti; aut quod habuerunt amiserunt; aut quod adquirere emolumentum potuerunt, omiserunt; aut se oneri quod non suscipere licuit, obligaverunt. l. 44.

51. Tutor, urgentibus creditoribus, rem pupillarem bona fide vendidit, denunciante tamen matre et emptoribus (*d*). Quaero, cum urgentibus creditoribus distracta sit, nec de sordibus tutoris merito quippiam dici potest, an pupillus in integrum restiui potest? Respondi, cognita causa aestimandum; nec idcirco si justum sit

(d) Bona fides tutoris vendentis, imo et necessites vendenti non impediunt restitutionem minoris.

restitui, denegandum id auxilium (e), quod tutor delicto vacaret. l. 47. V. tit. *de reb. eor. qui sub tut.*

52. Curator adolescentium praedia communia sibi, et iis quorum curam administrabat, vendidit (*). Quaero, si decreto praetoris adolescentes in integrum restituti fuerint, an eatenus venditio rescindenda sit, quatenus adolescentium pro parte fundus communis fuit? Respondi, eatenus rescindi; nisi si emptor a toto contractu velit discedi, quod partem empturus non esset (**). l. 47 §. 1.

53. Minoribus in integrum restitutio, in quibus se captos probare possunt, etsi dolus adversarii non probetur, competit. l. 5 C. *de in integr. rest. min.*

54. Minoribus in his quae vel praetermiserunt, vel ignoraverunt, innumeris auctoritatibus constat esse consultum. l. pen. C. *eod.*

55. Non videtur circumscriptus esse minor, qui jure sit usus communi. l. ult. C. *eod.*

56. Minoribus annis vigintiquinque, etiam in his quae praesentibus tutoribus vel curatoribus, in judicio vel extra judicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumventi sunt, placuit. l. 2 C. *si tut. vel cur. interv.* V. n. 38 et 51.

57. Minores vigintiquinque annis, non tantum in his quae ex bonis propriis amiserunt, verum etiam si haereditatem sibi delatam non adierint, posse in integrum restitutionis auxilium postulare jamdudum placuit. l. 1 C. *si ut omiss. haered.* V. exceptionem. l. 24. §. 2.

(e) L. 29 h. V. contra n. 20.

(*) Minor ergo majorem non relevat. V. l. 10. Quemadmodum servitutes amittuntur.

(**) Id applicatur ad retractum gentilitium, in quo retrahens obligatur de proprio rem acquirere sibi delatam. l. 7 §. 13 *communi dividundo.* l. 27 in fine *de aedilitio edicto.*

TITULUS V.

De capite minutis.

SUMMARIA

1. *Qui statum mutat, delictum non exuit.*
2. *Idem.*
3. *Civilis ratio jus generale non corrumpit.*
4. *Spectanda in singulis libertas, civitas, familia.*

1. Nemo delictis exuitur, quamvis capite minutus sit. l. 2 §. 3.

2. Injuriarum, et actionum ex delicto venientium obligationes, cum capite ambulant. l. 7 §. 1.

3. Eas obligationes quae naturalem praestationem habere intelliguntur, palam est capitis diminutione non perire (a): quia civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest. l. 8.

4. Capitis deminutionis tria genera sunt: maxima, media, minima. Tria enim sunt quae habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur cum omnia haec amittimus, hoc est, libertatem, et civitatem, et familiam, *maximam* esse capitis deminutionem: cum vero amittimus civitatem, libertatem retinemus, *mediam* esse capitis deminutionem: cum et libertas, et civitas retinetur, familia tantum mutatur, *minimam* esse capitis deminutionem constat. l. ult.

(a) V. exemplum in l. 4 §. 2 *de requirendis vel absentibus damnandis*: et in l. 17 §. 1 *de poenis*: et in l. 2 *de usufructu earum rerum quae usu consumuntur*. l. 3 *de interdictis*.

TITULUS VI.

Ex quibus causis majores vigintiquinqueannis in integrum restituuntur.

SUMMARIA.

1. *Restituuntur majores propter absentiam, vincula, aut ex alia justa causa.*
2. *Qualis causa metus disquirendum.*
3. *Absentia affectata non prodest.*
4. *Succurritur ei qui est in vinculis, aut apud hostes.*
5. *Necessariae dilationes non imputantur.*
6. *Non negligentiae subvenitur, sed necessitati.*
7. *Majori non succurritur in lucro ex alterius damno.*
8. *Majori succurritur ne capiatur, et adversus eum ne capiat.*
9. *Feriae vel solemnes, vel indictae.*
10. *Majores ex justa causa restituuntur.*
11. *Necessitati subveniendum.*
12. *In lucro succurritur.*
13. *Officium publicum non debet nocere.*

1. Hujus edicti causam nemo non justissimam esse confitebitur. Laesum enim jus per id tempus, quo quis reipublicae operam dabat, vel adverso casu laborabat, corrigitur: nec non et adversus eos succurritur, ne vel obsit, vel prosit quod evenit. Verba autem edicti talia sunt: *Si cujus quid de bonis: cum is metu, aut sine dolo malo reipublicae causa abesset, inve vinculis, servitute, hostiumque potestate esset, sive cujus actionis eorum cui dies exisse dicetur. Item, si quis quid usu suum fecisset, aut, quod non utendo amisit, consecutus: actioneve qua solutus ob id, quod dies ejus exie-*

rit, cum absens non defenderetur, inve vinculis esset, secumve agendi potestatem non faceret . . . . Item, si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam: quod ejus per leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum, licebit. l. 1.

2. *Metus* autem *causa abesse* videtur, qui justo timore mortis, vel cruciatus corporis conterritus, abest: et hoc ex affectu ejus intelligitur: sed non sufficit quolibet terrore abductum timuisse, sed hujus rei disquisitio judicis est. l. 3. V. l. 13. D. *quod met. caus.*

3. Item hi qui reipublicae causa sine dolo malo abfuissent. Dolum malum eo pertinere accepi, ut qui reverti potest, neque reverteretur, in eo quod per id tempus adversus eum factum est, non adjuvetur: veluti, si alterius grandis commodi captandi gratia id egerit, ut reipublicae causa abesset, et revocatur ab isto privilegio. l. 4.

4. Succurritur etiam ei qui in vinculis fuisset. Quod non solum ad eum pertinet, qui publica custodia coercetur, sed ad eum quoque qui a latronibus aut praedonibus, vel potentiore vi oppressus, vinculis coercebatur. l. 9.

Item ei succurritur, qui in hostium potestate fuit, id est, ab hostibus captus. l. 14.

5. Si inchoata sit bonae fidei possessoris detentatio ante absentiam, finita autem reverso, restitutionis auxilium locum habeat, non quadoque, sed ita demum si intra modicum tempus quam rediit, hoc contigit. Id est, dum hospitium quis conducit, sarcinulas componit, quaerit advocatum: nam eum qui differt restitutionem, non esse audiendum, Neratius scribit. l. 15. §. 3.

6. (*) Non enim negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum impeditis. Totumque istud arbitrio praetoris temperabitur. Id est, ut ita demum restituat, si non negligentia, sed temporis angustia non potuerunt litem contestari. l. 16.

7. Sciendum est quod in his casibus restitutionis auxilium majoribus damus, in quibus rei duntaxat persequendae gratia quaeruntur; non cum et lucri faciendi ex alterius poena, vel damno, auxilium sibi impertiri desiderant. Denique si emptor, priusquam per usum sibi adquireret, ab ostibus captus sit; placet interruptam possessionem (φ) postliminio non restitui: quia haec sine possessione non constitit (a). Possessio autem plurimum facti habet: causa vero facti non continetur postliminio. l. 18 e 19.

8. Item ait praetor, *Si qui usu suum fecisset, aut, quod non utendo sit amissum, consecutus: actioneve qua solutus ob id, quod dies ejus exierit, cum absens non defenderetur.* Quam clausulam praetor inseruit, ut quemadmodum succurrit supra scriptis personis, ne capiantur; ita et adversus ipsas succurrit, ne capiant. l. 21.

9. Si feriae extra ordinem sint indictae, ob res puta prospere gestas, vel in honorem principis, et propterea magistratus jus non dixerit; Gaius Cassius nominatim edicebat, restituturum se: quia per praetorem videbatur factum (**). Solemnium enim feriarum ratio-

(*) Id applicari potest ad revocationem donationis ex filiis supervenientibus, si donator decedat paulo post filiorum ortum: at in praesens contenditur revocationem locum habere de pleno jure.

(φ) *Intellige* usucapionem.

(a) Quae facti sunt non recipiunt fictionem contrariam facto. V. *de liberis et posthumis haeredibus instituendis.*

(**) Quid de retractione gentilitia, cum in judicium is vocatur die festo?

nem haberi non debere, quia prospicere eas potuerit, et (c) debuerit actor, ne in eas incidat: quod verius est. l. 26. §. 7.

10. Item (inquit praetor) *si qua alia mihi justa causa videbitur, in integrum restituam.* Haec clausula edicto inserta est necessario: multi enim casus evenire potuerunt, qui deferrent restitutionis auxilium, nec singulatim enumerari potuerunt. Ut quoties aequitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum (d). Ut puta legatione quis pro civitate functus est, aequissimum est eum restitui, licet reipublicae causa non absit: saepissime constitutum est adjuvari eum debere, sive habuit procuratorem, sive non. Idem puto, et si testimonii causa sit evocatus ex qualibet provincia vel in urbem, vel ad principem: nam et hic saepissime est rescriptum subveniri. l. 26. §. 9.

11. Et generaliter quotiescumque quis ex necessitate non ex voluntate abfuit; dici oportet, ei subveniendum. d. l. in fine.

12. Et sive quid amiserit, vel lucratus non sit, restitutio facienda est, etiamsi non ex bonis quid amissum sit. l. 27. V. s. n. 7.

13. (*) Ne cui officium publicum vel damno, vel compendio sit. l. 29.

(c) V. l. 2 §. 8. *Si quis cautionibus.* l. 2 *de feriis.* V. h. n. 6.

(d) Ergo civitas non habetur pro republica, et sic intelligi debet, l. 38 §. 1 *de rebus auctoritate judicis possidendis.* l. 16 *de verborum significatione.*

(*) *Lex 30 ait quod* possessio defuncti quasi juncta descendit ad haeredem; et plerumque usucapio nondum haereditate adita completur. V. l. 34 et 61 de acquirendo rerum dominio.

TITULUS VII.

De alienatione judicii mutandi causa facta (*).

SUMMARIA.

1. *Alienans in fraudem adversarii, tenetur in id quod interest.*
2. *Alienat in fraudem qui potentiorem adversarium substituit, aut vexaturum.*
3. *In edictum non incidit qui re carere mavult quam litigare.*
4. *Qui haeredes instituit vel legat, non alienat in fraudem.*
5. *Re alienata possessor, et qui alienavit, conveniri possunt.*

1. (*a*) Omnibus modis proconsul id agit, ne cujus deterior causa fiat ex alieno facto. Et cum intelligeret judiciorum exitum interdum duriorem nobis constitui, opposito nobis alio adversario; in eam quoque rem prospexit: *ut si quis alienando rem, alium nobis adversarium suo loco substituerit, idque data opera in fraudem nostram fecerit; tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra intersit alium adversarium nos non habuisse.* l. 1.

2. Itaque si alterius provinciae hominem, aut potentiorem nobis opposuerit adversarium, tenebitur: aut alium qui vexaturus sit adversarium. l. 1 §. 1 et l. 2.

3. Non tamen ejus factum improbat praetor, qui tanti habuit re carere, ne propter eam saepius litiga-

(*) V. l. 13. *familiae erciscundae.* l. 42 *de rei vindicatione.*
(a) Quia pro propositione dolus est.

ret. Haec enim verecunda cogitatio ejus, qui lites execratur, non est vituperanda: sed ejus duntaxat, qui cum rem habere vult, litem ad alium transfert, ut molestum adversarium pro se subjiciat. l. 4. §. 1. in fine.

4. Sed haeredem instituendo, vel legando, si quis alienet, huic edicto locus non erit. l. 8. §. 3.

5. Intelligis, si rem, ne secum ageretur, qui possidebat, venundedit, et emptori tradidit, quem elegeris conveniendi tibi tributam esse jure facultatem. l. 1. C. *eod.*

TITULUS VIII.

De receptis, qui arbitrium receperunt ut sententiam dicant.

SUMMARIA.

1. *Ex compromisso finiuntur lites ut in judicio.*
2. *Compromissum ad poenam tantum obstringit.*
3. *Qui arbitrium recepit sententiam dicere debet.*
4. *Si plures sint arbitri, omnes simul sententiam dicant.*
5. *In duos compromitti potest.*
6. *Nulla sententia, si unus ex arbitris abfuerit.*
7. *Arbiter sententiam mutare non potest* (1).
8. *Arbiter nullam ex controversiis debet omittere injudicatam.*
9. *Nec corrigere.*
10. *Plenum compromissum est quod ad omnes controversias pertinet.*

---

(1) Nam ea prolata, desinit esse arbiter.

11. *Prorogare diem non potest arbiter, nisi id ei concessum sit.*
12. *Morte solvitur compromissum.*
13. *Poena major re de qua agitur.*
14. *Nullum compromissum de crimine.*
15. *Et de causa status.*
16. *Officium et potestas arbitri a compromisso pendet.*
17. *Facultas diem proferendi non trahitur ad diem referendum, seu ante vertendum, altero invito, ne inauditus damnetur.*
18. *Si alter ex reis non sociis compromiserit, alteri non nocet.*
19. *Ex privatorum compromisso poena fisco non quaeritur.*
20. *Post compromissum generale, si quorumdam omissa sit petitio non maligne, instaurabitur.*
21. *Nulla est sententia ultra diem compromissi.*
22. *Interrumpitur praescriptio petitione apud arbitrum.*
23. *Mulieres arbitrium non suscipiunt.*

1. Compromissum ad similitudinem judiciorum redigitur: et ad finiendas lites pertinet (a) l. 1.

2. Ex compromisso placet exceptionem non nasci, sed poenae petitionem. l. 2.

3. Tametsi neminem praetor cogat arbitrium recipere (quoniam haec res libera et soluta est, et extra necessitatem jurisdictionis posita), attamen ubi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam et sollicitudinem suam hanc rem pertinere praetor putat: non tantum quod studeret lites finiri, verum quoniam non

(a) De discrimine inter arbitrum et arbitratorem. V. l. 76 77 78 *pro socio*. De praestatione poenae. V. l. 5 *de verborum obligationibus*. §. 4.

deberent decipi, qui eum, quasi virum bonum, disceptatorem inter se elegerunt. Finge enim, post causam jam semel atque iterum tractatam (*b*), post nudata, utriusque intima, et secreta negotii aperta, arbitrum vel gratiae dantem, vel sordibus corruptum, vel alia qua ex causa nolle sententiam dicere, quisquamne potest negare aequissimum fore, praetorem interponere se debuisse, ut officium quod in se recepit, impleret? l. 3. §. 1.

4. Si plures sunt qui arbitrium receperunt; nemo unus cogendus erit sententiam dicere: sed aut omnes, aut nullus. l. 17. §. 2. (1)

5. Principaliter tamen quaeramus, si in duos arbitros sit compromissum, an cogere eos praetor debeat sententiam dicere: quia res fere sine exitu futura est propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem? In impari enim numero idcirco compromissum admittitur, non quoniam consentire omnes facile est, sed quia etsi dissentiant, invenitur pars major, cujus arbitrio stabitur. Sed usitatum est, etiam in duos compromitti. l. 17. §. 6.

6. Celsus libro secundo digestorum scribit, si in tres fuerit compromissum, sufficere quidem duorum consensum, si praesens fuerit et tertius: alioquin, absente eo, licet duo consentiant, arbitrium non valere: quia in plures fuit compromissum (*c*), et potuit praesentia ejus trahere eos in ejus sententiam. Sicuti tribus judicibus datis, quod duo ex consensu, absente tertio, judica-

---

(b) Qui semel arbiter fuit, nunquam debet in eadem causa esse patronus post nudata intima, et secreta negotii aperta.

(1) Concordia. *Leggi civ. art.* 1088.

(*c*) L. 39. *de re judicata*.

verunt, nihil valet: quia id demum, quod major pars omnium judicavit, ratum est, cum et omnes judicasse palam est. l. 17. §. ult. et l. 18.

7. Unde videndum erit, an mutare sententiam possit: et alias quidem est agitatum, si arbiter jussit dari, mox vetuit, utrum eo quod jussit, an eo quod vetuit, stari debeat? Et Sabinus quidem putavit posse. Cassius sententiam magistri sui bene excusat: et ait, Sabinum non de ea sensisse sententia quae arbitrium finiat, sed de praeparatione causae; ut puta si jussit litigatores kalendis adesse, mox idibus jubeat: nam mutare eum diem posse (*d*). Caeterum, si condemnavit, vel absolvit, dum arbiter esse desierit, mutare se sententiam non posse. l. 19. §. 2.

8. (*e*) *Dicere sententiam* existimamus eum, qui ea mente quid pronuntiat, ut secundum id discedere eos a tota controversia velit. Sed si de pluribus rebus sit arbitrium receptum; nisi omnes controversias finierit, non videbitur dicta sententia. l. 19. §. 1.

9. Quia arbiter, et si erraverit in sententia dicenda, corrigere eam non potest. l. 20.

10. Plenum compromissum appellatur, quod de rebus omnibus, controversiisve compositum est: nam ad omnes controversias pentinet. l. 21. §. 6.

11. Haec autem clausula, *diem compromissi proferre*, nullam aliam dat arbitro facultatem, quam diem prorogandi. Et ideo conditionem primi compromissi neque minuere, neque immutare potest: et ideo caetera quoque discutere et pro omnibus unam sententiam ferre debebit. l. 25. §. 1. l. 33.

(d) V. l. 14 et 55. *de re judicata.*
(e) V. l. 1. *de re judicata.*

12. Si haeredis mentio, vel caeterorum facta in compromisso non fuerit, morte solvetur compromissum. l. 27. §. 1. (2)

13. (f) Non distinguemus in compromissis, minor, an major sit poena (g), quam res de qua agitur. l. 32.

14. Julianus indistincte scribit: si per errorem de famoso delicto ad arbitrum itum est: vel de ea (re) de qua publicum judicium sit constitutum, veluti de adulteriis, sicariis, et similibus; vetare debet praetor sententiam dicere, nec dare dictae executionem. l. 32. §. 6.

15. De liberali causa compromisso facto, recte non compelletur arbiter sententiam dicere: quia favor libertatis est, ut majores judices habere debeat. Eadem dicenda sunt, sive de ingenuitate, sive de libertinitate quaestio sit: et si ex fideicommissi causa libertas deberi dicatur. l. 32. § 7. (3)

16. De officio arbitri tractantibus sciendum est, omnem tractatum ex ipso compromisso sumendum: nec enim aliud illi licebit, quam quod ibi, ut efficere possit, cautum est. Non ergo quodlibet statuere arbiter poterit, nec in qua re libet: nisi de qua re compromissum est, et quatenus compromissum est. l. 32. §. 15.

17. Arbiter nihil extra compromissum facere potest; et ideo necessarium est adjici de die compromissi proferenda. Caeterum impune jubenti non parebitur. Arbiter ita sumptus ex compromisso, ut et diem proferre possit, hoc quidem facere potest: referre autem contradicentibus litigatoribus non potest. l. 32. §. ult. l. 33.

---

(2) Concord. *Leggi civ. art.* 1088, 1089.

(f) Hoc apud nos non valet.

(g) V. l. 4. §. 3. *de doli mali et metus exceptione.*

(3) » Non è lecito di compromettere sulle quistioni di stato «. *Leggi civ. art.* 1080.

18. Si duo rei sunt aut credendi, aut debendi, et unus compromiserit, isque vetitus sit petere, aut ne ab eo petatur; videndum est (an) si alius petat, vel ab alio petatur, poena committatur. Idem in duobus argentariis (*h*), quorum nomina simul eunt: et fortasse poterimus ita fidejussoribus conjungere, si socii sunt, alias nec a te petitur, nec ego peto, nec meo nomine petitur, licet a te petatur. l. 34.

19. Arbiter *intra certum diem servos restitui jussit*; quibus non restitutis, poenae causa fisco secundum formam compromissi condemnavit. Ob eam sententiam fisco nihil adquiritur: sed nihilominus stipulationis poena committitur, quod ab arbitro statuto non sit obtemperatum. l. 42.

20. De rebus controversiisque omnibus compromissum (in arbitrum) a Lucio Titio, et Maevio Sempronio factum est: sed errore quaedam species in petitionem a Lucio Titio deductae non sunt, nec arbiter de his quicquam pronunciavit. Quaesitum est, an species omissae peti possint? Respondit, peti posse, nec poenam ex compromisso committi. Quod si maligne hoc fecit, petere quidem potest, sed poenae subjugabitur. l. 43.

21. Si ultra diem compromisso comprehensum judicatum est, sententia nulla est. l. 1. in f. C. *de recept. arb.* (4).

22. Definimus conventum in scriptis apud compromissarium judicem factum, ita temporis interruptionem inducere, quasi in ordinario judicio lis fuisset inchoata. l. 5. §. 1. in C. *eod.*

(h) Alter autem potest jusjurandum deferre. l. 28 *de jurejurando.*
(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 1088, n. 2.

23. Feminae arbitrium suscipere non possunt. l. ult. C. eod.

TITULUS IX.

Nautae, caupones, stabularii, ut recepta restituant (1).

SUMMARIA.

1. *Recepta restituant nautae, caupones, stabularii.*
2. *Utilitas edicti ex necessitate.*
3. *Hoc edicto tenetur qui navem exercet.*
4. *Tenetur exercitor ex facto ejus quem praeposuit.*
5. *Caupo tenetur ex facto institoris.*
6. *Pro recepto habetur quod est illatum.*
7. *In littore recepta, licet in navem non illata, periculo sunt exercitoris.*
8. *Ex hoc edicto omne damnum praestatur, nisi quod vi aut fato contigerit.*
9. *Ad ea pertinet edictum, quae rebus illatis accedunt.*
10. *Custodia debetur, etsi merces non detur ob custodiam.*
11. *In hoc edicto venit furtum et damnum.*
12. *Nautarum factum praestat exercitor, si in navi damnum dederit, non exstra navem.*

Ait praetor: *nautae, caupones, stabularii, quod cujusque salvum fore receperint, nisi restituent, in eos judicium dabo.* l. 1.

2. Maxima utilitas est hujus edicti, quia necesse est plerumque eorum fidem sequi, et res custodiae eorum committere. Ne quisquam putet graviter hoc adversus eos constitutum: nam est in ipsorum arbitrio ne quem

(1) V. M. le Pretre, cent. I. c. 19.

recipiant (a), et nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus adversus eos quos recipiunt, coeundi: cum ne nunc quidem abstineant hujusmodi fraudibus. l. 1. §. 1.

3. Nautam accipere debemus eum, qui navem exercet: quamvis nautae appellantur omnes, qui navis navigandae causa in nave sint. Sed de exercitore solummodo praetor sentit: nec enim debet (inquit Pomponius) per remigem aut mesonautam obligari. l. 1. §. 2.

4. Et sunt quidam in navibus, qui custodiae gratia navibus praeponuntur, ut *ναυφύλακες*, id est *navium custodes*, et dictarii. Si quis igitur ex his receperit, puto in exercitorem dandam actionem: quia is, qui eos hujusmodi officio praeponit, committi eis permittit. l. 1. §. 3.

5. Caupones autem, et stabularios aeque eos accipiemus, qui cauponam, vel stabulum exercent, institoresve eorum. Caeterum, si qui opera mediastini fungitur, non continetur; ut puta atriarii, et focarii, et his similes. l. 1. §. 5.

6. (*) *Recepit autem salvum fore*, utrum si in navem res missae, ei adsignatae sunt, an, et si non sint adsignatae, hoc tamen ipso quod in navem missae sunt, receptae videntur? Et puto, omnium eum recipere cu-

(a) Contra tenetur recipere hospites, viatores, etc. modo locus sit. V. l. 1. §. ult. *furti adversus nautas*.

(*) Lex 6. §. 3. ait: In factum actione caupo tenetur pro his qui habitandi causa in caupona sunt. Hoc autem non pertinere ad eum, qui hospitio repentino recipitur veluti viator. V. l. un. §. ult. *furti adversus nautas*. Nota duas esse actiones, alteram ex contractu de recepto in simplum, alteram ex maleficio in duplum. In prima exercitor praestat factum vectorum, et caupo viatorum: in secunda secus. Cujac. ad l. 6 *nautae, caupones*. Revera dicitur in l. 1. §. 2. *furti adversus nautas*: hanc actionem esse in duplum.

stodiam, quae in navem illatae sunt, et factum non solum nautarum praestare debere, sed et vectorum. Sicut et caupo viatorum. Et ita de facto vectorum etiam Pomponius scribit. l. 1. §. ult. l. 2. et l. 3. (2)

7. Idem ait, etiamsi nondum sint res in navem receptae, sed in littore perierint, quas semel recepit periculum ad eum pertinere. l. 3. (3)

8. In locato conducto culpa, in deposito dolus dumtaxat praestatur: at hoc edicto omnimodo qui recepit tenetur, etiam si sine culpa ejus res periit, vel damnum datum est; nisi si quid damno fatali contingat. Inde Labeo scribit: si quid naufragio, aut per vim piratarum perierit, non esse iniquum, exceptionem ei dari. l. 3. §. 1. in fine. v. l. 5. §. 1. (4)

9. Vivianus dixit etiam ad eas res hoc edictum pertinere, quae post impositas merces in navem, locatasque inferentur, et si earum vectura non debetur; ut vestimentorum, penoris quotidiani: quia haec ipsa caeterarum rerum locationi accedunt. l. 4. §. 2.

---

(2) » I vetturali per terra e per acqua, gli osti e gli alberga» tori son tenuti come depositarj per le cose loro affidate, o intro» dotte ne' loro alberghi dal viandante. » *Leggi civ. art.* 1628, 1824.

» Sono essi tenuti pel furto, o pel danno arrecato alle robe » del viandante, tanto se il furto sia stato commesso, o il danno » sia stato arrecato da' domestici, o dalle persone preposte alla di» rezione degli alberghi (del bastimento, o vettura), quanto dagli » estranei. » *Ivi*, *art.* 1628, 1825.

(3) » Sono tenuti non solo per ciò che si hanno già ricevuto » nel loro bastimento, o vettura, ma eziandio per ciò che loro è » stato consegnato sul porto, o nel luogo di ricapito, per essere » riposto nel loro bastimento, o vettura. » *Leggi civ. art.* 1629.

(4) » Sono tenuti per la perdita e per le avarie delle cose che » sono state loro affidate, quando non provino che siensi perdute, » o abbiano sofferto avaria per un caso fortuito, o per forza irresi» stibile. » *Leggi civ. art.* 1630, 1826.

10. Nauta, et caupo, et stabularius mercedem accipiunt non pro custodia: sed nauta ut trajiciat vectores; caupo, ut viatores manere in caupona patiatur; stabularius, ut permittat jumenta apud eum stabulari: et tamen custodiae nomine tenentur. Nam et fullo, et sarcinator, non pro custodia, sed pro arte mercedem accipiunt; et tamen custodiae nomine ex locato tenentur. l. 5.

11. Quaecumque de furto diximus, eadem et de damno debent intelligi: non enim dubitari oportet, quin is qui salvum fore recipit, non solum a furto, sed etiam a damno recipere videatur. l. 5. §. 1. v. l. 3. §. 1.

12. Debet exercitor omnium nautarum suorum, sive liberi, sive servi, factum praestare; nec immerito factum eorum praestat (*b*), cum ipse eos suo periculo adhibuerit. Sed non alias praestat, quam (*c*) si in ipsa nave damnum datum sit: caeterum (*d*) si extra navem, licet a nautis, non praestabit. l. ult. (5)

(b) Licet gratis navigaveris vel in caupona gratis deverteris, non tamen in factum actiones tibi non denegabuntur, si damnum injuria passus es. l. 6.

(c) Saepius de ejusdem hominis admisso quaeri non debet. §. 4.

(d) Contra in l. 18 ratam rem haberi.

(5) Vedi la nota 2.

TITULUS I.

De judiciis, et ubi quisque agere vel conveniri debeat.

SUMMARIA.

1. *Multam dicere potest, qui publice judicare.*
2. *In jus vocatus venire debet, licet habeat privilegium fori, hoc ipsum allegaturus.*
3. *Privilegium fori superveniens inutile est.*
4. *Insulae affines sunt pars provinciae.*
5. *Non desistit qui differt.*
6. *Judex esse non potest surdus, mutus, furiosus, impubes, senatu motus, femina: potest filiusfamilias.*
7. *Actor est qui provocat.*
8. *Litem suam facit judex, si dolo, gratia, inimicitia, sordibus, sententiam dicit.*
9. *Debitori fatenti, mora modici temporis indulgenda.*
10. *Appellans prior agit.*
11. *Lite incepta non mutatur forum.*
12. *Dilatio propter causam conceditur.*
13. *Prius de possessione, quam de proprietate.*
14. *Judicis potestas arbitrio interdum moderanda.*
15. *Cautio exigi potest ex justa causa ante diem solvendi.*
16. *Non est dandus is judex quem pars petiit.*
17. *Minor causa majori accedit.*
18. *Judex criminis de causa civili non cognoscit.*
19. *Alter petitor, alter reus.*
20. *Ambigua actoris intentio in ejus favorem interpretanda.*

21. *Ordo edictorum arbitrio judicis.*
22. *Pro absente pronuntiandum, si bonam causam habeat.*
23. *Mutatis partibus etiam omnibus, totum idem manet.*
24. *Qui temere litigat debet sumptus.*
25. *Victus victori debet expensas.*
26. *Stricto juri aequitas anteponenda.*
27. *Suspectum judicem licet recusare.*
28. *Litis contestationem facit causae narratio coram judice.*
29. *Actor sequitur forum rei.*
30. *Ibi de crimine agitur ubi admissum est.*

His datur multae dicendae jus, quibus publice judicium est, et non aliis; nisi hoc specialiter eis permissum est. l. 2. §. ult.

2. Si quis ex aliena jurisdictione ad praetorem vocetur, debet venire, ut et Pomponius et Vindius scripserunt. Praetoris est enim aestimare, an sua sit jurisdictio; vocati autem, non contemnere auctoritatem praetoris: nam et legati, caeterique qui revocandi domum jus habent, in ea sunt causa, ut in jus vocati veniant, privilegia sua allegaturi. l. 5.

3. Si quis, posteaquam in jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse coeperit; in ea causa jus revocandi forum non habebit (*a*), quasi praeventus. l. 7.

4. Insulae Italiae, pars Italiae sunt: et cujusque provinciae. l. 9.

5. Destitisse is videtur, non qui distulit, sed qui liti renuntiavit in totum. l. 10.

(a) V. l. 19. *de jurisdictione*. l. 5. §. 7. *de jure immunitatis.*

6. Quidam lege impediuntur ne judices sint; quidam natura; quidam moribus. Natura, ut surdus, mutus, et perpetuo furiosus, et impubes, quia judicio carent. Lege impeditur, qui senatu motus est. Moribus, feminae, et servi. l. 12. §. 2. Qui possunt esse judices, nihil interest in potestate, an sui juris sint. d. l. in f.

7. In tribus (istis) judiciis, familiae erciscundae, communi dividundo, et finium regundorum, quaeritur, quis actor intelligatur, (*b*) quia par causa omnium videtur? Sed magis placuit, eum videri actorem, qui ad judicium provocasset. l. 13.

8. (*c*) Judex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Dolo malo autem videtur hoc facere (*d*), si evidens arguatur ejus vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes: ut veram aestimationem litis praestare cogatur. l. 15. §. 1. (1)

9. Si debitori meo velim actionem edere, probandum erit, si fateatur se debere, paratumque dicat solvere, audiendum eum, dandumque diem cum competenti cautela ad solvendam pecuniam: *neque enim magnum damnum est in mora modici temporis* (*e*). l. 21. (2).

(b) L. 2. §. 1. *communi dividundo.*

(c) V. l. 32 *de re judicata.*

(d) Julianus autem in haeredem judicis, qui litem suam fecit, putat actionem competere; quae sententia vera non est, et a multis notata est. l. 16.

(*1*) » I giudici possono esser presi a parte, se si pretenda che » nel corso della istruzione, ó nell' atto della sentenza sia intervenuto dolo, frode, ó concussione. » *Leggi di proc. civ. art.* 569.

(e) Scilicet cum jus actoris mora deterius factum non est. l. 8. *si quis cautionibus.* V. l. 21 §. 1 *de pecunia constituta.* l. 23 *de obligationibus et actionibus.* l. 105 *de solutionibus et liberationibus.*

(2) » I giudici, avendo riguardo alla situazione del debitore, » possono accordare dilazioni moderate pel pagamento. » *Leggi civ. art.* 1107.

10. Qui appellat prior, agit. l. 29.

11. Ubi acceptum est semel judicium, ibi et finem accipere debet. l. 30.

12. (*f*) Humanum est propter fortuitos casus dilationem accipi: veluti quod pater litigator filium, vel uxor virum, vel filius parentem amisit; et in similibus causis cognitionem ad aliquem modum substineri. l. 36.

13. (*g*) Si de vi, et possessione quaeratur, prius cognoscendum de vi, quam de proprietate rei, Divus Hadrianus τω κοινω των Θεσσαλων, id est, *communi seu reipublicae Thessalorum* (graece) rescripsit. l. 37. (3)

14. Non quidquid judicis potestati permittitur, id subjicitur juris necessitati. l. 40.

15. In omnibus bonae fidei judiciis, cum nondum dies praestandae pecuniae venit, si agat aliquis ad interponendam cautionem, ex justa causa condemnatio fit. l. 41. (4).

16. Observandum est, ne is judex detur, quem altera pars nominatim petat: (id enim iniqui exempli esse, Divus Hadrianus rescripsit); nisi hoc specialiter a principe ad verecundiam petiti judicis (*) respiciente, permittatur. l. 47.

17. Per minorem causam majori cognitioni praejudicium fieri non oportet: major enim quaestio minorem causam ad se trahit. l. 54. (5).

(f) Quid si quis uxorem duxit, ut vidi in prima libellorum supplicum?

(g) V. *l.* 35. *de acquirenda vel amittenda possessione.*

(3) » Il reo convenuto nella causa del possessorio non potrà » fare le sue difese sul petitorio, finchè non sarà stata definita l' » istanza nel possessorio. » *Leggi di proc. civ.* 131.

(4) Concorda. *Leggi civ.* art. 17; *di proc. civ.* art. 260.

(*) Contra distributiones actorum instituendorum in reos.

(5) Concorda. *Leggi di proc. civ.* art. 432, 434.

18. (*) Latrunculator de re pecuniaria judicare non potest. l. 61. §. 1.

19. Inter litigantes non aliter lis expediri potest, quam si alter petitor, alter possessor sit: esse enim debet, qui onera petitoris sustineat, et qui (i) commodo possessoris fungatur. l. 62.

20. (*) Si quis intentione ambigua vel oratione usus sit; quod utilius ei est, accipiendum est. l. 66.

21. Nonnumquam autem hoc edictum (peremptorium) post tot numero edicta, quae praecesserint, datur: nonnumquam post unum, vel alterum: nonnumquam statim, quod appellatur *unum pro omnibus*. Hoc autem aestimare oportet eum, qui jus dixit: (et) pro conditione causae, vel personae, vel temporis, ita ordinem edictorum, vel compendium moderare. l. 72.

22. Et post edictum peremptorium impetratum, cum dies ejus supervenerit, tunc absens citari debet: et, sive responderit, sive non responderit, agetur causa et pronunciabitur: non utique secundum praesentem, sed interdum vel absens, si bonam causam habuit, vincet. l. 73. (6).

23. (a) Proponebatur: ex his judicibus, qui in ean-

(*) Locum tenens criminalis, seu quivis alius similis.

(i) L. 24 *de rei vindicatione.*

(*) Lex 83. §. 1: *de verborum obligationibus*, *ait*: si Stichum stipulatus de alio sentiam, tu de alio, nihil actum erit; quod et in judiciis Aristo existimavit, sed hic magis est ut is petitus videatur de quo actor sensit; nam stipulatio ex utriusque consensu valet, judicium autem etiam in invitum redditur, et ideo actori potius credendum est, alioquin semper negabit reus se consensisse. Ex h. l. dicitur judicium regulari ab actore.

(6) Concorda. *Leggi di proc. civ.* art. 242, 244.

(a) V. l. 13 *de pignoribus et hypothecis.* V. Nov.

dem rem dati essent, nonnullos causa audita excusatos esse, inque eorum locum alios esse sumptos; et quaerebatur, singulorum judicum mutatio eandem rem, an aliud judicium fecisset? Respondi, non modo si unus aut alter, sed et si omnes judices mutati essent; tamen et rem eandem, et judicium idem, quod antea fuisset, permanere. Neque in hoc solum evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed et in multis caeteris rebus. Nam et legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subjecti essent: et populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret: itemque navem, si adeo saepe refacta esset, ut nulla tabula eadem permaneret quae non nova fuisset, nihilominus eandem navem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qui abhinc anno fuissemus; propterea quod, ut philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hae quotidie ex nostro corpore decederent, aliaeque extrinsecus in earum locum accederent. Quapropter, cujus rei species eadem consisteret, rem quoque eandem esse existimari. l. 76.

24. Eum quem temere adversarium (suum) in judicium vocasse constitit, viatica (*), litisque sumptus adversario suo reddere oportebit. l. 79.

25. Sive alterutra parte absente, sive utraque praesente, lis fuerit decisa, omnes judices, qui sub imperio nostro constituti sunt, sciant victum in expensarum causa victori esse condemnandum. l. 13. §. 6. C. *de jud.* (7).

(*) Expensae itineris.

(7) Concorda. *Leggi di proc. civ.* art. 69, 222.

26. Placuit in omnibus rebus praecipuam esse justitiae aequitatisque, quam stricti juris rationem. l. 8. C. *de jud.*

27. Liceat ei qui suspectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium curratur, libello recusationis ei porrecto. l. 16. C. *eod.* (8).

28. Lis tunc contestata videtur, cum judex per narrationem negotii causam adire coeperit. l. 1 C. *de lit. contest.* (9).

29. Juris ordinem converti postulas, ut non actor rei forum, sed reus actoris sequatur. l. 2 C. *de jurisd. omn. jud. et de foro compet.*

Actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur. l. ult. C. *ubi in rem actio exerceri debet.* (c). Illic fideicommissum petatur, ubi domicilium haeres habet. l. 50. §. ult. D. h. t. (10).

30. (d) Ibi de crimine agendum, ubi admissum est. l. un. C. *ubi de crim. agi oport.* (11).

---

(8) Concorda. *Leggi di proc. civ.* art. 147, 470.

(9) Concorda. *Leggi di proc. civ.* art. 437.

(c) Ratio, quia judex actoris auctoritatem non habet in reum, unde ipsi impune non pareretur.

(10) Concorda. *Leggi di proc. civ.* art. 102, 103, 104, 105, e 151, 152.

(d) Quia plenior ibi probatio.

(11) » Ogni imputato è soggetto alla giurisdizione del giudice » nel cui territorio commette il reato. *Leggi di proc. pen.* artic. 405, §. 2.

TITULUS II.

De inofficioso testamento.

SUMMARIA.

1. *Querela inofficiosi liberis competit et parentibus et fratribus turpi haerede instituto.*
2. *Color ejus querelae quasi testator non sanae mentis fuerit.*
3. *Hac querela, exhaeredatus, vel praeteritus, conqueritur.*
4. *Plerumque inofficiosa testamenta ex affectu maligno, aut novercalibus delinimentis.*
5. *Querela derelicta non instauratur.*
6. *Nullus haeredis scripti favor querelam impedit.*
7. *Qui probavit testamentum, a querela excluditur.*
8. *Qui sibi legatum percepit querelam amittit.*
9. *Parentibus competit querela.*
10. *Exhaeredatus qui querela abstinet, aut non abstinet, aut repudiat, partem non facit.*
11. *Augetur pars instituti filii cum extraneo, per querelam exhaeredati.*
12. *Qui haeredis scripti jus probavit, querela excluditur.*
13. *Alimenta praestat filio haeres victus pendente appellatione.*
14. *Transactio super querela legatariis non nocet.*
15. *Natus matre in puerperio moriente, nec scriptus haeres, virilem habebit cum fratribus in testamento scriptis.*
16. *Querela a falsi accusatione non excludit; nec a querela falsi accusatio.*

17. *Non stat injuste irati patris inofficiosum testamentum.*
18. *Supplendum quod deest legitimae, deductis quae a patre profecta, conferenda sunt.*
19. *Querela transit ad liberos exhaeredati eo mortuo ante querelam: ad extraneos haeredes non transit, nisi a defuncto praeparata.*
20. *Liberos exhaeredare non licet sine justa causa, nec si donatione, vel alio modo illis legitima portio relinquatur. Et debet causa probari.*
21. *Licet parentibus liberos exhaeredare ex justis causis.*
22. *Liberis quoque licet parentes exhaeredare ex justis causis.*
23. *Rescisso per querelam inofficiosi testamento sola ruit haeredis institutio.*
24. *Inofficiosae donationes et dotes legitima minuuntur.*
25. *Nulla conditio, aut aliud gravamen legitimae imponi potest.*
26. *Qui testamentum arguit, quasi non jure factum, hujus judicii mora, a querela inofficiosi non excluditur.*
27. *A querela non excluditur qui tutoris nomine legatum pupillo accepit: nec a legato qui querelam pro pupillo movit.*
28. *Majores post quinquennium non nisi ex justa causa ad querelam admittantur.*

1. Sciendum est, frequentes esse inofficiosi querelas: omnibus enim tam parentibus, quam liberis de inofficioso licet disputare. Cognati enim proprii, qui sunt ultra fratrem, melius facerent, si se sumptibus inanibus non vexarent, cum obtinere spem non haberent. l. 1. (1).

(1) Concorda. *Leggi civ.* art. 829, 831.

Fratris vel sororis filii, patrui, vel avunculi, amitae etiam et materterae testamentum inofficiosum frustra dicunt, cum nemo eorum qui ex transversa linea veniunt, exceptis fratre et sorore, ad inofficiosi querelam admittatur. l. 21. C. *eod.* (2).

Fratres vel sorores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arceantur: consanguinei autem durante agnitione (vel non) contra testamentum fratris sui vel sororis de inofficioso quaestionem movere possunt, si scripti haeredes infamiae vel turpitudinis (*a*), vel legis notae macula aspergantur. l. 27. C. *eod.*

2. Hoc colore inofficioso testamento agitur, quasi non sanae mentis fuerunt, ut testamentum ordinarent. Et hoc dicitur, non quasi vere furiosus vel demens testatus sit: sed recte quidem fecit testamentum, sed non ex officio pietatis (*b*). Nam si vere furiosus esset, vel demens, nullum est testamentum. l. 2.

3. *Inofficiosum testamentum dicere*, hoc est, allegare, quare exhaeredari, vel praeteriri non debuerit: quod plerumque accidit, cum falso parentes instimulari liberos suos, vel exhaeredant, vel praetereunt. l. 3.

Hujus verbi *de inofficioso* vis illa est, docere immerentem se, et ideo indigne praeteritum, vel etiam exhaeredatione summotum. l. 5.

4. Non est enim consentiendum parentibus, qui in-

---

(2) » In mancanza di ascendenti e di discendenti, si potrà » disporre della totalità de' beni. *Leggi civ.* art. 832.

(a) Per novel. 118. Differentia agnationis et cognationis sublata est. Ergo uterini hodie admitti debent ad querelam.

(b) Pietati paternae excusandae color quaeritur ex praesumptione furoris animi.

juriam adversus liberos suos testamento inducunt: quod plerumque faciunt, maligne circa sanguinem suum inferentes judicium, novercalibus delinimentis instigationibusve corrupti. l. 4.

5. (*) Si quis, post rem inofficiosi ordinatam, litem dereliquerit, postea non audietur. l. 8. §. 1.

6. Si imperator sit haeres institutus, posse inofficiosum dici testamentum, saepissime rescriptum est. l. 8. §. 2.

7. (*) Si conditioni parere testator haeredem jussit in persona filii, vel alterius qui eandem querelam movere potest, et sciens is accepit; videndum ne ab inofficiosi querela excludatur (*): agnovit enim judicium. Idem est, et si legatarius ei vel statu liber dedit. Et potest dici, excludi eum; maxime si haeredem ei jusserat dare. l. 8. §. 10. (*f*).

Qui agnovit judicium defuncti, eo quod debitum paternum pro haereditaria parte persolvit, vel alio legitimo modo satisfecit, etiamsi minus quam ei debebatur relictum est, si is major vigintiquinque annis est, accusare ut inofficiosam voluntatem patris quam probavit, non potest. l. 8. §. 1. C. *inoff. test.*

8. (*) Illud notissimum est, eum qui legatum perceperit, non recte de inofficioso testamento dicturum: nisi id totum alii administravit (*). l. 10. §. 1.

(*) Exceptiones rei petitorem sua actione depellentis, praesumptio.

(*) Exceptiones etc.

(*) *Lex* 8 §. 8 *ait*: Exhaeredatus qui non queritur facit partem. Intellige modo queri velit: secus si animo repudiantis sileat. l. 17.

(f) L. 2 C. *de jure deliberandi.*

(*) Exceptiones rei petitorem sua actione depellentis.

(*) Exequutor testamentarius.

Si legatario haeres extiterit exhaeredatus, petieritque legatum, videbimus an sit summovendus ab hac accusatione: certum est enim judicium defuncti; et rursus, nihil ei ex testamento relictum, verum est (*a*); tutius tamen fecerit, si se abstinuerit a petitione legati. l. ult. §. 1.

9. (*b*) Etsi parentibus non debetur filiorum haereditas, propter votum parentum, et naturalem erga filios caritatem; turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis, pie relinqui debet. l. 15.

Filio qui de inofficioso matris testamento contra fratrem institutum de parte ante egit et obtinuit, filia quae non egit, aut non obtinuit, in haereditate legitima fratri non concurrit (*c*). l. 16.

10. Qui, repudiantis animo (*d*), non venit ad accusationem inofficiosi testamenti, partem non facit his qui eandem querelam movere volunt. Unde si de inoffi-

---

(a) V. Contra l. 5 §. 7 et 8 *de his quae indignis auferuntur*, et l. ult. hic.

(b) V. l. 7 §. 1. *Si tabulae testamenti nullae extabunt.*

(c) Ideo filia non concurrit, ut ait Cujacius hic, quia sorte erat exclusa praescriptione quinquennii, vel approbaverat judicium defunctae recipiendo legatum, et ideo habetur pro mortua. Aliter admitteretur ipso jure filia ad causam intestati, quia rescissum est testamentum, et non potest pro parte valere, adeo ut victoria unius alteri prosit, ut in l. 19. hic.

(d) Per haec verba explicatur. l. 8 §. 8. Quoniam autem quarta debitae portionis sufficit ad excludendam querelam, videndum erit an exhaeredatus partem faciat qui non quaeritur, ut puta sumus duo filii exhaeredati; et utique faciet, ut Papin. respondit: scilicet si exhaeredatus quidem nondum queratur, sed non repudiantis animo, verum actionem querendi habeat, nam qui silet actio repudiantis. l. 3 *de collusione detegenda.* * *Lex* §. 1 *ait*: Cum contra testamentum juratur, testamenti factionem habuisse defunctus non creditur. Non idem probandum est si haerede non respondente, juratum sit: hoc enim casu non creditur jus ex sententia judicis fieri. V. l. 9 *de liberali causa*. l. 3 *decollusione detegenda*. l. 55 *de evictionibus*.

cioso testamento patris, alter ex liberis exhaeredatis ageret: quia, rescisso testamento, alter quoque ad successionem ab intestato vocatur, et ideo universam haereditatem non recte vindicasset; hic, si obtinuerit, uteretur rei judicatae auctoritate, quasi Centumviri hunc solum filium in rebus humanis esse nunc, cum facerent intestatum, crediderint. l. 17.

11. (e) Mater decedens, extraneum ex dodrante haeredem instituit, filiam unam ex quadrante, alteram praeteriit: haec de inofficioso egit, et obtinuit. Quaero, scriptae filiae quomodo succurrendum sit? Respondi, filia praeterita id vendicare debet, quod intestata matre habitura esset. l. 19. Caeterum, si quis putaverit, filia obtinente, totum testamentum infirmari; dicendum est, etiam institutam ab intestato posse adire haereditatem (f). Nec enim quae ex testamento adiit, quod putat valere, repudiare legitimam haereditatem videtur, quam quidem nescit sibi deferri: cum et hi, qui sciant, jus suum eligentes, id quod putant sibi competere, non amittant; quod evenit in patrono, qui judicium defuncti, falsa opinione motus, amplexus est: is enim non videtur bonorum possessionem contra tabulas repudiasse. Ex quibus apparet, non recte totam haereditatem praeteritam vindicare; cum, rescisso testamento, etiam institutae salvum jus sit adeundae haereditatis. d. l. 19.

12. (*) Si hereditatem ab haeredibus institutis exhae-

(e) Victoria unius alteri prodest. Idem in l. 46 *de usufruct.* V. l. 22 et 29 *de exceptione rei judicatae.* l. 10 §. ult. *de appellationibus.*

(f) V. Bacquet *des droits de justice.* c. 21 n. 92 et 93. V. *de haereditatis petitione.* n. 3.

(*) Exceptiones etc.

redati emerunt, vel res singulas, scientes eos haeredes (esse); aut conduxerunt praedia, aliudve quid simile fecerunt, vel solverunt haeredi quod testatori debebant; judicium defuncti agnoscere videntur, et a querela excludutur. l. 23. §. 1.

13 (*) De inofficioso testamento nepos contra patruum suum vel alium scriptum heredem, pro portione egerat, et obtinuerat. Sed scriptus haeres appellaverat; placuit interim propter inopiam pupilli alimenta pro modo facultatum, quae per inofficiosi testamenti accusationem pro parte ei vindicabantur, decerni, eaque adversarium ei subministrare necesse habere usque ad finem litis. l. 27 §. 3. (3).

14. (*i*) Quamvis instituta inofficiosi testamenti accusatione, res transactione decisa sit; tamen testamentum in suo jure manet: et ideo datae in eo libertates atque legata, usquequo falcidia permittit, suam habent potestatem. l. 29. §. 2. v. 1. n. 23.

15. Si mater, filiis duobus haeredibus institutis, tertio post testamentum suscepto, cum mutare idem testamentum potuisset, hoc facere neglexisset; merito utpote non justis rationibus neglectus, de inofficioso querelam instituere potuerit. Sed cum eam in puerperio vita decessisse proponas, repentini casus iniquitas

(*) *Excepto casu: si contendatur quod legitimus non sit, et exhaeredetur ut filius suppositus.* l. 9 de jure deliberandi. *Vir in quem conjux litem intentat de separatione, ei alimenta sufficit.*

(3) » La persona diredata, quando non abbia altronde mezzi » da vivere, potrà reclamare sulla eredità da cui è esclusa, gli » stretti alimenti. *Leggi civ.* art. 854.

(i) Si exhaeredatus petenti legatum ex testamento advocationem praebuit, procurationemve susceperit, removetur ab accusatione: agnovisse enim videtur qui qualequale judicium defuncti comprobavit. l. ult. V. l. 54 *de rei vindicatione.* V. n. 17.

per conjecturam maternae pietatis emendanda est. Quare filio suo, cui nihil praeter maternum fatum imputari potest, perinde virilem portionem tribuendam esse censemus, ac si omnes filios haeredes instituisset. Sin autem haeredes scripti extranei erant, tunc de inofficioso testamento actionem instituere non prohibetur. l. 3. C. *de inoff. test.*

16. (*k*) Eum qui inofficiosi querelam delatam non tenuit, a falsi accusatione non submoveri placuit. Idem observatur, et si e contrario falsi crimine instituto, victus postea de inofficiosi actionem exercere maluerit. l. 14. C. *eod.*

17. Cum te pietatis religionem non violasse, sed mariti conjugium, quod fueras sortita, distrahere noluisse, ac propterea offensum atque (*l*) iratum patrem ad exhaeredationis notam prolapsum esse dicas, inofficiosi testamenti querelam inferre non vetaberis. l. 18. C. *eod.*

18. Si minus legitima portione liberis testamento relictum sit, quod deerit supplebitur ex rebus haereditariis, ut omnino legitima sine conditionis vel dilationis onere compleatur; in legitimam autem imputantur profectae a testatore donationes et dotes, quas conferre necesse fuit. Ex l. 29. l. 30. l. 31. 32. et 36. C. *eod.* v. n. seq. Quae sit legitima. v. t. *de suis et legit. haered.* n. 5. (4)

19. *Si exhaeredatus a patre ante querelam decesserit*

(k) V. l. 3 *de lege Cornelia de falsis.* l. 5 *de his quae ut indignis auferuntur.* V. *de haereditatis petitione.* n. 3. l. 8. §. 12. ff. h. l. 16 C. *eod.* h. n. 26.

(l) Testamentum ab irato. l. 20 *eod.* C.

(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 837, 839.

relictis liberis, *querelam*, *ipsi poterunt instituere*, *nisi exhaeredatus eorum pater*, *testamentum probaverit.* Ex l. 34 C. *eod.*

Ad extraneos haeredes querela non transmittitur, *nisi praeparata.* l. 36. in f. C. *eod.*

Si quis instituta accusatione inofficiosi decesserit, an ad haeredem suum querelam transferat? Papinianus respondit, (quod et quibusdam rescriptis significatur) si post agnitam bonorum possessionem decesserit, esse successionem accusationis. Et si non sit petita bonorum possessio, iam tamen coepta controversia, vel praeparata: vel si, cum venit ad movendam inofficiosi querelam, decessit; puto ad haeredem transire. l. 6. §. ult. ff. h. tit.

20. (m) Non licet patri vel matri caeterisque parentibus liberos exhaeredare vel praeterire; nec si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum, eis dederint legibus debitam portionem: nisi probentur ingrati, et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento. Novell. 115. c. 3. v. 1. *de lib. et. post.* n. 7. et tit. *de suis et leg. haered.* n. 5. (5)

21. Propter ingratitudinem, caeterasque legitimas causas, liberos exhaeredare parentibus licitum. N. 115. c. 3. v. 1. *de lib. et post.* n. 7. (6)

(m) L. 16 §. 2. *de curatoribus furiosor.*

(5) „ Le persone a vantaggio delle quali la legge stabilisce una „ quota di riserva, o sia legittima, possono esserne private con una „ dichiarazione espressa del testatore, e per una causa ammessa „ dalla legge e spiegata nello stesso testamento. „

„ L'esistenza della causa della diredazione, spiegata nel testa„ mento, debbe esser dimostrata con pruove legali „ *Leggi civ. art.* 848, 851.

(6) Concorda, *Leggi civ. art.* 849.

22. Ex justis causis possunt liberi parentes exhaeredare. Nov. 115. c. 4. v. 1. *de lib. et post.* n. 7. (7)

23. Si ex causa de inofficiosi cognoverit judex, et pronunciaverit contra testamentum, nec fuerit provocatum, ipso jure rescissum est: et suus haeres erit secundum quem judicatum est. l. 8. §. 16. ff. h. t.

Rescisso propter injustam exaeredationem, vel parentum, vel liberorum testamento, sola ruit haeredis institutio, legatis, caeterisque firmis manentibus. Ex Nov. 115. c. 3. in fine, et c. 4. in fine.

24. Immodicae et inofficiosae donationes et dotes, sive in extraneas personas, sive in liberos collatae, a testatis aut intestatis, licet haereditate se abstineant quibus donatum est, ad eum modum minuantur, ut integra sit legitima quibus debetur sive liberis aut parentibus. Toto tit. C. *de inoffic. donat.* l. un. C. *de inoffic. dotib.* Nov. 92. (8)

25. (*n*) Si conditionibus quibusdam, vel dilationibus, aut aliqua dispositione moram, vel modum, vel aliud gravamen introducente, eorum jura, qui ad memoratam actionem vocabantur imminuta esse videantur; ipsa conditio, vel dilatio, vel alia dispositio moram vel quodcumque onus introducens, tollatur, et ita res procedat, quasi nihil eorum in testamento additum esset. l. 32. C. *de inoff. test.* (9)

26. Contra majores 25 annis duplicem actionem inferentes, primam quasi testamentum non sit jure perfectum, alteram quasi inofficiosum, licet jure perfe-

(7) Concorda. *Leggi civ. art.* 850.

(8) Concorda. *Leggi civ. art.* 829, 837.

(n) Idem apud nos.

(9) „ Su la legittima il disponente non potrà imporre vincolo „ o peso alcuno. » *Leggi civ. art.* 829.

ctum: (*) praescriptio ex prioris judicii mora quinquennalis temporis non nascitur, quae officere non cessantibus non potest. l. 16. C. h. t.

Si quis et irritum dicat testamentum, vel ruptum et inofficiosum, conditio ei deferri debet, utrum prius movere volet. l. 8. §. 12. ff. *eod.*

27. (o) Si tutor nomine pupilli, cujus tutelam gerebat, ex testamento patris sui legatum acceperit, cum nihil erat ipsi tutori relictum a patre suo; nihilominus poterit nomine suo de inofficioso patris testamento agere. §. 4. Inst. *de inoff. test.*

(p) Sed si e contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fuerat, de inofficioso egerit, et superatus est ipse tutor; quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit. §. 5. *eod.*

Tutoribus, pupilli nomine, sine periculo ejus quod testamento datum est, agere posse de inofficioso vel falso testamento, divi Severus et Antoninus rescripserunt. l. 30. §. 1. ff. h. t. v. 1. *de his quae ut ind.* l. 22.

28. Adolescentiae tempus non imputari in id quinquennium liberis, cujus praescriptio seram inofficiosi quaestionem moventibus opponi solet, manifeste ante rescripsimus. l. 2. C. *in quib. caus. in integr. rest. necess. non est.*

Nisi pater adhuc superstes, vel repudiavit querelam, vel quinquennio tacuit. l. 34. in f. C. *de inoff. test.*

Plane si post quinquennium inofficiosum dici coeptum est, *ex magna et justa causa*, libertates non esse revocandas. l. 8. §. ult. ff. h. tit.

(*) *Interruptio.* V. l. 14 C. eod. h. n. 16.

(o) Quia officii necessitas et tutoris fides satis excusata esse debet. l. 22 *de his quae ut indignis auferuntur.* V. l. ult. ff. h.

(p) Ergo major qui suo nomine testamentum dicit inofficiosum, vel falsum et victus est, non potest amplius petere legatum.

TITULUS III.

De haereditatis petitione.

SUMMARIA.

1. *Necessarias alienationes pendente lite possessor facit.*
2. *Nihil facie[illegible]um in praejudicium petitionis.*
3. *Non excluditur a legitima haereditate, qui testamenti vires ignorans judicium defuncti probavit, veluti si falsum ignoravit.*
4. *Non est praedo qui pretium numeravit.*
5. *Fructus augent haereditatem.*
6. *Is a quo petitur, fit malae fidei possessor.*
7. *Juris error non facit malae fidei possessorem.*
8. *Non tantum litis contestatio, sed et sola petitio facit malae fidei possessorem.*
9. *Impensae in fructus eos minuunt, etiam in praedone.*
10. *Impensae in fructus debentur. Etsi fructus nulli sint.*
11. *Expensas repetit praedo si res melior sit.*
12. *Utiles impensae sunt quae utiliter, necessariae quae necessario fiunt.*
13. *Voluptuarias impensas repetit bonae fidei possessor; non praedo, sed tollit quae sine detrimento auferri possunt.*
14. *Si post petitionem res perierit, lite pendente, bonae fidei possessor non tenetur. Praedo tenetur.*
15. *Praedonis loco est qui tacitam fidem interponit.*
16. *Haereditas sine ullo corpore intelligitur.*
17. *Praestantur usurae fructuum ante petitionem perceptorum: non caeterorum.*
18. *Quaestus inhonestus restituendus.*
19. *Praestat possessor quod ejus negligentia deterius fit.*

20. *Restituendi fructus quos petitor non erat percepturus, si possessor percepit.*

21. *Titulum possessor dicere non cogitur.*

1. Divus Pius rescripsit, prohibendum possessorem haereditatis, de qua controversia erit, antequam lis inchoaretur, aliquid ex ea distrahere; nisi maluerit pro omni quantitate haereditatis vel rerum ejus restitutione satisdare. Causa autem cognita, etsi non talis data sit satisdatio, sed solita cautio, etiam post litem coeptam, deminutionem se concessurum praetor edixit: ne in totum deminutio impedita, in aliquo etiam utilitates impediat; ut puta si ad funus sit aliquid necessarium: nam funeris gratia deminutionem permittit. Item si futurum est, ut nisi pecunia intra diem solvatur, pignus distrahatur. (Sed) et propter familiae cibaria, necessaria erit deminutio. Sed et res tempore perituras permittere debet praetor distrahere. l. 5.

2. (*a*) Eorum judiciorum, quae de haereditatis petitione sunt, ea auctoritas est, ut nihil in praejudicium ejus fieri debeat. l. 5 §. ult. (1)

3. Legitimam haereditatem vindicare non prohibetur is, qui, cum ignorabat vires testamenti, judicium defuncti secutus est. l. 8.

Patronus (*b*), qui deceptus falsum judicium testatoris secutus est, bonorum possessionem contra tabulas testamenti liberti petere non prohibetur. l. 46 D. *de bon. libert.*

(a) Quia est actio universalis, cui per singularem praejudicium fieri non debet.

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 734.

(b) V. *de inofficioso testamento.* n. 16 et n. 11.

4. (c) Nemo praedo est qui pretium numeravit. l. 13 §. 8.

5. Fructus omnes augent haereditatem, sive ante aditam, sive post aditam haereditatem accesserint. l. 20 §. 3, l. 51 §. 1. (2)

(d) Fructibus augetur haereditas cum ab eo possidetur, a quo peti potest. l. 2 C. *eod.*

6. *Petitam haereditatem*, id est, ex quo quis scit a se peti: nam ubi scit, incipit esse malae fidei possessor, id est, *cum primum aut denunciatum esset* (e). l. 20 §. 11. (3)

7. Non puto hunc esse praedonem, qui dolo caret, quamvis in jure erret. l. 25 §. 6.

8. *Si ante litem contestatam*, inquit, *fecerint.* Hoc ideo adjectum, quoniam post litem contestatam omnes incipiunt malae fidei possessores esse: quin imo post controversiam motam (f). Quanquam enim litis contestatae mentio fiat in senatusconsulto, tamen et post motam (g) controversiam omnes possessores pares fiunt, et quasi praedones tenentur. Et hoc jure hodie utimur: coepit enim scire rem ad se non pertinentem possidere se is qui interpellatur. l. 25 §. 7. (4)

9. (h) Fructus intelliguntur deductis impensis, quae

(c) Licet sit malae fidei, et sciat alienam esse haereditatem.
(2) Concorda. *Leggi civ. atr.* 775.
(d) V. Molin. art. 32. *De Lisle.*
(e) Quod si sciat et nemo ei denuntiavit, statim debet usuras.
(3) Concorda. *Leggi civ. art.* 475.
(f) L. 20, §. 11 h.
(g) L. 31 §. 4. Illud praedoni imputari non potest cur passus est debitores liberari et pauperiores fieri, et non eos convenit, cum actionem non habuerit, l. 33 *de rei vindicatione.*

(4) » Si cessa di esser possesore di buona fede per la dimanda » del proprietario anche in conciliazione. » *Leggi civ. art.* 475. §. 2.

(h) Nec unus est casus qui hanc deductionem impedire possit. l. 51 *familiae erciscundae.*

quaerendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solum in bonae fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verum etiam in praedonibus; sicut Sabino quoque placuit. l. 36 §. ult.

10. Quod si sumptum quidem fecit, nihil autem fructuum perceperit; aequissimum erit, rationem horum quoque in bonae fidei possessoribus haberi. l. 37.

11. Plane in caeteris necessariis, et utilibus impensis posse separari; ut bonae fidei quidem possessores has quoque imputent: praedo autem de se quaeri debeat, qui sciens in rem alienam impendit. Sed benignius est, in hujus quoque persona haberi rationem impensarum: non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere. Et idipsum officio judicis continebitur: (nam) nec exceptio doli mali desideratur. Plane, potest in eo differentia esse, ut (*i*) bonae fidei quidem possessor omnimodo impensas deducat (*k*), licet res non extet in quam fecit, sicut tutor vel curator consequuntur; praedo autem non aliter quam si res melior sit. l. 38.

12. Utiles necessariaeque (*impensae*) sunt, veluti quae fiunt reficiendorum aedificiorum gratia, aut in novelleta; aut cum servorum gratia litis aestimatio solvitur, cum id utilius sit, quam ipsos dedi. Denique alias complures ejusdem generis esse impensas manifestum est. l. 39.

13. Videamus tamen, ne et ad picturarum quoque, et marmorum, et caeterarum voluptuariarum rerum impensas aeque nobis proficiat doli exceptio, si modo bonae fidei possessores simus: nam praedoni probe di-

(i) V. l. 10 §. 1. *de negotiis gestis.*

(k) Distinguo inter impensas necessarias et utiles. Verus dominus fecisset ultro necessarias, sed forte non fecisset utiles. Unde cum res perierit, hae impensae non prosunt domino, unde dominus potest eas denegare possessori bonae fidei.

cetur, non debuisse in alienam rem supervacuas impensas facere; ut tamen potestas ei fieret tollendorum eorum, quae sine detrimento ipsius rei tolli possunt (*l*) l. 39. §. 1.

14. Illud quoque quod in oratione divi Hadriani est: *ut post acceptum judicium, id actori praestetur, quod habiturus esset, si eo tempore quo petit, restituta esset haereditas*: interdum durum est. Quid enim, si post litem contestatam mancipia, aut jumenta, aut pecora deperierint? Damnari debebit secundum verba orationis; quia potuit petitor, restituta haereditate, distraxisse ea. Et hoc justum esse in specialibus petitionibus Proculo placet. Cassius contra sensit. In praedonis persona Proculus recte existimat: in bonae fidei possessoribus Cassius (*m*). Nec enim debet possessor aut mortalitatem praestare, aut propter metum hujus periculi temere indefensum jus suum relinquere. l. 40.

15. Praedonis loco intelligendus est is (*n*) qui tacitam fidem interposuerit, ut non capienti restitueret haereditatem. l. 46.

16. Haereditas, etiam sine ullo corpore, juris intellectum habet. l. 50.

17. Fructuum post haereditatem petitam perceptorum usurae non praestantur (*o*). Diversa ratio est eorum, qui ante actionem haereditatis illatam percepti, haereditatem auxerunt (*p*) l. 51. §. 1.

(l) L. 38. *de rei vindicatione.*

(m) Limita si rem petitor distracturus erat. l. 15 in fine *de rei vindicatione.*

(n) V. l. 103 *de legatis* 1, l. 10 *de his quae indignis auferuntur.*

(o) Ratio est quia isti fructus petiti non fuerunt, unde non veniunt nisi ex officio judicis, et tanquam accessiones. Porro accessio accessionis non datur.

(p) L. 20 §. 3. Et ita usurae debentur ex sola petitione sortis.

18. Si possessor ex haereditate (*) inhonestos habuerit quaestus (q), hos etiam restituere cogetur (r): ne honesta interpretatio non honesto quaestui lucrum possessori faciat. l. 52.

19. Cum praedia urbana et rustica, negligentia possessorum pejora sint facta, veluti quia vineae, pomaria, horti (s) extra consuetudinem patrisfamilias defuncti culta sunt: litis aestimationem earum rerum quanto pejores sint factae, possessores pati debent. l. 54. §. ult.

20 (*) Cum haereditas petita sit, eos fructus, quos possessor percepit, omnimodo restituendos, et si petitor eos percepturus non fuerat. l. 56. l. 39. §. 1. *de leg.* 1.

Cogi possessorem, ab eo qui expetit, titulum suae possessionis dicere (t), incivile est, l. 11. C. *eod.*

(*) *Lex* 15 de usoris *ait*: Neque eorum fructuum qui post litem contestatam officio judicis restituendi sunt, usuras praestari oportere, neque eorum qui prius percepti quasi malae fidei possessori condicuntur.

(q) Has leges concilia, quia lex 51 loquitur in judicio universali: lex autem 15 in judicio particulari rei vendicationis.

(r) V. contra l. 46 §. 4 *de procuratoribus et defensoribus*. l. 8 §. 1 *de negotiis gestis*. l. 27 §. 1. hic, l. 4 §. 2. *familiae erciscundae*, et l. 53. *pro socio*.

(s) Verum non licet possessori bonae fidei rem quam putat suam negligere. Unde lex intelligi debet de malae fidei possessore. Imo possessor bonae fidei potest evertere, destruere, refigere, quia bona fides ejus tantum ei praestat quantum veritas et pro veritate habetur, et praeterea cavendum est ne hac injecta formidine verus dominus non audeat re sua uti ad libitum. Gotofr. ad Nov. 6 C. ult. ait, impensae non sunt improbabiles quae fiunt ex consuetudine.

(*) *Lex ultima ait*: Filius a patre emancipatus secundum conditionem testamenti matris adiit haereditatem, quam pater antequam filium emanciparet possedit, fructusque ex ea possedit; sed erogationem in honorem filii, cum esset senator, fecit ex ea. Quaesitum est cum paratus sit pater restituere haereditatem, habita ratione eorum quae in eum erogavit, an filius nihilominus perseverans petere haereditatem, doli mali exceptione summoveri possit? Respondi, et si non exciperetur, satis per officium judicis consuli.

(t) Infavorabile. l. 6 ff. *de collatione*.

TITULUS IV.

Si pars haereditatis petatur.

SUMMARIA.

1. *Filius, licet ignoret se haeredem esse, haeres est.*

1. Illud sciendum est, si mulier praegnans non sit, existimetur autem praegnans esse, interim filium haeredem esse ex asse, quanquam ignoret se ex asse haeredem esse (*a*). l. 5.

TITULUS V. *De possessoria hereditatis petitione.*

TITULUS VI. *De fideicommissaria hereditatis petitione.*

(a) Ibi autem ait Gotof. Quae pater expendit nomine filii, *ea* expendere in dubio videtur ex bonis quae a filio habet. V. l. 6 C. *de bonis quae liber.* V. l. 3. *antiqui libero ventri.* De ea quae praegnans praesumitur tres liberos habere in utero.

LIBER SEXTUS.

TITULUS I.

De rei vindicatione.

SUMMARIA.

1. *Nova species ejus est qui fecit.*
2. *Quod ex equa mea nascitur, meum est.*
3. *Arbor translata in alterius fundum, ejus fit, si coaluit.*
4. *Pondus de infecta, numerum de signata, species de facta materia dicitur: mensura de ea quam metimur.*
5. *Rem praestat possessor, si post ejus moram perierit.*
6. *Restituitur cum ipsa re causa omnis.*
7. *Dum sic rei quid accedit ut unum fiat, totum ejus est cujus quod praevalet, soluto pretio vilioris.*
8. *Tignum junctum non eruitur, sed alia actio competit.*
9. *Utilius possidere, quam petere.*
10. *Petitor debet sumptus in rem factos.*
11. *Fructus restituit possessor, etiam rei quae ejus culpa periit.*
12. *Si possessor pro re pretium restituat, non ei cavetur de evictione.*
13. *De impensis a possessore factis varie statuendum, pro variis causarum figuris.*
14. *Domini est quod redemptor in ejus fundo aedificat.*
15. *Fructus pendentes pars fundi sunt.*
16. *Impensas restituit petitor, nisi ex fructibus perceptis possessori factum sit satis.*

17. *Solum pars aedium.*
18. *Possessor a quo petitus est fundus, non potest consita tollere.*
19. *Qui advocationem contra jus suum praebuit ignorans, illud non amisit.*
20. *Navis carinam sequitur.*
21. *Usura non natura pervenit.*
22. *Malae fidei possessor praestat fructus quos petitor erat percepturus.*
23. *Manu militari aufertur possessio ab eo qui judici non paret.*
24. *Restituendam quanti res est.*
25. *Dominio soli accedit quod inaedificatur, vel inseritur. Sed impensa restituenda.*
26. *Praescribit qui bona fide a praedone comparavit.*
27. *Si duobus praedium distrahatur, aut donetur, potior erit possessor.*

1. Pomponius scribit: si ex melle meo et vino tuo factum sit mulsum, quosdam extimasse id quoque communicari. Sed puto verius, ut et ipse significat, ejus potius esse qui fecit: quoniam suam speciem pristinam non continet. l. 5. §. 1. (1)

2. Idem scribit: si equam meam equus tuus praegnantem fecerit, non esse tuum, sed meum quod natum est. l. 5. §. 2. (2)

3. (a) De arbore quae in alienum agrum translata

---

(1) » I proprietarj ne acquistano in comune la proprietà in » proporzione della quantità, qualità e valore delle materie appar» tenenti a ciascuno. » *Leggi civ. art.* 498, §. 2.

(2) » I parti degli animali appartengono al proprietario per di» ritto di accessione. » *Leggi civ. art.* 472.

(a) Praescriptio extraordinaria. V. n. 25.

coaluit, et radices immisit, Varus et Nerva utilem in rem actionem dabant: nam si nondum coalnit mea esse non desinet. l. 5. §. 3.

4. Octavenus ita definit, quod infectae quidem materiae pondus, signatae vero numerum, factae antem speciem dici oportet: sed et mensura dicenda erit, cum res mensura continebitur. l. 6.

5. Si servus petitus, vel animal aliud demortuum sit sine dolo malo et culpa possessoris, pretium non esse praestandum plerique aiunt. Sed et verius si forte distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere praestari (b): nam si ei restituisset, distraxisset, et pretium esset lucratus. l. 15. §. ult. v. l. 49. f. *de hered. petit. l.* 20.

6. Praeterea restituere debet possessor et quae post acceptum judicium per eum non ex re sua adquisivit: in quo haereditates quoque legataque quae per eum servum obvenerunt, continentur. Nec enim sufficit corpus ipsum restitui: sed opus est ut et causa rei restituatur: id est, ut omne habeat petitor quod habiturus foret, si eo tempore quo judicium accipiebatur, restitutus illi homo fuisset. l. 20.

7. Si quis rei suae alienam rem ita adjecerit, ut pars ejus fieret: veluti si quis statuae suae brachium aut pedem alienum adjecerit, aut scypho ansam vel fundum, vel candelabro sigillum, aut mensae pedem; dominum totius ejus rei effici, vereque statuam suam dicturum, et scyphum plerique recte dicunt. Sed et id quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur, statim meum fit; licet de pictura quidam contra senserint pro-

---

(b) Si petitor distracturus erat.

pter pretium picturae. Sed necesse est, ei rei cedi quod sine illa esse non potest. In omnibus igitur istis in quibus meas res per praevalentiam, alienam rem trahit; meamque efficit, si eam rem vindicem, per exceptionem doli mali cogar pretium ejus quod accesserit, dare. l. 23. §. 2. 3 et 4.

Si quis aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturae cedere: aliis videtur picturam, qualiscunque sit, tabulae cedere. Sed nobis videtur melius esse tabulam picturae cedere: ridiculum est enim picturam Appellis vel Parrhasii in accessionem vilissimae tabulae cedere. §. 34. Inst. *de rer. div.* (3)

8. (*c*) Tignum alienum aedibus junctum nec vindicari potest, propter legem duodecim tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi, nisi adversus eum qui sciens alienum junxit aedibus: sed est actio antiqua de tigno juncto, quae in duplum ex lege XII tabularum descendit. l. 23. §. 6.

9. Is qui destinavit rem petere, animadvertere debet, an aliquo interdicto possit nancisci possessionem: quia longe commodius est ipsum possidere, et adversarium (*d*) ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere. l. 24.

10. In rem petitam si possessor ante litem contestatam sumptus fecit, per doli mali exceptionem ratio eorum haberi debet, si perseveret actor petere rem suam non redditis sumptibus. l. 27. §. 5. (4)

11. Fructus non modo percepti, sed et qui percipi

(3) Concorda. *Leggi civ. art.* 495, 496.

(c) Ne urbs ruinis deformetur. V. l. 1. *de tigno juncto.* l. 7 §. 10 *de acquirendo rerum dominio.*

(d) Commodum possessionis. l. 62 *de judiciis.*

(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 780.

honeste potuerunt, aestimandi sunt. Et ideo si dolo aut culpa possessoris res petita (e) perierit, veriorem putat Pomponius Trebatii opinionem, putantis eousque fructuum rationem habendam, quousque haberetur si non periisset: id est, ad rei judicandae tempus; quod et Juliano placet. l. 33.

12. (f) Petitor possessori de evictione cavere non cogitur rei nomine, cujus aestimationem accepit: sibi enim possessor imputare debet (g), qui non restituit rem. l. 35. §. 2.

13. In fundo alieno, quem imprudens emeras, aedificasti: aut conseruisti, deinde evincitur bonus judex varie ex personis causisque constituet. Finge et dominum eadem facturum fuisse: reddat impensam ut fundum recipiat, usque eo duntaxat quo pretiosior factus est: et si plus pretio fundi accessit (h), solum quod impensum est. Finge pauperem; qui si id reddere cogatur (i), laribus, sepulcris avitis carendum habeat: sufficit tibi permitti tollere ex his rebus quae possis; dum ita ne deterior sit fundus, quam si initio non foret aedificatum. l. 38.

(e) L. 31 §. 4 *de haereditatis petitione.*

(f) Evidens est hujus legis iniquitas, nisi rigorem juris humanitas evertat: revera aestimatio facit emptionem. l. 3 *pro emptore.* Sed dici potest legem istam. 35 §. 2 obtinere adversus creditorem hypothecaria agentem propter tit. eod. Creditorem evictionem pignoris non debere. Quod si res a vero domino evincatur postquam possessor aestimationem dedit agenti hypothecaria.

(g) Lex autem obtinere potest in casu transactionis praeter. l.65 *de condictione indebiti.*

(h) L. 19 §. 1. *de haereditatis petitione.*

(i) Constituimus vero ut si paratus est dominus tantum dare quantum habiturus est possessor his rebus ablatis; fiat ei potestas; neque malitiis indulgendum est, si tectorium puta quod induxeris, picturaque corradere velis, nihil laturus nisi ut officias. V. l. 53. Ita autem ferendus est tollere ornatum quem posuit, si futurum est ejus quod abstulit. l. 9 *de impensis in res dotales factis.*

14. Redemptores qui suis coementis aedificant, statim coementa faciunt eorum in quorum solo aedificant. l. 39.

15. Fructus pendentes pars fundi videntur. l. 44. (5)

16. (*k*) Sumptus in praedium quod alienum esse apparuit, a bonae fidei possessore facti, neque ab eo qui praedium donavit (*l*), neque a domino peti possunt: verum exceptione doli posita, per officium judicis aequitatis ratione servantur, si fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedant. Etenim admissa compensatione superfluum sumptum, meliore praedio facto, dominus restituere cogitur. l. 48.

17. Solum partem esse aedium existimo, nec alioquin subjacere, uti mare navibus. l. 49.

18. (*m*) Si fundi possessor eum excoluisset, sevisset ve; et postea fundus evincatur (*n*), consita tollere non potest. l. 53.

19. Inter (*o*) officium advocationis, et rei suae defensionem multum interest: nec propterea quis, si postea cognoverit rem ad se pertinere, quod alii eam vindicanti tunc ignorans suam esse, adsistebat, dominium suum amisit. l. 54.

---

(5) » Le messi attaccate alle radici ed i frutti degli alberi non » ancora raccolti sono immobili » *Leggi civ art.* 443.

(k) Ita lex est iniqua nisi actio detur in subsidium.

(l) Nisi mala fide et sciens rem alienam donavit. * Lex 18 §. 3 *de donationibus*, ait: Labeo ait: Si quis mihi rem alienam donaverit, inque eam sumptus magnos fecero, et sic evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere. Plane de dolo posse me adversus eum habere actionem, si dolo fecit. V. l. 16. C. *de evictionibus*. l. 42 §. 1. *soluto matrimonio*. l. 65. Ergo melioris erit conditionis qui consumpsit quam qui aedificavit.

(m) Si quid aedificavit non potest refigere. l. 15 *de usu et usufructu*.

(n) Quia nil inde laturus est, nisi ut officiat. l. 38 l. 9. *de impensis in res dotales factis*.

(o) Advocatus. V. l. ult. *de inofficioso testamento*.

20. Proprietas totius novis carinae causam sequitur. l. 61 in fine.

21 Usura non natura pervenit, sed jure percipitur. l. 62. l. 12. *de verborum significatione.*

22. Generaliter autem, cum de fructibus aestimandis quaeritur, constat animadverti debere non an malae fidei possessor fruiturus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset: quam sententiam Julianus quoque probat. l. 62. §. 1.

23. Qui restituere jussus judici non paret, contendens non posse restituere; si quidem habeat rem (p), manu militari, officio judicis ab eo possessio transfertur, et fructuum duntaxat, omnisque causae nomine condemnatio fit. l. 68.

24. Si vero nec potest restituere, nec dolo fecit quo minus possit, non pluris quam quanti res est, id est, quanti adversarii interfuit, condemnandus est. Haec sententia generalis est, et ad omnia sive interdicta, sive actiones in rem, sive in personam sunt, ex quibus arbitratu judicis quid restituitur, locum habet. l. 68. in fine.

25. Si inferiorem partem aedificii, quae solum contingit, ad te pertinere probare potes; eam quam vicinus tuus imposuit accessisse dominio tuo non ambigitur; sed et id quod in solo tuo aedificatum est, quoad in eadem causa manet, jure ad te pertinet. l. 2. C. *eod.*

Si quis sciens alienum agrum sevit, vel plantas imposuit, postquam hae radicibus terram fuerint amplexae, solo cedere rationis est. Domini enim magis segetem vel plantas, quam per hujusmodi factum, solum suum

(p) L. 3. Ne vis fiat ei qui in possessionem missus erit.

facit. Sane eum qui bona fide possidens hoc fecerit, per doli mali exceptionem contra vindicantem dominum servare sumptus, juris auctoritate significatum est. l. 11. C. *eod.* V. n. 13.

Si in area communi domum aliquis extruit, hanc vobis communem juris fecit ratio: cujus portionem ab eo qui bona fide possidens aedificavit si velis vindicare, sumptus offerre debes, ne doli mali possis exceptione submoveri. l. 16. C. *eod.* (6)

26. (*q*) Adversus eos qui a malae fidei possessoribus fundum bona fide comparaverunt, ita tibi actio competit, si priusquam usucapionem implerent, vel longae possessionis praescriptionem adipiscerentur, dominium ad te pervenerit. l. 4. C. *eod.* (7)

27. (*r*) Quoties duobus in solidum praedium jure distrahitur, manifesti juris est eum qui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem. l. 15. C. *eod.*

Si ex causa donationis utrique dominium rei vindicetis, eum cui priori possessio soli tradita est, haberi potiorem convenit. d. l. 15. in fine. (8)

---

(6) » Allorchè le piantagioni, costruzioni ed opere sono state » fatte da un terzo e con suoi materiali, il proprietario del fondo » ha diritto o di ritenerle, o di obbligare colui che le ha fatte, a » levarle »

» Se preferisce di conservarle, dee rimborsare il valore de' ma» teriali e del prezzo della mano d' opera » *Leggi civ. art.* 480.

(q) Scilicet titulo oneroso, secus si gratuito. V. l. 4. §. 29. *de doli mali et metus exceptione.* V. contra l. 5. *de diversis regulis juris antiqui.* Ubi currit praescriptio et recte. V. quae dixi ad l. 45. §. 29 *de doli mali et metus exceptione.*

(7) Concorda. *Leggi civ. art.* 2186.

(r) L. 6. C. *de haereditate vel actione vendita.* l. 11. *de actionibus empti et venditi.* V. t. de *haereditate vel actione vendita.* n. ult.

(8) » Se taluno vende a due persone lo stesso fondo in tempi » diversi, il primo compratore sarà sempre preferito al secondo, » tuttochè questi sia stato più sollecito a trascrivere il suo titolo » *Leggi civ. art.* 2081.

TITULUS II.

De publiciana in rem actione.

SUMMARIA.

1. *Si eadem res duobus vendita sit a non domino, potior est cui res tradita est. Si a diversis non dominis, potior qui possidet.*
2. *Haeres furis successor vitiorum defuncti.*

1. (*a*) Si duobus quis separatim vendiderit bona fide ementibus, videamus quis magis publiciana uti possit; utrum is cui priori res tradita est, an is qui tantum emit. Et Julianus libro septimo digestorum scripsit, ut si quidem ab eodem non domino emerint, potior sit cui priori res tradita est: quod si a diversis non dominis, melior causa sit possidentis, quam petentis; quae sententia vera est. l. 9. §. 4.

2. (*b*) Haeres furis hanc actionem non habet, quia vitiorum defuncti successor est. l. 11 §. 2.

(a) Gotof. ad l. 7 §. ult. ait: Scientia non simpliciter rei alienae, sed injusta propositio malam fidem constituit.

(b) L. 11 *de diversis regulis juris antiqui.*

TITULUS III.

Si ager vectigalis, id est, emphyteuticarius, petatur.

SUMMARIA.

1. *Agri vectigales, sunt qui in perpetuum locantur.*
2. *Emphyteuta quasi dominus.*
3. *Emphyteusis jus tertium inter locationem et alienationem.*
4. *Si fundus pereat, domini damnum est: damnum particulare ad emphyteutam pertinet.*

1. Agri civitatum alii *vectigales* vocantur, alii *non*. Vectigales vocantur qui in perpetuum locantur; id est, hac lege; ut tamdiu pro illis vectigal pendatur, quamdiu neque ipsis qui conduxerunt, neque his qui in locum eorum successerunt, auferri eos liceat. *Non vectigales* sunt qui ita colendi dantur, ut privatim agros nostros colendos dare solemus. l. 1. (1).

2. Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus, quamvis non efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionem adversus quemvis possessorem: sed et adversus ipsos municipes; ita tamen si vectigal solvant, l. 1. §. 1. et l. 2. (2).

3. Jus emphyteuticarium neque conductionis, neque alienationis esse titulis adjiciendum, sed hoc jus tertium

---

(1) » L' enfiteusi è un contratto, in virtù del quale si concede » un fondo coll' obbligo di migliorarlo, e di pagare in ogni anno » una determinata prestazione che si dice *canone*, o in danaro o » in derrate, in ricognizione del dominio del concedente. *Leggi civ. art.* 1678.

(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 1686.

esse constituimus ab utriusque memoratorum contractuum societate seu similitudine separatum. Conceptionem item definitionem habere propriam, et justum esse validumque contractum; in quo cuncta quae inter utrasque contrahentium partes super omnibus, vel etiam fortuitis casibus, pactionibus scriptura interveniente habitis, placuerint, firma illibataque perpetua stabilitate modis omnibus debeant custodiri. l. 1 C. *de jure emphyt.* (3).

4. Si fundus emphyteuticarius perierit, domino perit: si damnum particulare contigerit, illud feret emphyteuta. d. l. 1. *de jure emphyt.* in f. (4).

(3) Concorda. *Leggi civ. art.* 1682.
(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 1688.

LIBER SEPTIMUS.

TITULUS I.

De usufructu, et quemadmodum quis utatur fruatur.

SUMMARIA.

1. *Ususfructus est jus alienis rebus fruendi.*
2. *Et testamento et conventione ususfructus constitui potest.*
3. *Omnium rerum intelligitur ususfructus.*
4. *Falcidia minuitur ususfructus.*
5. *Omnem fructum habet fructuarius.*
6. *Fructuarius aedium debet sarta tecta habere, non reficere quae vetustate lapsa sunt.*
7. *Modicam refectionem et alia onera agnoscit fructuarius.*
8. *Reficere debet et necessaria et voluptuaria, adserere arbores. Non ampliare nec mutare.*
9. *Quidquid ex fundo percipi potest in fructu est.*
10. *Fructuarius cogitur recte colere.*
11. *Lapidicinae et cretifodinae in fructu sunt.*
12. *Etiam inventae post usumfructum.*
13. *Alluvione augetur ususfructus.*
14. *Insula nata non accedit usuifructui.*
15. *Aucupia et piscationes in fructu sunt.*
16. *Seminarium in fructu est, sed renovandum.*
17. *Ex salictis, silvis palaribus, caeterisque caeduis etiam vendere potest fructuarius.*
18. *Ex silva caedua ramos, ex non caedua pedamenta in vineam sumet.*

19. *Arbores evulsae domini sunt, praeter necessaria ad usum villae.*
20. *Fructuarius vendit et locat quae in fructu sunt.*
21. *Satisdat fructuarius.*
22. *Non potest fructuarius fundum facere deteriorem ut augeat reditum.*
23. *Lapidicinas instituere potest et caeterorum fodinas si non noceat.*
24. *Licet interdum sata eruere ut melior fiat fundus.*
25. *Ita meliorem fundum facere potest fructuarius, si domino id expediat.*
26. *Potest aedificium necessarium ponere.*
27. *Potest aedes ornare, non transformare.*
28. *Qui inaedificavit, tollere non potest.*
29. *Non debet abuti.*
30. *Arbores demortuis substituendae.*
31. *Vento dejectae arbores domini sunt.*
32. *Fructuarii sunt fructus pendentes dum incipit ususfructus.*
33. *Onera agnoscit fructuarius.*
34. *Numismatum ususfructus.*
35. *Omnium bonorum ususfructus legari potest salva falcidia.*
36. *Legatarum aedium lumina haeres alteras extollendo, obscurare potest, sed non in totum.*
37. *In legato alternis annis, prior nominatus, prior fruitur.*
38. *Ædibus incensis perit areae ususfructus, nisi in usufructu sint bona omnia.*
39. *Areae ususfructus aedibus inaedificatis augetur, dirutis perseverat. Ædium ususfructus, iis dirutis, perit et in area.*
40. *Pretium rei loco est.*

41. *Usufructus in voluptuosis. L. 28.*
42. *Si ejusdem rei usum unus, fructum alter habeat, utetur uterque: et superfluum in fructu erit.*
43. *Pars indefinita dimidiam significat.*
44. *Proprietati matri legatae accedit ususfructus a filio praeterito ereptus haeredi scripto.*
45. *In fructu sunt immatura lecta.*
46. *Si quid insulae supersit, totius areae durat ususfructus.*
47. *Ususfructus si quando municipibus quaeri possit, centum annis finietur.*
48. *Defuncto fructuario, post perceptos a colono fructus, pensio haeredi quaeritur.*
49. *Arboribus vi eversis non substituit alias fructuarius.*
50. *Fructuarii est quidquid est in fructu, et pensiones.*
51. *Fructuarius conductorem expellere potest.*
52. *Liberatur ab oneribus fructuarius, si usumfructum derelinquat: non a reficiendis quae deteriora fecit.*
53. *Fructuarius gregis debet capita supplere.*
54. *Fructuarius singulorum capitum nihil supplet.*

1. Ususfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia. l. 1. (1).

2. Et sine testamento si quis velit usumfructum constituere, pactionibus et stipulationibus id efficere potest. l. 3. (2).

---

(1) » L' usufrutto è il diritto di godere delle cose di cui un altro ha la proprietà, nel modo che lo stesso proprietario ne godrebbe, ma col peso di conservarne la sostanza tanto nella materia, che nella forma. » *Leggi civ. art.* 503.

(2) » L' usufrutto è stabilito dalla legge o dalla volontà dell' uomo. » *Leggi civ. art.* 504.

3. (*) Constitit autem ususfructus non tantum in fundo et aedibus, verum etiam in servis, et jumentis, caeterisque rebus. l. 3 §. 1. (3).

4. Per legem falcidiam minui potest ususfructus. l. 5. V. 1. *ad leg. falc.* l. 1. §. 7.

5. Usufructu legato, omnis fructus rei ad fructuarium pertinet: et aut rei soli, aut rei mobilis ususfructus legatur. l. 7. (4).

6. Quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoque eum aedes per arbitrium cogi, Celsus scribit. Hactenus tamen, ut sarta tecta habeat: si quae tamen vetustate corruissent (*b*), neutrum (φ) cogi reficere. l. 7. §. 2. (5).

Eum, ad quem ususfructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus praestare debere, explorati juris est. Proinde si quid ultra quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter reposces. l. 7. C. *de usufr. et habit.*

7. Si quae vetustate corruerunt, reficere non cogitur. Modica igitur refectio ad eum pertineat: quoniam et alia onera adgnoscit, usufructu legato: ut puta stipendium, vel tributum, vel salarium, vel alimenta ab ea

---

(*) *Lex 4 ait*: Ususfructus in multis casibus pars dominii est. V. l. 76 §. 2 *de legatis*. 2; l. 25 *de verborum significatione*.

(3) » L' usufrutto può costituirsi egualmente sopra qualunque specie di beni o mobili o immobili. » *Leggi civ. art.* 506.

(4) » L' usufruttuario ha il dritto di godere di ogni specie di frutto naturale, industriale o civile, che possa produrre la cosa di cui ha l' usufrutto. » *Leggi civ. art.* 507.

(b) Sed si haeres refecerit, passurum usufructuarium uti l. 58, 59 et 61 *de legatis*. 1.

(φ) *Forte legendum* neutiquam *aut* non.

(5) » L' usufruttuario non è tenuto se non alle riparazioni di manutenzione ".

" Nè il proprietario nè l' usufruttuario sono tenuti a riedificare ciò ch' è caduto per vetustà, o distrutto per caso fortuito. " *Leggi civ. art.* 530, 532.

re relicta. Et ita Marcellus libro tertiodecimo scribit. l. 7 §. 2 in fine. l. 7 §. 3 h. (6).

8. Cassius quoque scribit libro octavo Juris civilis, fructuarium per arbitrum cogi reficere, quaemadmodum adserere cogitur arbores. * Et Aristo notat, haec vera esse. Neratius autem libro quarto Membranarum ait, non posse fructuarium prohiberi quominus reficiat, quia nec arare prohiberi potest, aut colere. Nec solum necessarias refectiones facturum, sed etiam voluptatis causa, ut tectoria et pavimenta, et similia facere: neque autem ampliare, nec inutile (a) detrahere posse, quamvis melius repositurus sit: quae sententia vera est. l. 7. §. ult. et l. 8. (7).

9. Si fundi ususfructus sit legatus, quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructus est. l. 9. (8).

10. (b) Celsus libro octavodecimo digestorum scribit, cogi eum posse recte colere. l. 9.

11. (c) Sed si lapidicinas babeat, et lapidem cae-

(6) " Durante l' usufrutto, l' usufruttuario è tenuto a tutti i carichi annuali del fondo, come sono le contribuzioni ed altri pesi che, secondo la consuetudine, cadono su i frutti. " *Leggi civili art.* 533.

(a) Quidam legunt *utile*. Verum legendum *inutile*: nam quod fructuario videtur inutile, forte domino utile erit. * Lex ultima, *de usu et habitatione*, ait: Usuariae rei speciem is cujus proprietas est, nullo modo commutare potest, deteriorem enim causam usuarii facere non potest: facit autem deteriorem etiam in meliorem statum commutando. V. l. 13 §. 5.

(7) " Le riparazioni straordinarie sono a carico del proprietario. " *Leggi civ. art.* 530.

(8) Concorda. *Leggi civ. art.* 507.

(b) Et omnia suo tempore facere debet, ne intempestiva cultura deteriorem fundum faciat. l. 25 §. 3 *locati conducti*.

(c) V. l. 13 §. 5 et 6. Modo lapides renascantur, alioquin in fructu non habentur. l. 7 §. 13 *soluto matrimonio*. Quales sunt in Gallia et in Asia, ut dicitur in l. eadem.

dere velit, vel cretifodinas habeat, vel arenas; omnibus his usurum Sabinus ait, quasi bonum patremfamilias. Quam sententiam puto veram. l. 9 §. 2. (9).

12. Sed si haec metalla post usumfructum legatum sint inventa, cum totius agri relinquatur ususfructus, non partium; continentur legato. l. 9. §. 3. (10).

13. (*) Placuit alluvionis quoque usumfructum ad fructuarium pertinere. l. 9. §. 4. (11).

14. Sed si insula juxta fundum in flumine nata sit, ejus usumfructum ad fructuarium non pertinere, Pegasus scribit; licet proprietati accedat: esse enim veluti proprium fundum, cujus ususfructus ad te non pertineat. Quae sententia non est sine ratione: nam ubi latitat incrementum, et ususfructus augetur; ubi autem apparet separatum, fructuario non accedit. l. 9. §. 4.

15. Aucupiorum quoque, et venationum reditum, Cassius ait libro octavo Juris civilis, ad fructuarium pertinere. Ergo et piscationum. l. 9 §. 5.

16. Seminarii autem fructum puto ad fructuarium pertinere: ita tamen ut et vendere ei et seminare liceat. Debet tamen conserendi agri causa, seminarium

---

(9) " L' usufruttuario gode delle miniere e delle cave di pietre che sono aperte ed in esercizio al tempo in cui si fa luogo all' usufrutto, nel modo stesso che ne godrebbe il proprietario. " *Leggi civ. art.* 523.

(10) " L' usufruttuario non ha verun dritto sulle miniere o cave di pietre non ancora aperte. " *Leggi civ. art.* 523, §. 2.

(*) Quid de confiscationibus, de jure spuriis succedendi, et ad haeredibus vacantes, de feudorum ex culpa amissione, de aggregatione? Proprietas ei in primis quatuor juribus spectat, et ususfructus ultimae.

(11) " L' usufruttuario gode degl' incrementi prodotti per alluvione al fondo di cui ha l' usufrutto. " *Leggi civ. art.* 521.

paratum semper renovare, quasi instrumentum agri; ut finito usufructu, domino restituatur. l. 9 §. 6 (12).

17. Si fundi ususfructus fuerit legatus, et sit ager, unde palo in fundum, cujus ususfructus legatus est, solebat paterfamilias uti, vel salice, vel arundine; puto fructuarium hactenus uti posse, ne ex eo vendat (13): nisi forte salicti ei, vel silvae palaris, vel arundineti ususfructus sit legatus; tunc enim et vendere potest. Nam et Trebatius scribit, silvam caeduam, et arundinetum posse fructuarium caedere, sicut paterfamilias caedebat; et vendere, licet paterfamilias non solebat vendere, sed ipse uti: ad modum enim referendum est, non ad qualitatem utendi. l. 9 §. 7. (14).

18. Ex silva caedua pedamenta, et ramos ex arbore usufructuarium sumpturum: ex non caedua, in vineam sumpturum, dum ne fundum deteriorem faciat. l. 10.

19. Arboribus evulsis, vel vi ventorum dejectis, usque ad usum suum et villae posse usufructuarium ferre, Labeo ait: nec materia eum pro ligno usurum, si habeat, unde utatur ligno. Quam sententiam puto veram: alioquin, et si totus ager sit hunc casum passus, omnes arbores auferret fructuarius. Materiam tamen ipsum succidere, quantum ad villae refectionem, putat posse: quaemadmodum calcem (inquit) coquere,

---

(12) " I piantoni, quando si possano estrarre da un semenzajo senza deteriorarlo, formano egualmente parte dell' usufrutto, coll' obbligo all' usufruttuario di conformarsi agli usi de' luoghi per lo rimpiazzo. *Leggi civ. art.* 515.

(13) " L' usufruttuario può prendere ne' boschi pali per le vigne, del pari che i prodotti annuali e periodici degli alberi; osservando sempre l' uso del paese, o la pratica de' proprietarj. " *Leggi civ. art.* 518.

(14) Concorda. *Leggi civ. art.* 515.

vel arenam fodere, aliudve quid aedificio necessarium sumere. l. 12. v. 1. l. 19. §. 1. v. 18. (15).

20. Usufructuarius vel ipse frui ea re, vel alii fruendam concedere, vel locare, vel vendere potest: nam et qui locat utitur, et qui vendit utitur. Sed et si alii precario concedat vel donet, puto eum uti, atque ideo retineri usumfructum. l. 12. §. 2. (16).

21. Si cujus rei ususfructus legatus erit, dominus potest in ea re satisdationem desiderare, ut officio judicis hoc fiat (c): nam sicuti debet fructuarius uti frui, ita et proprietatis dominus (*d*) securus esse debet de proprietate. Haec autem ad omnem usumfructum pertinere, Julianus libro trigesimo octavo digestorum probat. l. 13. (17).

22. Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet; meliorem facere potest. Et aut fundi est ususfructus legatus, et non debet neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quicquam

---

(15) „ Gli alberi fruttiferi che periscono, come anche quelli che sono svelti o spezzati per accidente, appartengono all' usufruttuario col peso di surrogarne altri. „

Non già gli alberi di alto fusto „ de' quali può solamente adoperare per le riparazioni cui egli è tenuto. „ *Leggi civ. art.* 517, 519.

(16) „ L' usufruttuario può godere egli stesso, o dare in affitto ad altri, o vendere, o cedere l' esercizio de' suoi diritti a titolo gratuito. „ *Leggi civ. art.* 520.

(c) Qui fideicommisso conditionali oneratus est, satisdat ut fideicommissarius securus sit de proprietate.

(d) Quid, testator potestne satisdationem remittere? Non: saltem in usufructu improprie dicto: quamvis cautio legatorum servandorum causa remitti possit ex constitutione D. Marci. l. 2 C. *Ut in possessionem legatorum.* V. l. 7 *de usufructu earum rerum quae usu consumuntur.*

(17) L' usufruttuario presta cauzione di usufruire da buon padre di famiglia, se pure non è dispensato dal titolo stesso da cui deriva l' usufrutto „ *Leggi civ. art.* 526.

facere in perniciem proprietatis (a). Et si forte voluptuarium fuit praedium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amoenas habens, non debebit dejicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad reditum spectat. l. 13 §. 4. (18).

23. Inde est quaesitum, an lapidicinas vel cretifodinas, vel arenifodinas ipse instituere possit? Et ego puto etiam ipsum instituere posse (b), si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicinarum, et hujusmodi metallorum inquirere poterit. Ergo et auri, et argenti, et sulphuris, et aeris, et ferri, et caeterorum fodinas, vel quas pater familias instituit, exercere poterit: vel ipse instituere, si nihil agriculturae nocebit. l. 13 §. 5.

24. Et si forte in hoc quod instituit, plus reditus sit quam in vineis, vel arbustis, vel olivetis quae fuerunt; forsitan etiam haec dejicere poterit: si quidem ei permittitur meliorare proprietatem. l. 13 §. 5 (19).

25. Si tamen quae instituit usufructuarius aut coelum corrumpant agri, aut magnum apparatum sint desideratura, opificum forte, vel legulorum (c) quae non potest sustinere proprietarius; non videbitur viri boni arbitratu frui. l. 12 §. 6.

(a) Ex praedio voluptuario non potest fructuosum facere fructuarium. V. l. 7 §. ult. et l. 8.

(18) Concorda. *Leggi civ. art.* 508, 530, 539.

(b) V. l. 9 §. 2. Fructuarius non potest ipse fodere lapidicinas, quia non potest mutare formam rei. Idque licet lapis renascatur, sicut in l. 7 §. 13. *soluto matrimonio.* Nam licet grandes arbores renasci possint, non potest eas caedere, secus tamen si ager sit penitus inutilis.

(19) Contra. Egli dee conservare la sostanza tanto nella materia, che nella forma. *Leggi civ. art.* 503.

(c) Qui oleas legunt.

26. Sed nec aedificium quidem positurum in fundo: nisi quod ad fructum percipiendum necessarium sit. l. 13 §. 6 in fine.

27. Sed, si aedium ususfructus legatus sit, Nerva filius et lumina immittere eum posse, ait: sed et colores et picturas, et marmora poterit, et sigilla, et si quid ad domus ornatum. Sed neque diaetas, transformare, vel conjungere, aut separare ei permittetur; vel aditus posticasve vertere; vel refugia aperire, vel atrium mutare, vel viridaria ad alium modum convertere. Excolere enim quod invenit potest, qualitate aedium non immutata. Item Nerva, eum cui aedium ususfructus legatus sit, altius tollere non posse, quamvis lumina non obscurentur, quia tectum magis turbatur: quod Labeo etiam in proprietatis domino scribit. Idem Nerva, nec obstruere eum posse. l. 13 §. 7.

28. Sed, si quid inaedificaverit, postea eum neque tollere hoc (*d*), neque refigere posse: refixa plane posse vindicare. l. 15. (20).

29. Mancipiorum quoque usufructu legato, non debet abuti, sed secundum conditionem eorum uti. Nam si librarium rus mittat, et qualum et calcem portare cogat; histrionem, balneatorem faciat, vel de symphonia atriensem; vel de palaestra stercorandis latrinis praeponat: abuti videbitur proprietate. Sufficienter autem alere, et vestire debet secundum ordinem, et dignitatem mancipiorum. Et generaliter Labeo ait, in

(d) Consita non potest tollere. l. 53 *de rei vindicatione*.

(20) ,, L'usufruttuario non può in fine dell'usufrutto ripetere alcuna indennità pe' miglioramenti che pretendesse di aver fatti. Può bensì togliere gli specchi, i quadri ed altri ornati che vi avesse fatti collocare. ,, *Leggi civ. art.* 524.

omnibus rebus mobilibus modum eum tenere debere, ne sua feritate vel saevitia ea corrumpat: alioquin etiam lege Aquilia eum conveniri. l. 15 §. 1. 2. et 3.

30. (c) Agri usufructu legato, in locum demortuarum arborum aliae substituendae sunt; et priores ad fructuarium pertinent. l. 18. V. l. 59. (21).

31. Si arbores vento dejectas dominus non tollat, per quod incommodior sit ususfructus, vel iter; suis actionibus usufructuario cum eo experiundum. l. 19. §. 1. V. s. l. 15.

32. (a) Si pendentes fructus jam maturos reliquisset testator, fructuarius eos feret; si die legati cedente, adhuc pendentes deprehendisset: nam et stantes fructus ad fructuarium pertinent. l. 27. (22).

33. Si quid (b) cloacarii nomine debeatur, vel si quid ob formam aquaeductus quae per agrum transit, pendatur, ad onus fructuarii pertinebit. Sed et si quid ad collationem viae, puto hoc quoque fructuarium subiturum. Ergo et quod ob transitum exercitus confertur ex fructibus. Sed et si quid municipio: nam solent possessores certam partem fructuum municipio,

---

(c) Nota discrimen inter arbores vi ventorum evulsas in l. 12 et 19, et arbores demortuas. V. l. 7 §. 12. *soluto matrimonio*

(21) „ Gli alberi fruttiferi che periscono, come quelli che sono svelti o spezzati per accidente, appartengono all' usufruttuario col peso di surrogarne altri. „ *Leggi civ. art.* 519.

(a) V. Contra. l. 8 *de annuis legatis et fideicommissis.* Nec restituit impensas, sed finito usufructu repetit, si forte fructus pendentes reliquerit. Videtur magna hic subesse iniquitas; sed testatoris mens fuit, ut fructuarius fundo frueretur in eo statu in quo esset; non est autem par intentio fructuari.

(22) „ I frutti pendenti dai rami o uniti al suolo nel momento in cui comincia l' usufrutto, appartengono all' usufruttuario. *Leggi civ. art.* 510.

(b) V. hic sed vectigalium species.

viliori pretio, addicere: solent et fisco fusionem (c) praestare. Haec onera ad fructuarium pertinebunt. l. 27 §. 3. (23).

34. Numismatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti solent, ususfructus legari potest. l. 28. V. l. 41.

35. Omnium bonorum usumfructum posse legari, nisi excedat dodrantis aestimationem, Celsus libro trigesimosecundo digestorum, et Julianus libro sexagesimoprimo scribit; et est verius. l. 29. (24).

36. Si is, qui binas aedes habeat, aliarum usum fructum legaverit, posse haeredem, Marcellus scribit, alteras altius tollendo, obscurare luminibus; quoniam habitari potest, etiam obscuratis aedibus (d). Quod usque adeo temperandum est, ut non in totum aedes obscurentur, sed modicum lumen, quod habitantibus sufficit, habeant. l. 30.

37. (e) Quoties duobus ususfructus legatur ita, ut alternis annis utantur, fruantur; si quidem ita legatus fuerit, Titio et Maevio, potest dici priori Titio, deinde Maevio legatum datum. l. 34.

38. (f) Universorum bonorum, an singularum rerum ususfructus legetur, hactenus interesse puto: quod

---

(c) Alias functiones, tributiones. l. 28 *de usu et usufructu legato*. l. 7 §. 2 hic.

(23) Concorda. *Leggi civ. art.* 533, 538.

(24) » Sulla legittima il disponente non potrà imporre vincolo » o peso veruno. » *Leggi civ. art.* 829.

(d) Ne legatum fiat inutile, et fructuarius privetur liberalitate defuncti. V. l. 10 *de servitutibus praediorum urbanorum*. l. 1 §. 2, 3, 4. *si ususfructus petatur*.

(e) Ordo scripturae inspicitur. l. 13 *qui potiores in pignore*, contra in l. 14 *de peculio legato*. l. 9 *de solutionibus et liberationibus*.

(f) Quid apud nos? Num remanet ususfructus in area?

si aedes incensae fuerint, ususfructus specialiter aedium legatus peti non potest. Bonorum autem usufructu legato, areae ususfructus peti poterit: quoniam qui bonorum suorum usumfructum legat, non solum eorum, quae in specie sunt, sed et substantiae omnis usumfructum legare videtur; in substantia autem bonorum etiam area est. l. 34 §. ult.

39. (*g*) Qui usumfructum areae legaverat, insulam ibi aedificavit; ea, vivo eo, decidit, vel deusta est: usumfructum deberi existimavit. Contra autem non idem juris esse, si insulae usufructu legato, area, deinde insula facta sit. l. 36.

40. Qui pretio fruitur, non minus habere intelligitur, quam qui principali re utitur fruitur. l. 39.

41. Statuae et imaginis usumfructum posse relinqui, magis est: quia et ipsae habent aliquam utilitatem, si quo loco opportuno ponantur. l. 41.

Licet praedia quaedam talia sint, ut magis in ea impendamus, quam de illis adquiramus, tamen ususfructus eorum relinqui potest. d. l. §. 1.

42. (*a*) Si alii usus, alii fructus ejusdem rei legetur; id percipiet fructuarius, quod usuario supererit. Nec minus (et) ipse fruendi causa et usum habebit. l. 42.

43. (*b*) Etiam partis bonorum ususfructus legari potest. Si tamen non sit specialiter facta partis mentio, dimidia pars bonorum continetur. l. 43.

(g) Contra in l. 5 §. ult. *quibus modis ususfructus vel usus amittitur.*

(a) Potest usuarius totum quod in fructu est consumere. l. 15 *de usu et habitatione.*

(b) L. 164 *de verborum significatione.* Item si uxor secundo nubens portionem haereditatis marito suo deberit, nec liberos reliquerit.

44. Si extraneo scripto, et emancipato praeterito, matri defuncti, deducto usufructu, proprietas legata sit, petita contra tabulas bonorum possessione, plena proprietas pietatis respectu, matri praestanda est (c). l. 46.

45. (d) Silvam caeduam, etiamsi intempestive caesa sit, in fructu esse constat: sicut olea immatura lecta, item foenum immaturum caesum in fructu est. l. 48 §. 1.

46. Si cui insulae ususfructus legatus est, quamdiu quaelibet portio ejus insulae remanet, totius soli usumfructum retinet. l. 53.

47. An ususfructus nomine actio municipibus dari debeat, quaesitum est. Periculum enim esse videbatur, ne perpetuus fieret: quia neque morte, nec facile capitis deminutione periturus est. Qua ratione proprietas inutilis esset futura, semper abscendente usufructu. Sed tamen placuit dandam esse actionem. Unde sequens dubitatio est, quousque tuendi essent in eo usufructu municipes (*)? et placuit centum annis tuendos esse municipes: quia is finis vitae longaevi hominis est. l. 56. V. 12 de usu et usufr. leg. l. 8. (25).

Si reipublicae ususfructus legetur, sive simpliciter, sive ad ludos, triginta annorum computatio fit. l. 68 D. ad leg. falcid.

(c) Et ita victoria unius alteri prodest, sicut in l. 19 *de inofficioso testamento*. V. l. ult. C. *de usufructu*.

(d) V. l. 22 et 29. De exceptione rei judicatae.

(*) Oporteret hominem substituere, qui vice communitatis vivere, ac mori intelligatur ad usumfructum statuendum. *M. Domat limita l' usufrutto della comunità a 30 anni.*

(25) » L' usufrutto che non è accordato a particolari, non dura » oltre treat' anni. » *Leggi civ. art.* 544.

48. Defuncta fructuaria mense decembri, jam omnibus fructibus, qui in his agris nascuntur, mense octobri per colonos sublatis: quaesitum est, utrum pensio haeredi fructuariae solvi deberet, quamvis fructuaria ante kalendas martias, quibus pensiones inferri debeant, decesserit; an dividi debeat inter haeredem fructuariae, et rempublicam, cui proprietas legata est? Respondi, rempublicam quidem cum colono nullam actionem habere: fructuariae vero heredem sua die, secundum ea quae praeponerentur, integram pensionem percepturum. l. 59. (26).

49. (*f*) Arbores vi tempestatis, non culpa fructuarii, eversas ab eo substitui non placet. l. 59. V. l. 18.

50. Quidquid in fundo nascitur, vel quidquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet: pensiones quoque jam antea locatorum agrorum, si ipsae quoque specialiter comprehensae sint. l. 59 §. 1.

51. Ad exemplum venditionis, nisi fuerint specialiter exceptae pensiones, potest usufructuarius conductorem repellere. l. 59 §. 1 in fine. (27).

52. Cum fructuarius paratus est usumfructum derelinquere (*a*), non est cogendus domum reficere, in

---

(26) » I frutti civili s' intendono acquistati giorno per giorno, ed appartengono all' usufruttuario in proporzione della durata del suo usufrutto. » *Leggi civ. art.* 511.

(f) Ratio quia eas non capit. l. 12 et 19 §. 1. V. l. 7. §. 12. *soluto matrimonio.*

(27) Contra. *Leggi civ. art.* 1589.

(a) Ne ususfructus qui prodesse debet, noceat contra naturam bonorum. l. 49. *de usufructu.* l. 6 §. 2. *si servitus vindicetur.* V. Paris, art. 262 et 387. * Usufructuarius, mulier cui ususfructus certae partis bonorum concessus est, mutui donatarii tenentur reparationes vitalitias facere, quae in fundo cum ususfructus incipit, sunt faciendae.

quibus casibus usufructuario hoc onus incumbit. Sed et post acceptum contra eum judicium, parato fructuario derelinquere usumfructum, dicendum est absolvi eum debere a judice. l. 64. Sed cum fructuarius debeat quod suo suorumque facto deterius factum sit, reficere, non est absolvendus, licet usumfructum derelinquere paratus sit: debet enim omne quod diligens paterfamilias in sua domo facit, et ipse facere. l. 65.

53. Plane, si gregis vel armenti sit ususfructus legatus, debebit ex adgnatis gregem supplere, id est, in locum capitum defunctorum. l. 68 §. ult. (28).

54. Sed quod dicitur, debere eum summittere, toties verum est, quoties gregis, vel armenti, vel equitii, id est, universitatis, ususfructus legatus est. Caeterum si singulorum capitum, nihil supplebit. l. 70 §. 3. v. l. 39. *de usuris.* (29).

(28) » Se il gregge non perisce interamente, l' usufruttuario è tenuto a surrogare i capi degli animali che sono periti, con quelli che nascono, sino alla quantità concorrente. » *Leggi civ. art.* 541, §. 2.

(29) » Se l' usufrutto non è costituito se non sopra un animale il quale venga a perire senza colpa dell' usufruttuario, non è questi tenuto a restituirne un altro, nè a pagarne la stima. » *Leggi civ. art.* 540.

TITULUS II.

De usufructu adcrescendo.

SUMMARIA.

1. *Conjunctis tantum est jus accrescendi.*
2. *Si totum utrique legatum sit, licet separatim, est jus accrescendi.*
3. *Haec verba illi et illi cum Maevio tres partes faciunt.*

1. Quoties ususfructus legatus est, ita inter fructuarios est jus adcrescendi, si conjunctim sit ususfructus relictus. Caeterum, si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus, sine dubio jus adcrescendi cessat. l. 1.

2. Interdum, tamen etsi non sint conjuncti, tamen ususfructus legatus alteri adcrescit: ut puta si mihi fundi ususfructus separatim totius, et tibi similiter fuerit relictus (b). Nam concursu partes habemus. Quod et in proprietate contingeret: nam altero repudiante, alter totum fundum haberet. l. 1. §. 3.

3. Si quis Attio et heredibus suis (c) usumfructum legaverit; dimidiam Attius, dimidiam haeredes habebunt. Quod si ita scriptum sit, *Attio et Seio, cum haeredibus meis*, tres partes fient, ut unam habeant haeredes, tertiam Attius, tertiam Seius. Nec enim interest, ita legetur (d) *illi et illi cum Maevio*: an ita (e) *illi et illi et Maevio*. l. 7.

(b) Verum nonne dici potest per posterius legatum adimi anterius? Olim dicebatur; secus hodie.
(c) Id est, testatoris.
(d) V. l. 5 §. 1. l. 6 et 7. *de rebus dubiis*.
(e) V. l. ult. C. *de imputer*.

TITULUS III.

Quando dies ususfructus legati cedat.

SUMMARIA.

1. *Fructuarii jus in facto consistit et semel cedit.*

1. Quanquam ususfructus ex fruendo consistat, id est facto aliquo ejus qui fruitur et utitur; tamen semel cedit dies. Aliter atque si cui in menses vel in dies, vel in annos singulos quid legetur (*f*): tunc enim per dies singulos, vel menses, vel annos dies legati cedit. l. 1. (1).

(f) Contra dicitur in l. 6 §. 2 in fine. C. *de bonis quae liberis in potestate constitutis.* Usumfructum dietim et quotidie cedere.

(1) » L' usufrutto si estingue collo spirare del tempo per cui fu costituito. » *Leggi civ. art.* 542.

TITULUS IV.

Quibus modis ususfructus vel usus amittitur.

SUMMARIA.

1. *Restituendus fideicommissario ususfructus non perit ex persona legatarii onerati.*
2. *Aedibus exustis perit ususfructus etiam areae.*
3. *Diruta villa quae fundo accedebat, non extinguitur fundi ususfructus.*
4. *Aedibus impositis perit areae ususfructus.*
5. *Si ager stagnum fiat, aut contra, perit ususfructus.*
6. *Durat agri ususfructus positis vineis.*
7. *Si pro silva caedua sationes fiant, perit ususfructus.*
8. *Fructus quos a terra separavit fructuarius ejus fiunt.*
9. *Caro et corium pecoris demortui in fructu non sunt.*

1. Si legatum usumfructum legatarius alii restituere rogatus est; id agere praetor debet, ut ex fideicommissarii persona magis, quam ex legatarii, pereat ususfructus. l. 4.

2. (g) Rei mutatione interire usumfructum placet. Veluti ususfructus mihi aedium legatus est; aedes corruerunt, vel exustae sunt; sine dubio extinguitur. An et areae? Certissimum est, exustis aedibus, nec areae, nec coementorum usumfructum deberi. Et ita et Julianus. l. 5. §. 2.

(g) Si quid insulae supersit, durat ususfructus. l. 53 *de usufructu* Quid juris in doario? Quid in usufructu emptitio, qui scilicet habetur titulo oneroso? Aliud est in usufructu legato. V. l. 36 *de usufructu.*

3. Fundi usufructu legato, si villa diruta sit, ususfructus non extinguetur, quia villa fundi accessio est: non magis quam si arbores deciderint. Sed et eo quoque solo, in quo fuit villa, uti frui potero. l. 8. et l. 9. (1).

4. (a) Si areae sit ususfructus legatus, et in ea aedificium sit positum, rem mutari, et usumfructum extingui, constat. Plane si proprietarius hoc fecit, ex testamento, vel de dolo tenebitur. l. 5. §. ult.

(b) Agri vel loci ususfructus legatus, si fuerit inundatus, ut stagnum jam sit, aut palus, proculdubio extinguetur. Sed et si stagni ususfructus legetur et exaruerit sic, ut ager sit factus; mutata re, ususfructus extinguitur. l. 10. §. 2. et 3.

6. Non tamen, si arvi ususfructus legetur, et ibi vineae sint positae, vel contra, puto extingui. l. 10. §. 4. l. 5. §. ult.

7. Certe, sylvae usufructu legato, si sylva caesa, illic sationes fuerint factae, sine dubio ususfructus extinguitur. l. 10. §. 4.

8. Si fructuarius messem fecit et decessit, stipulam quae in messe jacet, haeredis ejus esse Labeo ait; spicam quae terra teneatur, domini fundi esse; fructumque percipi, spica, aut foeno caeso, aut uva adempta, aut excussa olea, quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit. Sed, ut verum est, quod de olea excussa scripsit, ita aliter observandum de ea olea, quae per se deciderit. Julia-

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 549.
(a) Contra in l. 36 *de usufructu.* l. 12 §. 4.
(b) Quid si aqua recedat. l. 34 §. 1 et 35 *de servitutibus praediorum rusticorum.* l. 14 *quemadmodum servitutes amittuntur.*

nus ait, fructuarii fructus tunc fieri cum eos perceperit: bonae fidei autem possessoris mox quam a solo separati sint. l. 13. (2).

9. (c) Caro et corium mortui pecoris in fructu non est: quia mortuo eo, ususfructus extinguitur. l. 30 (3).

TITULUS V.

De usufructu earum rerum quae usu consumuntur vel minuuntur.

SUMMARIA.

1. *Omnium rerum potest esse ususfructus.*
2. *Pecunia quasi ususfructus.*
3. *Nominum ususfructus.*
4. *Eorum quae usu consumuntur ususfructus cum cautione.*

1. Senatus censuit, ut omnium rerum, quas in cujusque patrimonio esse constaret, ususfructus legari possit. Quo senatusconsulto inductum videtur, ut earum

(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 510, §. 2.

(c) Si tibi fundi ususfructus pure, proprietas sub conditione Titio legata sit, pendente conditione dominium proprietatis, acquisieris, deinde conditio extiterit, pleno jure fundum Titius habebit, quia cum proprietatem acquiris, jus omne ususfructus amisisti. l. 17. Ista lex pugnat cum l. 18 *de servitutibus.* Conciliantur per rigorem et aequitatem juris. *V. Loiseau, du deguerpissement, l. 6 C. 4. Dumoulin, ad §. 13. Consuet. Paris. gl. 5. Basnage, des Hypotheque. C. 17 p.* 228.

(3) » Se il gregge su cui è fondato l' usufrutto, perisce interamente, l' usufruttuario è obbligato a render conto al proprietario delle pelli. » *Leggi civ. art.* 511.

rerum, quae usu tolluntur, vel minuuntur, possit ususfructus legari. l. 1. (1).

2. Sed de pecunia recte caveri oportet his, a quibus ejus pecuniae ususfructus legatus erit. Quo senatusconsulto non id effectum est, ut pecuniae ususfructus proprie esset: nec enim naturalis ratio auctoritate senatus commutari potuit (a), sed, remedio introducto, coepit quasi ususfructus haberi. l. 2.

3. Post quod omnium rerum ususfructus legari poterit; an et nominum? Nerva negavit: sed est verius quod Cassius et Proculus existimant, posse legari. Idem tamen Nerva, ipsi quoque debitori posse usumfructum legari, scribit, et remittendas ei usuras. l. 3.

4. Si vini, olei, frumenti ususfructus legatus erit, proprietas ad legatarium transferri debet: et ab eo cautio desideranda est (b) » ut, quandoque is mortuus, aut « capite deminutus sit, ejusdem qualitatis res restituatur» aut, aestimatis rebus, certae pecuniae nomine cavendum est; quod et commodius est. Idem scilicet de caeteris quoque rebus quae usu continentur, intelligemus. l. 7. (2)

---

(1) » L' usufrutto può costituirsi sopra qualunque specie di beni » o mobili o immobili » *Leggi civ. art.* 506.

(a) Propter l. 8 *de capite minutis.*

(b) Nec remitti potest a testatore, cum sit de essentia ususfructus ne confundatur cum proprietate. Arg. l. 55 de leg. 1. V. l. 13. *de usufructu.* * *Quid? usufructuarius* rerum fungibilium, reddet ne valorem respectu temporis ad praescriptam diem sui legati? an reddet eandem *quantitatem in species* ejusdem bonitatis? distinguo: si legatum ideo factum fuit, ut usufructuarius fructus consumet, eandem reddet quantitatem, si legatum est, ut is vendat, et pretio fruatur, pretium reddere debet.

(2) » Se l' usufrutto comprende cose di cui non si possa far uso senza consumarle, come il danaro, i grani, i liquori: L' usufruttuario ha diritto di servirsene, ma coll' obbligo di restituirle in eguale quantità, qualità e valore, o di pagarne la loro stima, al termine dell' usufrutto » *Leggi civ. art.* 512.

TITULUS VI.

Si ususfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.

SUMMARIA.

1. *Adminicula usuifructui accedunt.*
2. *Accedunt usuifructui aditus ad fundum, et servitutes quas debeat haeres praestare.*
3. *Possessor petitore potior donec titulus appareat.*

1 Ususfructus legatus adminiculis eget sine quibus uti frui quis non potest. Et ideo, si ususfructus legetur, necesse est tamen, ut sequatur eum aditus. l. 1. §. 1.

2. Sed si ususfructus sit legatus, ad quem aditus non est per haereditarium fundum, ex testamento utique agendo fructuarius consequetur, ut cum aditu sibi praestetur ususfructus. Utrum autem aditus tantum et iter, an vero et via debeatur fructuario, legato ei usufructu, Pomponius dubitat. Et recte putat, prout ususfructus perceptio desiderat, hoc ei praestandum. Sed an et alias utilitates et servitutes ei haeres praestare debeat, puta luminum, et aquarum, an vero non? et puto, eas solas praestare compellendum, sine quibus omnino uti non potest (*a*): sed, si cum aliquo incommodo utatur, non esse praestandas. l. 1. §. 2. 3 et 4.

3. Possessores sunt potiores, licet nullum jus habeant. l. 5. V. ult. C. *de rei vend.* l. 128. ff. *de reg. juris.*

(a) V. l. 15 §. 1 *de usufructu.* l. 38. *de usufructu.* Modicum incommodum aequo animo ferre oportet.

TITULUS VII.

De operis servorum.

SUMMARIA.

1. *Fructum impensae minuunt.*

1. Fructus, deductis necessariis impensis, intelligitur. l. 4.

TITULUS VIII.

De usu et habitatione.

SUMMARIA.

1. *Domus usus ad familiam extenditur.*
2. *Et ad inquilinum et hospitem, si ipse usuarius habitet.*
3. *Et ad conductorem qui secum habitet.*
4. *Habitatio mulieris ad virum extenditur, et socerum cum viro scilicet.*
5. *Domus habitatio locari potest.*
6. *Usus rerum uxori quaesitus cum viro promiscuus est.*
7. *Minus in usu quam in fructu.*
8. *Idem.*
9. *Quae usuarius percipiat.*
10. *Potest usus eorum quae in fructu sunt absumere.*
11. *Usus domus potest et ad totam domum extendi.*
12. *Modum usus statuit judex.*
13. *Proprietarius non potest rem commutare.*

1. Cui usus relictus est, uti potest, frui non potest. Et de singulis videndum. Domus usus relictus est aut

marito, aut mulieri: si marito, potest illic habitare, non solus, verum cum familia quoque sua. l. 2. (1)

2. Sed an etiam inquilinum recipere possit, apud Labeonem memini tractatum libro posteriorum. Et ait Labeo, eum, qui ipse habitat, inquilinum posse recipere: idem et hospites. l. 2. in fine.

3. Secundum haec, et si pensionem percipiat, dum ipse quoque inhabitat, non erit ei invidendum l. 4. V. l. 8.

4. Mulieri autem si usus relictus sit, posse eam et cum marito habitare, Quintus Mucius primus admisit, ne ei matrimonio carendum foret (a), cum uti vult domo. Nam per contrarium, quin uxor cum marito possit habitare, nec fuit dubitatum. Quid ergo, si viduae legatus sit? an nuptiis contractis post constitutum usum, mulier habitare cum marito possit? Et est verum, (ut et Pomponius libro quinto et Papinianus libro nonodecimo Quaestionum probat) posse eam cum viro et postea nubentem habitare (b). Hoc amplius Pomponius ait, et cum socero unbitaturam. Imo et socerum nuru habitabit: utique, cum viro una sit. l. 4. §. 1. et l. 5.

5. Sed neque locabunt seorsum, neque concedent habitationem sine se, nec vendent usum. l. 8.

Si quidem habitationem quis reliquerit, ad humaniorem declinare sententiam nobis visum est, et dare legatario etiam locationis sententiam. Quid enim distat,

---

(1) » Colui che avrà il diritto di abitazione in una casa, potrà usarne per quanto è necessario per abitarvi colla sua famiglia, ancorchè siasi maritato dopo l' epoca in cui acquistò il diritto suddetto » *Leggi civ. art.* 557.

(a) L. 6 *de servitute legata.*

(b) Verum non augebitur jus habitationis praeterea, sed in parte eadem domus omnes isti habitabunt.

sive ipse legatarius maneat, sive alii cedat, ut mercedem accipiat. l. 13. C. *de usufr.* §. 5. *Inst. de usu et habit.* (2)

6. Caeterarum quoque rerum usu legato, dicendum est uxorem cum viro in promiscuo usu eas res habere posse. l. 9.

7. Si usus fundi sit relictus, minus utique esse, quam fructum, longeque, nemo dubitat. Sed, quid in ea causa sit, videndum. Et Labeo ait, habitare eum in fundo posse, dominumque prohibiturum illo venire: sed colonum non prohibiturum, nec familiam (scilicet eam) quae agri colendi causa illic sit. Caeterum; si urbanam familiam illo mittat, qua ratione ipse prohibetur, et familiam prohibendam ejusdem rationis est. Idem Labeo ait, et cella vinaria et olearia eum solum usurum: dominum vero invito eo non usurum. l. 10. §. ult.

8. Inque eo fundo hactenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque his, per quos opera rustica fiunt, impedimento sit. l. 11.

9. Praeter habitationem, quam habet, cui usus datus est, deambulandi quoque et gestandi jus habebit. Sabinus, et Cassius, et lignis ad usum quotidianum, et horto, et pomis, et oleribus, et floribus, et aqua usurum: non usque ad compendium, sed ad usum, scilicet non usque ad abusum (c). Idem Nerva: et adjicit, stramentis etiam usurum; sed neque foliis, neque oleo, neque frumento, neque frugibus usurum. Sed Sabinus, et Cassius, et Labeo, et Proculus, hoc am-

(2) L' usuario non può cedere nè affittare il suo diritto ad un altro » *Leggi civ. art.* 556.
(c) Abutitur qui vendit.

plius, (etiam) ex his quae in fundo nascuntur, quod ad victum sibi, suis sufficiat, sumpturum, et ex his quae Nerva negavit. Juventius, etiam cum convivis et hospitibus posse uti. Quae sententia mihi vera videtur: aliquo enim largius cum usuario agendum est pro dignitate ejus cui relictus est usus. Sed utetur is (ut puto) dumtaxat in villa. Pomis autem et oleribus, et floribus, et lignis videndum, utrum eodem loco utatur duntaxat, an etiam in oppidum ei deferri possint? Sed melius est accipere, et in oppidum ei deferenda: neque enim grave onus est horum, si abundent in fundo. Sed si pecoris ei usus relictus est, puta, gregis ovilis, ad stercorandum usurum duntaxat Labeo ait, sed neque lana, neque agnis, neque lacte usurum: haec enim magis in fructu esse. Hoc amplius, etiam modico lacte usurum puto: neque enim tam stricte interpretandae sunt voluntates defunctorum. Sed si boum armenti usus relinquatur, omnem usum habebit et ad arandum, et ad caetera ad quae boves apti sunt. l. 12. §. 1. 2. 3.

10. (*d*) Fundi usu legato, licebit usuario et ex penu, quod in annum duntaxat sufficiat, capere: licet mediocris praedii eo modo fructus consumantur: quia et domo, et servo ita uteretur, ut nihil alii fructuum nomine superesset. l. 15. (3)

11. Si domus usus legatus sit sine fructu, communis refectio est (rei) in sartis tectis, tam haeredis,

(d) Fructuarius non percipit nisi quod usuario superest. l. 42. *de usufructu.*

(3) » Colui che ha l' uso de' frutti di un fondo, non può esigerne se non quanto gli è necessario pe' suoi bisogni e per quelli della sua famiglia » *Leggi civ. art.* 555.

quam usuarii. Videamus tamen, ne, si fructum haeres accipiat, ipse reficere debeat. Si vero talis sit res, cujus usus relegatus est, ut haeres fructum percipere non possit, legatarius reficere cogendus est: quae distinctio rationem habet. l. 18.

12. Usu legato, si plus usus sit legatarius, quam oportet, officio judicis, qui judicat, quemadmodum utatur, quid continetur? ne alter, quam debet, utatur. l. 22. §. ult.

13. Neratius: usuariae rei speciem is, cujus proprietas est, nullo modo commutare potest. (Paulus): deteriorem enim causam usuarii facere non potest. Facit autem (e) deteriorem, etiam in meliorem statum commutata. l. 23.

TITULUS IX.

Usufructuarius quemadmodum caveat.

SUMMARIA.

1. *Duplex cautio: bene usurum, restituturum.*
2. *In testatum redigendum qualis res sit.*
3. *Custodia praestanda.*
4. *Eadem cautiones propter usum.*

1. Si cujus rei usufructus legatus sit, aequissimum praetori visum est, de utroque legatarium cavere: et usurum se boni viri arbitratu; et, cum ususfructus ad eum pertinere desinet, restituturum quod inde extabit. l. 1. (1)

(e) V. l. 7. §. ult. l. 8. l. 15. §. 4. *de usufructu.*

(1) » L' usufruttuario presta cauzione di usufruire da buon padre di famiglia » *Leggi civ. art.* 526.

2. Recte autem facient et haeres et legatarius, qualis res sit, cum frui incipit legatarius, si in testatum redegerint, ut inde possit apparere, an et quatenus rem prejorem legatarius fecerit. l. 1. §. 4. (2).

3. Fructuarius custodiam praestare debet. l. 2.

4. (a) Sed si usus sine fructu legatus erit, adempta fructus causa, satisdari jubet praetor. Hoc merito: ut de solo usu, non etiam de usufructu caveatur. l. 5. §. 1. (3)

---

(2) » L'usufruttuario non può conseguire il possesso delle cose, se non dopo aver fatto fare un inventario de' mobili, ed uno stato degl'immobili soggetti all'usufrutto. *Leggi civ. art.* 525.

(a) L. 9. §. 3. ait: Si vestis ususfructus legatus sit, quanquam haeres stipulatus sit, finito usufructu vestem reddi; tamen non obligari promissorem si eam sine dolo malo adtritam reddiderit. V. l. 58. §. 6. *ad Trebellianum*. l. 13. §. 1. l. 14. *de verborum significatione*.

(3) Concorda. *Leggi civ. art.* 551.

LIBER OCTAVUS.

TITULUS I.

De servitutibus.

SUMMARIA.

1. *Servitutes personarum, et praediorum.*
2. *Unus dominorum servitutem non imponit.*
3. *Modus servitutibus adjici potest.*
4. *Sua sunt tempora servitutibus.*
5. *Viae servitus, qua minus detrimento sit, dirigenda est, aut qua solitum.*
6. *Licet facere opus necessarium ad servitutem.*
7. *Natura servitutis est patiendi quid, vel non faciendi.*

1. Servitutes aut personarum sunt, ut usus et ususfructus; aut rerum, ut servitutes rusticorum praediorum, et urbanorum. l. 1.

2. Unus ex dominis communium aedium servitutem imponere non potest. l. 2.

3. Modum adjici servitutibus posse constat: veluti quo genere vehiculi agatur, vel non agatur; veluti ut equo duntaxat; vel ut certum pondus vehatur, vel grex ille transducatur, aut carbo portetur. l. 4. §. 1.(1)

4. Usus servitutum temporibus secerni potest: forte ut quis post horam tertiam usque in horam decimam eo jure utatur, vel, ut alternis diebus utatur. l. 5. §. 1.(2)

---

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 607, §. 2.
(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 607, §. 2.

5. Si cui simplicius via per fundum cujuspiam cedatur, vel relinquatur, in infinito (videlicet per quamlibet ejus partem) ire agere licebit, civiliter modo: nam quaedam in sermone tacite excipiuntur. Non enim per villam ipsam, nec per medias vineas ire agere sinendus est, cum id aeque commode per alteram partem facere possit, minore servientis fundi detrimento. (3) Verum constitit, ut quam primum viam direxisset (*a*), ea demum ire agere deberet, nec amplius mutandae ejus potestatem haberet: sicuti Sabino quoque videbatur; qui argumento *rivi* utebatur, quem primo qualibet ducere licuisset: postea quam ductus esset transferre non liceret: quod et in via servandum esse verum est. l. 9.

6. Si iter legatum sit, qua, nisi opere facto, iri non possit; licere fodiendo, substruendo, iter facere, Proculus ait. l. 10.

7. (*b*) Servitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis, (veluti viridiaria tollat, aut amoeniorem prospectum praestet, aut in hoc, ut in suo pingat): sed ut aliquid patiatur, aut non faciat. l. 15. §. 1.

---

(3) » Il passaggio dee regolarmente prendersi in quella parte in cui il transito è più breve dal podere chiuso alla via publica » » Ciò nondimeno il passaggio debbe essere stabilito in quella parte ove riesca di minor danno a colui sul cui fondo viene accordato » *Leggi civ. art.* 604, 605.

(a) Non licet variare nisi tempus id confirmaverit. l. 10. *Quemadmodum servitutes amittuntur*. l. 13. §. 1. *de servitutibus praediorum rusticorum*.

(b) Ut pomum decerpere liceat, ut spatiari et coenare in alieno possimus servitus imponi non potest. l. 8. Ratio quia non augetur praedium ex facultatibus istis et ita praedium praedio non servit. l. 1. §. 1. Communia praediorum tam urbanorum quam rusticorum. In omnibus servitutibus quae aditione confusae sunt, responsum est doli exceptionem nocituram legatario, si non patiatur eas iterum imponi l. 18. V. l. 116. §. ult. *de leg.* 1. V. contra l. 17. *quibus modis ususfructus vel usus amittitur*. V. l. 2. §. 18. *de haereditate vel actione vendita*.

TITULUS II.

De servitutibus praediorum urbanorum.

SUMMARIA.

1. *Urbanae servitutes ad varios usus.*
2. *Servitus prospectus.*
3. *Luminum servitus, et ne luminibus officiatur.*
4. *Servitus tempore amittitur.*
5. *Neuter parietem communem aut reficit aut demolitur, altero invito.*
6. *Licet non servienti altius tollere, etsi luminibus noceat.*
7. *Si binas aedes habens alteras legat, lumina necessaria praestabit haeres.*
8. *Antiquus aedificiorum status servandus.*
9. *Servitus non altius tollendi, viridaria non impedit, nisi sit de prospectu.*
10. *Non licet tubulos ad parietem communem admovere.*
11. *Tectoria et picturas habere licet in pariete communi.*
12. *Spatium legitimum inter aedificia.*
13. *Possessione retinentur servitutes in superficie.*
14. *Stillicidium altius tolli potest, non demitti: lenior fieri servitus omnis potest, non durior.*

1. Urbanorum praediorum jura talia sunt: altius tollendi, et officiendi luminibus vicini, aut non extollendi: item, stilicidium avertendi in lectum vel arenam vicini, aut non avertendi: item, immittendi tigna in parietem vicini: et denique, projiciendi, protegendive, caeteraque istis similia. l. 2.

2. Est haec servitus, ne prospectui officiatur. l. 3.

3. *Luminum* (in) servitute constituta, id acquisitum videtur, ut vicinus lumina nostra excipiat. Cum autem servitus imponitur, *ne luminibus officiatur*, hoc maxime adepti videmur, ne jus sit vicino, invitis nobis, altius aedificare, atque ita minuere lumina nostrorum aedificiorum. l. 4.

4. Haec autem jura similiter, ut rusticorum quoque praediorum, certo tempore non utendo pereunt: nisi quod haec dissimilitudo est, quod non omni modo pereunt non utendo (*a*), sed ita si vicinus simul libertatem usucapiat. Veluti si aedes tuae aedibus meis serviant, ne altius tollantur, ne luminibus mearum aedium officiatur, et ego per statutum tempus fenestras meas praefixas habuero, vel obstruxero: ita demum jus meum amitto, si tu per hoc tempus aedes tuas altius sublatas habueris; alioquin, si nihil novi feceris, retineo servitutem. Item si tigni immissi aedes tuae servitutem debent, et ego exemero tignum; ita demum amitto jus meum, si tu foramen unde exemptum est tignum, obturaveris, et per constitutum tempus ita habueris. Alioquin, si nihil novi feceris, integrum jus suum permanet. l. 6.

Non utens spatio temporis amittit servitutem. l. 10. C. *de servit. et aqua*. Decennio scilicet, contra praesentes, vicennio contra absentes. l. 13. C. *eod.* (1)

(a) Servitus urbana tempore non amittitur, nisi qui eam debet libertatem scilicet contrario facto acquirat. Cujas ad l. 4. in fine, *de usucapionibus et usucapionibus*, ait, hanc differentiam adhuc hodie obtinere post constitutionem Justi, in l. penult. C. *de servitutibus*.

(1) » La servitù è estinta col non uso pel corso di trent'anni » *Leggi civ. art.* 627

5. Parietem, qui naturali ratione communis est, alterutri vicinorum demoliendi eum, et reficiendi jus non est (*b*). l. 8.

6. Cum eo, qui tollendo obscurat vicini aedes, quibus non serviat, nulla competit actio. l. 9.

7. Gaurus Marcello: binas aedes habeo, alteras tibi lego. Haeres aedes alteras altius tollit, et luminibus tuis officit. Quid cum illo agere potes? Et an interesse putes, suas aedes altius tollat, an haereditarias (*c*)? et de illo quaero, an per alienas aedes accessum haeres ad eam rem quae legatur, praestare debet: sicut solet quaeri, cum usufructus loci legatus est, ad quem locum accedi, nisi per alienum, non potest? Marcellus respondit: Qui binas haedes habebat, si alteras legavit, non dubium est quin haeres (alias) possit, altius tollendo, obscurare lumina legatarum aedium. Idem dicendum est, si alteri aedes; alteri aliarum usumfructum legaverit. Non autem semper simile est itineris argumentum: quia sine accessu nullum est fructus legatum: habitare autem potest, et aedibus obscuratis. Caeterum, usufructu loci legato, etiam accessus dandus est: quia et haustu relicto, iter quoque ad hauriendum praestaretur. Sed ita officere luminibus, et obscurare legatas aedes conceditur, ut non penitus lumen recludatur, sed tantum relinquatur, quantum sufficit habitantibus in usus diurni moderatione. l. 10.

8. Qui luminibus vicinorum officere, aliudve quid

(b) In pari jure jus prohibendi praevalet. l. 11. *si servitus vindicetur*. l. 28. *communi dividundo*.

(c) Ne liberalitas testatoris reddatur inutilis legatario per haeredem. Secus si defunctus alteras aedes vendidisset. l. 9. V. l. 30. *de usufructu* et l. 110. *de legat.* 1.

facere contrà commodum eorum vellet, sciet se formam ac statum antiquorum aedificiorum custodire debere. l. 11.

9. Ædificia, quae servitutem patiantur, *ne quid altius tollatur*; viridaria supra eam altitudinem habere possunt: at si de prospectu est, eaque obstatura sunt, non possunt. l. 12.

10. (*d*) Rem non permissam facit, tubulos secundum communem parietem extruendo. l. 13. (2)

11. Parietem communem incrustare licet, secundum Capitonis sententiam: sicut licet mihi pretiosissimam picturas habere in pariete communi. Caeterum, si demolitus sit vicinus, et ex stipulatu actione damni infecti agatur (*e*): non pluris quam vulgaria tectoria aestimari debent. Quod observari et in incrustatione oportet. l. 13. §. 5.

12. Imperatores Antoninus et Verus Augusti rescripserunt, in area, quae nulli servitutem debet, posse dominum vel alium voluntate ejus aedificare (*f*), intermisso legitimo spatio a vicina insula. l. 14.

13. Servitutes, quae in superficie consistunt, possessione retinentur. Nam, si forte ex aedibus meis in aedes tuas tignum immissum habuero; hoc, ut immissum habeam, per causam tigni, possideo habendi consuetudinem. Idem eveniet et si moenianum in tuum immissum habuero, aut stillicidium in tuum projecero: quia in tuo aliquid utor, et sic quasi facto quodam possideo. l. 20. (3)

(d) L. 14. §. 1. *si servitus vindicetur*. l. 8.

(2) » Uno de' vicini non può fare alcun incavo nel corpo di un muro comune senza il consenso dell' altro » *Leggi civ. art.* 583.

(e) Quia honestus modus servandus est, non immoderata cujusque luxuria subsequenda, l. 40. *de damno infecto*.

(f) Omnia aedificia Romae erant in formam insulae ad vitanda incendia.

(3) Le servitù continue ed apparenti si acquistano col possesso di trent' anni » *Leggi civ. art.* 611.

14. (g) Stilicidium, quoquo modo acquisitum sit, altius tolli potest: levior enim fit eo facto servitus, cum quod ex alto cadet, lenius, et interdum direptum, nec perveniet ad locum servientem. Inferius demitti non potest: quia fit gravior servitus; id est, pro stillicidio flumen. Eadem causa, retro duci potest stillicidium, quia in nostro magis incipiet cadere: produci non potest, ne alio loco cadat stillicidium, quam in quo posita servitus est. Lenius facere poterimus; acrius non. Et omnino sciendum est, meliorem vicini conditionem fieri posse, deteriorem non posse, nisi aliquid nominatim, servitute imponenda, immutatum fuerit, l. 20. §. 5.

TITULUS III.

De servitutibus praediorum rusticorum.

SUMMARIA.

1. *Servitutes rusticae.*
2. *Iter, actus, via.*
3. *Aquae ductus.*
4. *Aliae servitutes rusticae.*
5. *Aquae ductus pluribus serviens.*
6. *Servitus pascendi.*
7. *Aliae servitutes.*
8. *Haustui aditus ad aquam accedit, et aditui haustus.*
9. *Impeditur servitus per medium fundum non servientem.*
10. *Viae et anfractus latitudo.*
11. *Servitus eundi certo loco determinari debet.*
12. *Statuenda actus latitudo, si dicta non sit.*

(g) V. l. ult. hic. et l. 15. §. 1. *de usufructu legato*, et l. 4. §. ult. *de leg.* 1.

13. *Aqua privatis dividitur ex flumine publico.*
14. *Naturaliter nocere potest servitus fundo servienti.*
15. *Totus fundus servit, sed in parte certa.*
16. *Fundis publicatis durat servitus.*
17. *Toti fundo ejusque partibus divisis debetur servitus.*
18. *Diviso fundo, dividitur aquae ductus pro modo partium agri.*
19. *Haeres qui servitutem debet indefinite qua volet dabit sine captione.*
20. *Servitutis onus augeri non potest.*
21. *Si fons exaruerit, in pendenti servitus erit. Renascente aqua, servitus reviviscet, nec tempore peribit dum uti non licet.*
22. *Aquam ducere ex alieno fundo non licet invito domino.*

1. Servitutes rusticorum praediorum sunt hae: iter, actus, via, aquaeductus. l. 1.

2. Iter, est jus eundi ambulandi homini, non etiam jumentum agendi. Actus, est jus agendi vel jumentum vel vehiculum (e). Itaque qui iter habet, actum non habet: qui actum habet, et iter habet, etiam sine jumento. Via, est jus eundi, et agendi, et ambulandi: nam et iter et actum in se via continet. l. 1.

3. Aquae ductus est jus aquam ducendi per fundum alienum. L. 1.

4. In rusticis computanda sunt aquae haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendae, arenae fodiendae. l. 1. §. 1.

5. Aquae ductus, et haustus aquae, per eundem

(e) Contra dele *vehiculum*. V. Menag. *de Amoenitate jur.* l. 36.

locum ut ducatur, etiam pluribus concedi potest: potest etiam ut diversis diebus vel horis ducatur. l. 2 §. 1.

6. Item sic possunt servitutes imponi, et ut boves, per quos fundus colitur, in vicino agro pascantur. Quam servitutem poni posse, Neratius libro secundo Membranarum scribit. l. 3.

7. Idem Neratus, etiam ut fructus in vicini villa cogantur, coactique habeantur, et pedamenta ad vineam ex vicini praedio sumantur, constitui posse scribit. l. 3. §. 1.

8. Qui habet haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum. Et (ut ait Neratius libro tertio Membranarum) sive ei jus hauriendi, et adeundi cessum sit, utrumque habebit: sive tantum hauriendi, inesse et aditum: sive tantum adeundi ad fontem, inesse et haustum. l. 3. §. 3.

9. In rusticis praediis impedit servitutem medium praedium quod non servit. l. 7. §. 1.

10. Viae latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectum octo pedes habet: in anfractum, id est, ubi flexum est, sedecim. l. 8.

11. Si iter, actusve, sine ulla determinatione legatus est; modo determinabitur: et, qua primum iter determinatum est, ea servitus constitit (a): caeterae partes agri liberae sunt. Igitur arbiter dandus est qui utroque casu viam determinare debet. l. 13. §. 1.

12. Latitudo actus itinerisque ea est, quae demonstrata est. Quod si nihil dictum est; hoc ab arbitro statuendum est. In via aliud juris est: nam, si dicta latitudo non est, legitima debetur. l. 13 §. 2.

V. f. l. 8.

(a) Nec locum semel occupatum mutare licet. l. 9 *de servitutibus.*

13. Imperatores Antoninus et Verus Augusti, rescripserunt, aquam de flumine publico, pro modo possessionum ad irrigandos agros dividi oportere: nisi proprio quis jure plus sibi datum ostenderit (*b*). Item rescripserunt, aquam ita demum permitti duci, si sine injuria alterius id fiat. l. 17.

14. Servitus naturaliter, non manufacto, laedere potest fundum servientem: quemadmodum si imbri crescat aqua in rivo, aut ex agris in eum confluat, aut aquae fons secundum rivum, vel in eo ipso inventus postea fuerit. l. 20. §. 1.

15. Si mihi concesseris iter aquae per fundum tuum, non destinata parte per quam ducerem, totus tuus fundus serviet (*c*). Sed quae loca ejus fundi tunc, cum ea fieret cessio, aedificiis, arboribus, vineis vacua fuerint, ea sola eo nomine servient. l. 21 et 22.

16. Si fundus serviens, vel is cui servitus debetur, publicaretur (*d*); utroque casu durant servitutes: quia cum sua conditione quisque fundus publicaretur. l. 23 §. 2.

17. Quaecumque servitus fundo debetur, omnibus ejus partibus debetur. Et ideo quamvis particulatim venierit, omnes partes servitus sequitur: et ita, ut singuli recte agant, jus sibi esse fundi (*e*). Si tamen fundus cui servitus debetur, certis regionibus inter plures dominos divisus est, quamvis omnibus partibus servitus debeatur, tamen opus est ut hi qui non pro-

(b) Gotof. ait: probare is cogitur qui sibi aliquid ultra jus publicum licere dicit.

(c) L. 9. *de servitutibus*. l. 26, l. 13. §. 2 hic.

(d) In causa laesae majestatis bona publicantur, nec agnoscunt hypothecas, substitutiones, caeteraque onera.

(e) Hoc enim prospicere debuit is qui constituit servitutem. *Gotof.*

ximas partes servienti fundo habebunt, transitum per reliquas partes fundi divisi jure habeant; aut si proximi patiantur, transeant. l. 23 §. 3.

18. Si partem fundi mei certam tibi vendidero, aquae ductus jus, etiam si alterius partis causa plerumque ducatur, te quoque sequetur. Neque ibi aut bonitatis agri, aut usus ejus aquae ratio habenda est; ita ut eam solam partem fundi, quae pretiosissima sit, aut maxime usum ejus aquae desideret, jus ejus ducendae sequatur: sed pro modo agri detenti, aut alienati, fiat ejus aquae diviso. l. 25.

19. Si via, iter, actus, aquae ductus legetur simpliciter per fundum, facultas est haeredi per quam partem fundi velit constituere servitutem: si modo nulla captio legatario in servitute sit. l. 26, 21, 22 hoc tit. l. 9 *de servitut.*

20. Qui duo praedia confinia habuerat, superiorem fundum vendiderat: in lege ita dixerat, *ut aquam, sulco aperto, emptori educere in fundum inferiorem recte liceat.* Si emptor ex alio fundo aquam acciperet, et eam in inferiorem ducere vellet, quaesitum est an possit id suo jure facere, nec ne? Respondi, nihil amplius, quam quod ipsius fundi siccandi causa derivaret, vicinum inferiorem recipere debere. l. 29 (1).

21. (a) Si fons exaruerit, ex quo ductum aquae habeo, isque post constitutum tempus ad suas venas redierit; an aquae ductus amissus erit, quaeritur? et Attilicinus ait, Caesarem Statilio Tauro rescripsisse in

---

(a) Nota ipso jure amissum erat jus ducendae aquae, sed ab imperatore restitutum est.

(1) » Il proprietario superiore non può fare alcuna cosa che » renda più grave la servitù del fondo inferiore. » *Leggi civ. art.* 562, §. 3.

haec verba : hi, qui ex fundo Sutrino aquam ducere soliti sunt, audierunt me; proposueruntque aquam, qua per aliquot annos usi sunt, ex fonte qui est in fundo Sutrino, ducere non potuisse, quod fons exaruisset; et postea ex eo fonte aquam fluere coepisse : petieruntque me ut jus, quod non negligentia aut culpa sua amiserant (*b*), sed quia ducere non potuerant, his restitueretur. Quorum postulatio cum non iniqua mihi visa sit, succurrendum his putavi. Itaque quod jus habuerunt (tunc,) cum primum ea aqua pervenire ad eos non potuit, id eis restitui placet. l. 34 §. 1 et l. 35.

22. Aquam, quae in alieno loco oritur, sine voluntate ejus, ad quem usus ejusdem aquae pertinet, praetoris edictum non permittit ducere. l. 4 C. *de servit. et aqua.*

Praeses provinciae usu aquae, quam ex fonte juris tui profluere allegas, contra statutam consuetudinis formam carere te non permittet : cum sit durum et crudelitati proximum, ex tuis praediis aquae agmen ortum, sitientibus agris tuis (*c*), ad aliorum usum vicinorum injuria propagari. l. 6 C. *eod.*

(b) V. contra l. 6. *si servitus vindicetur*. Ubi dicitur : si intra tempus statutum depositum sit aedificium, renasci vindicationem. V. l. *quemadmodum servitutes amittuntur*, et l. 3 §. 17 *de acquirenda vel amittenda possessione.*

(c) Gotof. ait : ex hac lege induci caritatem bene ordinatam incipere a se ipso.

TITULUS IV.

Communia praediorum, tam urbanorum quam rusticorum.

SOMMARIA.

1. *Omnis servitus ad usum praedii.*
2. *Aditus debetur per loca quae non serviant, ad reficienda ea quae serviunt.*
3. *Sic mutari licet domino fundi servitus ne noceat servituti.*
4. *Servituti accedunt ejus adminicula.*
5. *Fundum venditum servitus sequitur.*
6. *Servitus ne id fiat in loco publico quod natura licet.*
7. *Lapidicinae privatae in usum publicum.*
8. *Iter qua ire non liceat nisi interdiu.*
9. *Servitus una pluribus.*

1. Ideo hae servitutes praediorum appellantur, quoniam sine praediis constitui non possunt. Nemo enim potest servitutem adquirere vel urbani, vel rustici praedii, nisi qui habet praedium. l. 1. §. 1. V. l. 8. *de servitutibus.*

Ædificia quoque fundis, et fundi aedificiis eadem conditione serviunt. l. 12 in f. (1).

2. Refectionis gratia, accedendi ad ea loca quae non serviant, facultas tributa est his quibus servitus debetur: qua tamen eis accedere sit necesse; nisi in cessione servitutis nominatim praefinitum sit, qua accederetur. l. 11.

(1) " La servitù prediale s' impone sopra un fondo per l' uso l' utilità di un fondo appartenente ad altro proprietario. " *Leggi civ. art.* 559, 607.

3. Nec secundum rivum, nec supra eum, si forte sub terra aqua ducatur, locum religiosum dominus soli facere potest, ne servitus intereat: et id verum est. Sed et depressurum vel adlevaturum rivum, per quem acquam jure duci potestatem habes; nisi si, ne id faceres, cautum sit. l. 11. (2).

4. Si prope tuum fundum jus est mihi aquam rivo ducere; tacita haec jura sequuntur: ut reficere mihi rivum liceat: ut adire qua proxime possim ad reficiendum eum ego, fabrique mei: item ut spatium relinquat mihi dominus fundi, quo dextra et sinistra, ad rivum adeam, et quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem jacere possim. l. 11. §. 1. (3).

5. (a) Cum fundus fundo servit, vendito quoque fundo, servitutes sequuntur. l. 12. (4).

6. Venditor fundi Geroniani, fundo Botrojano, quem retinebat, legem dederat *ne contra eum piscatio tyhnnaria exerceatur*. Quamvis mari, quod natura omnibus patet, servitus imponi privata lege non potest; quia tamen bona fides contractus (b), legem ser-

---

(2) » Il proprietario del fondo serviente non può fare cosa alcuna che tenda a scemare l' uso della servitù, o a renderlo più incomodo. » *Leggi civ.* art. 622.

(3) » Colui al quale è dovuta una servitù, può far tutte le opere necessarie per usarne e conservarla. „

“ Costituendosi una servitù, si presume accordato tutto ciò che è necessario per usarne. „

“ Così, la servitù di attigner acqua dalla fonte altrui, porta necessariamente seco il dritto del passaggio. „ *Leggi civ. art.* 617 e 618.

(a) Sine utilitate non constituitur servitus. l. 5 titul. seq. modo stipulantis intersit.

(4) “ Se il proprietario di due fondi, tra i quali esista un segno apparente di servitù, dispone di uno di essi; questa continua ad esistere. „ *Leggi civ. art.* 615.

(b) Successor singularis fundi praestat factum decessorum, l. 5

tari venditionis exposcit, personae possidentium, aut in jus eorum succedentium, per stipulationis vel venditionis legem obligantur. l. 13.

7. Si constat, in tuo agro lapidicinas esse; invito te nec privato, nec publico nomine, quisquam lapidem caedere potest cui id faciendi jus non est (c): nisi talis consuetudo in illis lapidicinis consistat, ut, si quis voluerit ex his caedere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum solatium, pro hoc, domino praestat. Ita tamen lapides caedere debet, postquam satisfaciat domino, ut neque usus necessarii lapidis intercludatur; neque commoditas rei, jure, domino adimatur. l. 13 §. 1.

8. Iter nihil prohibet sic constitui, ut quis interdiu duntaxat eat. Quod fere circa praedia urbana etiam necessarium est. l. 14.

9. Qui per certum locum iter aut actum alicui cessisset, eum pluribus per eundem locum, vel iter vel actum cedere posse verum est. Quemadmodum, si quis vicino suas aedes servas fecisset; nihilominus aliis, quot vellet, multis eas aedes servas facere potest. l. 15.

---

et 6. *quemadmodum servitutes amittuntur.* l. 47, 48 e 65 §. 1 l. 76 §. 1. *de contrahenda emptione.* l. 28. *de exceptione rei judicatae.*

(c) Consuetudine quis cogi potest ad res suas vendendas justo pretio. *Bart.*

TITULUS V.

Si servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.

SOMMARIA.

1. *Non est dominus cui fundus servit, nec ipsius partis servientis.*
2. *Fundus medius non impedit jus servitutis.*
3. *Si medius fundus usum servitutis impediat, liberatur interim fundus serviens, donec cesset impedimentum.*
4. *Murum onus ferentem reficere debet ejus dominus.*
5. *Licet dominus muri servientis reficere debeat, non homo sed fundus debet servitutem, et derelicto fundo cessat servitus.*
6. *Refectionem praestat dominus muri servientis: fulturam aedificii impositi, ejus dominus.*
7. *Nec in superiorem, nec in inferiorem fundum licet immittere vel fumum, vel aquam, vel quid aliud, nisi ea sit imposita servitus.*
8. *Jus servitutis tempore acquiritur.*
9. *In re communi potior conditio prohibentis.*
10. *Nihil faciendum unde paries communis inclinetur.*

1. Loci corpus non est dominii ipsius, cui servitus debetur, sed jus eundi habet. l. 4.

2. Si inter meas et Titii aedes, tuae (aedes) intercedant, possum Titii aedibus servitutem imponere, ne liceat ei altius tollere, licet tuis non imponatur: quia, donec tu non extollis, est utilitas servitutis. l. 5 l. 13 *communia praediorum.*

3. Et si forte, qui medius est, quia servitutem non

debebat, altius extulerit aedificia sua, ut jam ego non videar luminibus tuis obstaturus, si aedificavero: frustra intendes, *jus mihi non esse, ita aedificatum habere invito te*: sed (*d*) si intra tempus statutum rursus deposuerit aedificium suum vicinus, renascetur tibi vindicatio. l. 6.

4. Etiam de servitute, quae oneris ferendi causa imposita erit, actio nobis competit, ut et onera ferat, et aedificia reficiat ad eum modum qui servitute imposita comprehensus est. l. 6. §. 2. (1).

5. Labeo autem, hanc servitutem (oneris ferendi) non hominem ei debere, sed rem (2). Denique licere domino rem derelinquere, scribit (*a*). l. 6 §. 2 in fine. *l.* 64 *de usufructu.* (3).

6. Sicut autem refectio parietis ad vicinum pertinet, ita fultura aedificiorum vicini, cui servitus debetur, quamdiu paries reficietur, ad inferiorem vicinum non debet pertinere. Nam, si non vult superior fulcire, deponat et restituet, cum paries fuerit restitutus. l. 8. (4).

(d) V. contra l. 34 §. 1, et 35 *de servitutibus praediorum rusticorum.*

(1) " Le opere necessarie per usare della servitù e conservarla, debbono farsi a spese di colui al quale è dovuta, e non dal proprietario del fondo serviente. " *Leggi civ. art.* 618, 619.

(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 607.

(a) Id est, rem totam et fundum integrum, licet fundus inter plures divisus fuerit, quia servitus est tota in toto fundo. Debetur singulis et a singulis in solidum. Sed sufficit ut quis quod habet, cedat, nemo enim tenetur nisi in quantum possidet.

(3) " Quando il proprietario del fondo serviente è tenuto in forza del titolo di fare a sue spese le opere necessarie per l'uso o per la conservazione della servitù, può egli sempre liberarsene, abbandonando il fondo serviente al proprietario del fondo dominante. " *Leggi civ. art.* 620.

(4) " Le riparazioni e le ricostruzioni del muro comune sono

7. Aristo Cerellio Vitali respondit, non putare se, ex taberna casearia fumum in superiora aedificia jure immitti posse, nisi ei rei servitus talis admittatur. Idemque ait: et ex superiore in inferiora non aquam, non quid aliud immitti licet: in suo enim alii hactenus facere licet, quatenus nihil in alienum immittat (*b*); fumi autem, sicut aquae, esse immissionem. Posse igitur superiorem cum inferiore agere, jus illi non esse id ita facere. l. 8. §. 5.

8. (*c*) Si quis diuturno usu, et longa quasi possessione, jus aquae ducendae nactus sit, non est ei necesse docere de jure quo aqua constituta est, veluti ex legato, vel alio modo: sed utilem habet actionem, ut ostendat, *per annos forte tot usum se, non vi, non clam, non precario possedisse*. l. 10.

Longi temporis consuetudo vicem servitutis obtinet, modo si is qui pulsatur, nec vi, nec clam, nec precario possidet. l. 1. C. *de servit. et aqua*. l. 2. l. 7. C. *eod.* (5).

9. (*d*) An unus ex sociis in communi loco, invitis

---

a carico di tutti quelli che vi hanno diritto, ed in proporzione del diritto di ciascuno. „

" Ciò non ostante qualunque compadrone di un muro comune può esimersi dall' obbligo di concorrere alle spese delle riparazioni e ricostruzioni, rinunziando al diritto di comunione. „ *Leggi civ. art.* 576, 577.

(b) V. l. 5 §. 3 *locati conducti.*

(c) V. l. 5 §. 3 *de itinere actuque privato.* l. 1 §. ult. l. 2 *de aqua et aquae pluviae arcendae.*

(5) " Le servitù continue ed apparenti si acquistano col possesso di trent' anni. „

" Le continue non apparenti, e le discontinue, il possesso, benchè immemorabile, non basta a stabilirle. „ *Leggi civ. art.* 611 e 612.

(d) L. 28 *communi dividundo.* l. 8 *de servitutibus praediorum urbanorum.*

caeteris, jure aedificare possit, id est, an, si prohibeatur a sociis, possit cum his ita experiri, *jus sibi esse aedificare*: et an socii cum eo ita agere possint, *jus sibi prohibendi esse*, vel *illi* (*jus*) *aedificandi non esse.*: et si aedificatum jam sit, non possit cum eo ita experiri, *jus tibi non esse ita aedificatum habere*, quaeritur? Et (*) magis dici potest, prohibendi potius quam faciendi esse jus socio: quia (magis) ille qui facere conatur (ut dixi) quodammodo sibi alienum quoque jus praeripit, si quasi solus dominus, ad suum arbitrium uti jure communi velit. l. 11.

10. Si paries communis, opere abs te facto, in aedes meas se inclinaverit: potero tecum agere, jus tibi non esse parietem illum ita habere. l. 14. §. 1.

L. 13 *de servit. urban.*

(*) Jus novitatem impediendi validius est jure eam faciendi.

TITULUS VI.

Quemadmodum servitutes amittuntur.

SUMMARIA.

1. *Servitus nonnisi in alieno fundo.*
2. *Servantur iter et actus itineris usu.*
3. *Quivis possessor jus servitutis fundi nomine servat.*
4. *Non perit tempore constituto servitus non continua.*
5. *Major ex persona minoris contra praescriptionem defenditur in re communi.*
6. *Modus utendi per tempus mutat servitutis usum.*
7. *Perit servitus fundo sublato: restituto restituitur; etiam post tempus.*
8. *Viam publicam, si perierit, praestat vicinus.*
9. *Servitus pluribus fundis debita non utenti perit, nec ei per caeteros qui utentur servabitur, nec eis accrescet. Aliud erit, si communis sit fundus cui servitus debetur.*
10. *Tempus auctori successori imputatur.*

1. Servitutes praediorum confunduntur, si idem utriusque praedii dominus esse coeperit. l. 1. (1).

2. Qui iter et actum habet, si statuto tantum tempore ierit, non periisse actum, sed manere, Sabinus, Cassius, Octavenus aiunt: nam ire quoque per se eum posse, qui actum haberet. l. 2.

3 Servitus et per socium (*f*), et fructuarium, et bonae fidei possessorem nobis retinetur (*g*): nam satis est fundi nomine itum esse. l. 5 et 6. (2).

---

(1) » Qualunque servitù si estingue, riunendosi in una sola persona la proprietà del fondo dominante e quella del fondo serviente. „ *Leggi civ. art.* 626.

(f) L. 16 hoc tit.

(g) V. l. 13 *communia praediorum.*

(2) “ Concorda, *Leggi civ. art.* 630, 63 ”

Usu retinetur servitus, cum ipse cui debetur, utitur, quive in possessione ejus est, aut mercenarius, aut hospes (*a*), aut medicus (*b*), quive ad visitandum dominum venit, vel colonus, aut fructuarius. l. 20.

4. Si sic constituta sit aqua, ut vel aestate ducatur tantum, vel uno mense; queritur, quemadmodum, non utendo, amittatur: quia non est continuum tempus, quo, cum uti non potest, non sit usus. Itaque et si alternis annis vel mensibus quis aquam habeat, duplicato constituto tempore amittitur. Idem et de itinere custoditur. l. 7. V. l. 9. *de acquirenda vel amittenda possessione*. V. l. ult. C. *de servit.*

5. (*c*) Si communem fundum ego et pupillus haberemus, licet uterque non uteretur, tamen propter pupillum et ego viam retineo. l. 10. (3).

6. (*d*) Si is, qui nocturnam aquam habet, interdiu per constitutum ad amissionem tempus usus fuerit, amisit nocturnam servitutem, qua usus non est. Idem est in eo, qui certis horis aquae ductum habens, aliis usus fuerit, nec ulla parte earum horarum. l. 10 §. 1.

7. Si locus, per quem via, aut iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupatus esset, et intra tempus, quod ad admittendam servitutem sufficit, alluvione facta, restitutus est (*e*): servitus quoque in pristi-

---

(a) L. 1 §. 7. *De itinere, actuque privato.*

(b) L. 25 §. 1. *De acquirenda vel amittenda.*

(c) V. l. 26 et 39. *De usurpationibus et usucapionibus.* * Minor relevat majorem in rebus quae dividi non possunt. *Item*, maritus minor, qui mulieri majori auctoritatem contulit in alienatione. *Bourbonnois*, *art.* 24 l. 47 §. 1 *de minor.*

(3) " Se fra i compadroni vi è alcuno, contro cui non abbia potuto decorrere la prescrizione, siccome un minore, conserverà questi il diritto di tutti gli altri. » *Leggi civ. art.* 631.

(d) Quid admittendo servitutem nocturnam, an adquisivit diurnam propter. l. 10 titulo praecedenti? V. l. 17. *de aqua et aquae pluviae arcendae.* V. l. 9 *de servitutibus.*

(e) V. l. 34 §. 1 et 35 *de servitutibus praediorum rusticorum.* V. l. 3 §. 17 *de acquirenda vel amittenda possessione.*

num statum restituitur. Quod si id tempus praeterierit, ut servitus amittatur, revocare eam cogendus est. l. 14. (4).

8. Cum (*f*) via publica vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus viam praestare debet. l. 14 §. 1.

9. Aquam, quae oriebatur in fundo vicini, plures per eundem rivum jure ducere soliti sunt, ita ut suo quisque die a capite duceret: primo per eundem rivum, eumque communem; deinde, ut quisque inferior erat, suo quisque proprio rivo. (Et,) unus statuto tempore quo servitus amittitur, non duxit. Existimo, eum jus ducendae aequae amisisse: nec per caeteros, qui duxerunt, ejus jus usurpatum (*g*) esse, proprium enim cujusque eorum jus fuit: neque per alium usurpari potuit. Quod si plurium fundo iter aquae debitum esset, per unum eorum omnibus his, inter quos is fundus communis fuisset, usurpari potuisset. Item si quis eorum, quibus aquaeductus servitus debebatur, et per eundem rivum aquam ducebant, jus aquae-ducendae, non ducendo eam, amisit: nihil juris eo nomine caeteris, qui rivo utebantur, adcrevit. Idque commodum ejus est, per cujus fundum id iter aquae, (quod) non utendo, pro parte unius amissum est: libertate enim hujus partis servitutis fruitur. l. 16.

10. (*h*) Tempus quo non est usus precedens fundi dominus, cui servitus debetur, imputatur ei, qui (in) ejus loco successit. l. 18 §. 1.

---

(4) " Le servitù cessano, quando le cose si trovano in uno stato tale che no se ne possa più far uso. ,,
" Tornano ad aver luogo se le cose sono ristabilite in modo da poterne usare. ,, *Leggi civ. art.* 624, 625.

(f) Bonum publicum praefertur privato.

(g) L. 5 et 6. Usurpare, id est interrumpere.

(h) Idem inter haeredem et fideicommissarium. l. 70 §. ult. *ad Trebellianum*. l. 13. *Communia praediorum*.

LIBER NONUS.

TITULUS I.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

SUMMARIA.

1. *Si quadrupes nocuerit culpa mulionis, is tenebitur.*
2. *Si canis evaserit et nocuerit, ei imputabitur qui canem tenebat.*
3. *Si equus palpatus calce percusserit, erit actioni locus.*
4. *Si quadrupes quadrupedem concitaverit, ejus nomine agetur quae concitavit.*
5. *Si quadrupes quadrupedem occidit.*
6. *Si personae nocitum sit, non deformitatis, sed impensarum et operarum quibus caruit, aut cariturus est, ratio habetur.*

1. Si propter loci iniquitatem, aut propter culpam mulionis, aut si plus justo onerata quadrupes in aliquem onus everterit; haec actio cessabit, damnique injuriae agetur (*a*). l. 1. §. 4. (1)

2. Sed et si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua, evaserit, et alicui damnum dederit: si con-

(a) V. l. 40. 41. 42. *de edilitio edicto.*

(1) » Ciascuno è tenuto pel danno che ha cagionato per sua negligenza o per sua imprudenza. »

» Il proprietario di un animale, o quegli che se ne serve, nel tempo in cui ne usa, è tenuto pel danno cagionato dall' animale, tanto se si trovi sotto la sua custodia, quanto se siasi smarrito o fuggito. *Leggi civ. art.* 1337, 1339. »

tineri firmius ab alio poterit, vel (si) per eum locum induci non debuit; haec actio cessabit, et tenebitur qui canem tenebat. l. 1. §. 5.

3. (*) Si, cum equum permulsisset quis, vel palpatus est, (et) calce eum percusserit, erit actioni locus. l. 1. §. 7. in f.

4. Et si alia quadrupes aliam concitavit, ut damnum daret', ejus quae concitavit, nomine agendum erit. l. 1. §. 8.

5. Cum arietes vel boves commisissent, et alter alterum occidit, Quintus Mutius distinxit, ut si quidem is periisset (b), qui aggressus erat, cessaret actio: si is, qui non provocaverat, competeret actio. Quamobrem eum sibi aut noxam sarcire, aut in noxam dedere oportere. l. 1. §. 11. (2)

6. Ex hac lege, jam non dubitatur, etiam liberarum personarum nomine agi posse: forte si patresfamilias, aut filiumfamilias vulneraverit quadrupes, scilicet ut non deformitatis ratio habeatur, cum liberum corpus aestimationem non recipiat; sed impensarum in curationem factarum, et operarum amissarum, quasque amissurus quis esset, inutilis factus. l. 3.

V. l. 7. ff. *de his qui dejec. vel eff.*

(*) Non idem est de eo qui equum tangit sine necessitate.
(b) Non debet animal nocere ultra aestimationem corporis sui.
(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 1339.

TITULUS II.

Ad legem Aquiliam.

SUMMARIA.

1. *Moderandus castigationis usus.*
2. *Si medicus imperite secuerit: vel curationem deseruerit, tenebitur.*
3. *Culpa est affectare quae vel nesciat quis, vel non possit.*
4. *Lusus noxius in culpa est.*
5. *Nostri non sumus.*
6. *Si vulneratus mortifere alio casu perierit, non videtur occisus.*
7. *Qui nocuit et rei pretium, et quod interest, praestat.*
8. *Si, quod uni e pluribus nocitum sit, caetera depretientur, erit actio.*
9. *Spei incertae non fit aestimatio in damnis.*
10. *In confessum nullae judicis partes.*
11. *Si incendium ex negligentia contigerit, tenetur cujus culpa accidit.*
12. *Non imputatur damnum in periculo necessarium.*
13. *Si quid dejectum noceat, nec monuit qui dejecit, tenebitur.*
14. *Non ex affectione, sed ex pretio rerum damna aestimanda.*
15. *Sic in alienis agendum, ut in suis.*
16. *Omne damnum qualibet ex culpa etiam levissima praestandum.*
17. *Ædes incendio vicinas intercidere licet ut arceatur incendium.*
18. *Utilitas subtilitati anteponenda.*

1. Praeceptoris nimia saevitia culpae adsignatur. l. 6.

2. Proculus ait (a), si medicus servum imperite secuerit, vel ex locato vel ex lege Aquilia competere actionem. Idem juris est, si medicamento perperam usus fuerit. Sed et qui bene secuerit, et dereliquit curationem (*), securus non erit: sed culpae reus intelligitur. l. 7. §. ult. et l. 8.

3. Mulionem quoque, si per imperitiam impetum mularum retinere non potuerit: si eae hominem alienum obtriverint, vulgo dicitur culpae nomine teneri. Idem dicitur et si propter infirmitatem sustinere mularum impetum non potuerit. Nec videtur iniquum, si infirmitas culpae adnumeretur: cum affectare quisque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii periculosam futuram. Idem juris est in persona ejus, qui impetum equi, quo vehebatur, propter imperitiam, vel infirmitatem retinere non poterit. l. 8. §. 1.

4. Si per lusum a jaculantibus servus fuerit occisus, Aquiliae locus est. l. 9. §. 4.

Nam lusus quoque noxius in culpa est. l. 10.

5. Dominus membrorum suorum nemo videtur. l. 13.

6. Si servus vulneratus mortifere, postea ruina, vel naufragio, vel alio ictu maturius perierit: de occiso agi non posse, sed quasi de vulnerato. l. 15. §. 1.

Sed si manumissus, vel alienatus, ex vulnere periit, (quasi) de occiso agi posse Julianus ait. Haec ita tam varie, quia verum est, eum a te occisum tunc, cum

(a) Medici artem chirurgicam exercebant.

(*) Idem *muratoris*, qui opus imperfectum reliquit. Hic tenetur. l. 12 §. ult. C. *de aedificiis privat.*

vulnerabas; quod, mortuo eo, demum apparuit: in superiore non est passa ruina apparere, an sit occisus. l. 15. §. 1.

Sed utrum corpus ejus solum aestimamus, quanti fuerit, cum occideretur, an potius quanti interfuit nostra, non esse occisum? Et hoc jure utimur, ut ejus quod interest fiat aestimatio. l. 21. §. 2.

8. Item causae corporis cohaerentes aestimantur, si quis ex comoedis, aut symphoniacis, aut gemellis, aut quadriga, aut ex pari mularum unum vel unam occiderit (c): non solum (enim) perempti corporis aestimatio facienda est, sed et ejus ratio haberi debet, quo caetera corpora depretiata sunt. l. 22. §. 1.

9. Si infans sit occisus, nondum anniculus, verius est, sufficere hanc actionem: ut aestimatio referatur ad id tempus, quo intra annum vixit. l. 23. §. 7.

10. Nullae partes sunt judicandi in confitentes. l. 25. in fine.

11. Si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormisset, et villa fuerit exusta, Neratius scribit, ex locato conventum praestare debet, si negligens in eligendis ministeriis fuit. Caeterum, si alius ignem subjecerit fornaci, alius negligenter custodierit, an tenebitur qui subjecerit? nam qui custodiit nihil fecit; qui recte ignem subjecit, non peccavit. Quid ergo (est)? Puto utilem competere actionem tam in eum qui ad fornacem obdormivit, quam in eum qui negligenter custodiit. Nec quisquam dixerit in eo, qui obdormivit, rem eum humanam et naturalem passum: cum deberet vel ignem extinguere, vel ita munire, ne evagetur. l. 27. §. 9. (1)

(c) V. l. 34 § 1. *de aeditio edicto.*

(1) » Ciascuno è tenuto pel danno che viene arrecato col fatto delle persone delle quali dee rispondere »

12. Item Labeo scribit (*): si cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius, (et) nautae funes praecidissent; si nullo alio modo, nisi praecisis funibus, explicare se potuit, nullam actionem dandam (*). l. 29. §. 3. V. 1. l. 49. §. 1.

13. Si putator ex arbore ramum cum dejiceret, vel machinarius hominem praetereuntem occidit, ita tenetur, si is in publicum decidat, nec ille proclamavit, ut casus ejus evitari possit. Sed Mucius etiam dixit, si in privato idem accidisset, posse de culpa agi. Culpam autem esse, quod, cum a diligente provideri poterit, non esset provisum; aut tum denunciatum esset, cum periculum evitari non possit. Secundum quam rationem non multum refert per publicum, an per privatum iter fieret, cum plerumque per privata loca vulgo iter fiat. Quod si nullum iter erit, dolum duntaxat praestare debet, ne immittat in eum, quem viderit transeuntem. Nam culpa ab eo exigenda non est: cum divinare non potuerit (*d*), an per eum locum aliquis transiturus sit. l. 31.

14. Si servum meum occidisti (*e*), non affectiones aestimandas esse puto, (veluti si filium tuum naturalem quis occiderit, quem tu magno emptum velles) sed quanti omnibus valeret. Sextus quoque Pedius ait, pretia rerum, non ex affectione, nec utilitate singulo-

» I padroni ed i commettenti son tenuti pe' danni cagionati da' loro domestici e garzoni nell' esercizio delle funzioni nelle quali gli hanno impiegati. *Leggi civ. art.* 1338.

(*) Licet ne ad se salvandum alium obruere?

(*) In Gallia damna ex casibus fortuitis resarciuntur pro dimidio. *Ordonnance de la marine.*

(d) Divinare nemo tenetur.

(e) Porro in furto tanti aestimanda res est, quanti emptorem potest invenire. l. 62 §. 69. *de furtis.*

rum, sed communiter fungi. Itaque eum, qui filium naturalem possidet, non eo locupletiorem esse, quod eum plurimo, si alius possideret, redempturus fuit: nec illum qui filium alienum possideat (f), tantum habere, quanti eum patri vendere posset (g). In lege enim Aquilia (damnum) consequimur, et amisisse dicemur, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur. l. 33.

15. Quintus Mucius scribit: Equa, cum in alieno pasceretur, in cogendo quod praegnans erat, ejecit. Quaerebatur, dominus ejus possetne cum eo qui coegisset, lege Aquilia agere, quia equam injiciendo ruperat. Si percussisset, aut consulto vehementius egisset, visum est agere posse. Pomponius: quamvis alienum pecus in agro suo quis deprehendisset (h), sic illud expellere debet, quomodo si suum deprehendisset: quoniam, si quid ex ea re damnum cepit, habet proprias actiones. Itaque qui pecus alienum in agro suo deprehenderit, non jure id includit: nec agere illud aliter debet, quam (ut supra diximus) quasi suum; sed vel abigere debet sine damno, vel admonere dominum, ut suum recipiat. l. 39. *includere pecus, apud plures licet.*

16. In lege Aquilia et levissima culpa venit. l. 44.

17. Quod dicitur damnum injuria datum Aquilia persequi, sic erit accipiendum, ut videatur damnum injuria datum, quod cum damno injuriam attulerit; nisi magna vi cogente fuerit factum: ut Celsus scribit circa eum qui incendii arcendi gratia (i), vicinas aedes in-

(f) V. l. 15. §. ult. l. 62.
(g) §. 1. l. 63 *ad legem falcidiam.*
(h) Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis. V. l. 12 tabul.
(i) Licet periculum non fuerit, si tamen justus metus fuerit l. 27. §. 1 *locati conducti.*

tercidit. Nam hic scribit cessare legis Aquiliae actionem. Justo enim metu ductus, ne ad se ignis perveniret, vicinas aedes intercidit: et sive pervenit ignis, sive ante extinctus est, existimat, legis Aquiliae actionem cessare. l. 49. §. 1. V. f. l. 29. §. 3. V. l. 3. §. 7. ff. *de incend.* l. 7. §. 4. ff. *quod vi aut clam.*

18. Multa jure civili, contra rationem disputandi, pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest. l. 51. §. 2.

TITULUS III.

De his qui effuderint vel dejecerint.

SUMMARIA.

1. *Tenetur habitator de damno ex ejectis et effusis.*
2. *Itinerum securitati vigilandum.*
3. *Neo in privatis qua eatur dejicere licet.*
4. *Si suspensum deciderit pro dejecto habetur.*
5. *Si plures habitent, singuli tenentur in solidum.*
6. *Non licet habere appositum aut suspensum id cujus casus nocere possit.*
7. *Tum nocte quam interdiu dejicere vetitum.*
8. *Habitator suorum culpam praestat.*

1. Praetor ait de his qui dejecerint, vel effuderint. *Unde in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo consistetur, dejectum vel effusum quid erit, quantum ex ea re damnum datum, factumve erit, in eum qui ibi habitaverit, in duplum judicium dabo. l. 1.*

2. Summa cum utilitate id praetorem edixisse, nemo est qui neget: publice enim utile est, sine metu et periculo, per itinera commeari. l. 1. §. 1.

3. Parvi autem interesse debet, utrum publicus locus sit, an vero privatus; dummodo per eum vulgo iter fiat: quia iter facientibus prospicitur, non publicis viis studetur. Semper enim ea loca, per quae vulgo iter solet fieri, eandem securitatem debent habere. l. 1. §. 2.

4. Quod, cum suspenderetur, decidit, magis dejectum videri. Sed et quod suspensum decidit, pro dejecto haberi magis est. Proinde et si quid pendens effusum sit, quamvis nemo hoc effuderit, edictum tamen locum habere dicendum est. l. 1. §. 3.

5. Si plures in eodem coenaculo habitent, unde dejectum est, in quemvis haec actio dabitur ((k), cum sane impossibile est scire quis dejecisset vel effudisset) et quidem in solidum. l. 1. §. ult. l. 2. et l. 3.

6. Praetor ait: *Ne quis in suggruenda protectove supra eum locum, qua vulgo iter fiet, inve qua consistetur, id positum habeat, cujus casus nocere cui possit.* l. 5. §. 6.

Praetor ait, *cujus casus nocere posset.* Ex his verbis manifestatur, non omne quidquid positum est, sed quidquid sic positum est ut nocere possit, hoc solum prospicere praetorem, ne possit nocere. Nec spectamus ut noceat: sed omnino si nocere possit, edicto locus sit. Coercetur autem qui positum habuit, sive nocuit id, quod positum erat, sive non nocuit. l. 5. §. 11.

7. Labeo ait locum habere hoc edictum, si interdiu dejectum sit (l), non nocte: sed quibusdam locis et nocte iter fit. l. 6. §. 1.

(k) Innocens ergo confundetur cum delinquente. Haec lex observatur in tribunali *au Chatelet* Parisiis.

(l) Gotofr. ait: Utinam itaque de nocte si quis in aliquem dejecerit, edicto de effusis non tenebitur.

8. (*) Habitator suam suorumque culpam praestare debet. l. 6. §. 2.

TITULUS IV.

De noxalibus actionibus.

SUMMARIA.

1. *Causae status sunt praejudiciales.*

1. Si ad libertatem proclamaverit is, cujus nomine noxale judicium susceptum est; sustineri debet id judicium, quoad de statu ejus judicetur. Et (sic,) siquidem servus fuerit pronunciatus, noxale judicium exercebitur: si liber, inutile videbitur. l. 42.

(*) *Lex* 1 §. 4. *ait*: Haec actio in eum datur qui inhabitat cum quid dejiceretur non in dominum aedium. Culpa enim penes eum est. *Lex* §. 9 *ait*; Habitare autem dicimus vel in suo, vel in conducto, vel gratuito. Hospes plane non tenebitur, quia non ibi habitat, sed tantisper hospitatur, sedis tenetur qui hospitium dederit.

LIBER DECIMUS.

TITULUS I.

Finium regundorum.

SUMMARIA.

1. *Actio finium regundorum in personam est.*
2. *Officium judicis dirimendo, adjudicando fines dirigere.*
3. *Fructus post litem contestatam, aut mala fide percepti restituuntur.*
4. *Hoc judicio experitur, quivis possessor.*
5. *Actor idem et reus in tribus his judiciis.*
6. *In finibus regundis spectanda vetera monumenta, et census aucturitas.*
7. *Si duorum fundorum dominus alterum vendens fines demonstraverit, his erit standum.*
8. *Sepis, scrobis, putei, arboris, domus, materiae a confinio distantia.*
9. *Mutationis finium variae causae.*
10. *Prior possessionis quam finium causa.*
11. *Finium quaestio nonnisi tricennio finitur.*

1. Finium regundorum actio in personam (a) est, licet pro vindicatione rei est. l. 1.

2. Judici finium regundorum permittitur, ut, ubi non possit dirimere fines, adjudicatione controversiam

(a) Unde durat triginta annos, cum de finibus duntaxat agitur. V. 1. l. ult.

dirimat. Et si forte, amovendae veteris obscuritatis gratia, per aliam regionem fines dirigere judex velit, potest hoc facere, per adjudicationem, et condemnationem. Quo casu opus est, ut ex alterutrius praedio alii adjudicandum sit: quo nomine is, cui adjudicatur, invicem pro eo, quod ei adjudicatur, certa pecunia condemnandus est. l. 2 §. 1 et l. 3.

3. (c) Post litem autem contestatam etiam fructus venient in hoc judicio: nam et culpa et dolus exinde praestantur. Sed ante judicium percepti non omnimodo hoc in judicium venient. Aut enim bona fide percepit, et lucrati eum oportet, si eos consumpsit; aut mala fide, et condici oportet. l. 4 §. 2 (d).

4. Finium regundorum actio et in agris vectigalibus, et inter eos qui usumfructum habent (e), vel fructuarium, et dominum proprietatis vicini fundi, et inter eos, qui jure pignoris possident, competere potest. l. 4 §. 9.

5. Judicium communi dividundo, familiae erciscundae, finium regundorum, tale est, ut in eo singulae personae duplex jus habeant: agentis, et ejus quo cum agitur. l. 10 v. l. 2 §. 3 *famil. ercisc.* et l. 2 §. 1 D. *comm. divid.*

6. In finalibus quaestionibus vetera monumenta, census auctoritas (*) ante litem inchoatam ordinati, sequen-

(c) Imo non post litem confertur, sed statim post motam controversiam. l. 25 §. 7 *de hereditatis petitione.*

(d) L. 4 §. 3 *communi dividundo.* l. 56 *familiae erciscundae.*

(e) Licet post contra regulas, sed lis decisa cum fructuario non nocebit domino.

(*) *Les déclarations* du *papier terrier*, *les cueilloirs*, etc. Qui locorum faciem mutant ut fines et terminos obscurrent, plectuntur. l. 3 §. ult. *de termino moto.*

da est; modo si non varietate successionum, et arbitrio possessorum fines, additis vel detractis agris, postea permutatos probetur. l. 11.

7. Eos terminos, quantum ad dominii quaestionem pertinet, observari oportere fundorum, quos demonstravit is, qui utriusque praedii dominus fuit, cum alterum eorum venderet. Non enim termini qui singulos fundos separabant, observari debent, sed demonstratio affinium novos fines inter fundos constituere. l. 12. l. 1. C. *eod.*

8. Sciendum est, in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum quodammodo ejus legis scriptum est, quam Athenis Solon dicitur tulisse: nam illic ita est: E'α τις αιμασιαν παρ αλλοτριω χωριω ορυγη τον ορον μη παραβαινειν. E'αν τειχιον, ποδα απολιπειν. E'αν δε οικημα δυο ποδας. E'αν δε ταφον η βοθρον ορυττη, οσον το βαθος η, τοσουτον απολιπειν. E'αν δε φρεαρ, οργυιαν. Ελααν δε, και συκην εννεα ποδας απο τυ αλλοτριυ φυτευειν. Ταδε αλλα δενδρα, πεντε ποδας. Id est, *si quis sepem ad alienum praedium fixerit, infoderitque, terminum ne excedito* (a). *Si maceriam, pedem relinquito. Si vero domum, pedes duos. Si sepulcrum aut scrobem foderit, quantum profunditatis habuerint tantum spatii relinquito. Si puteum, passus latitudinem* (b). *At vero oleam, aut ficum, ab alieno ad novem pedes plantato: caeteras arbores ad pedes quinque* (c). *l.* 13.

9. Successionum varietas, et vicinorum novi consen-

(a) V. l. 9 C. *de aedificiis privat. infra de operibus public.* n. ult.

(b) V. contra l. 24 §. 2 *de damno infecto.*

(c) V. *Orleans*, 259 et ibi. *Lalande*, l. 1 §. 7 *de arboribus caedendis*, l. 1 §. eod. l. 6 §. 2 *arborum furtim caesarum.* V. l. 11 supra *Le Pretre*, 4 57 l. 1 C. *de interdictis.*

sus, additis vel detractis agris alterutro, determinationis veteris monumenta saepe permutant (*). l. 2 C. *eod.*

10. Si quis super sui juris locis prior de finibus detulerit querimoniam, quae proprietatis controversiae cohaeret, prius possessionis quaestio finiatur. l. 3. C. *eod.*

11. Cunctis molitionibus et machinationibus amputatis, decernimus in finali quaestione non longi temporis, sed triginta tantummodo annorum praescriptionem locum habere. l. ult. C. *eod.*

TITULUS II.

Familiae erciscundae.

SUMMARIA.

1. *Quae habere non licet, nec fas debere inter cohaeredes.*
2. *Male quaesita non dividuntur.*
3. *Deponendae tabulae testamenti.*
4. *Deponendae cautiones haereditariae.*
5. *Rapti a bestia dominium retinemus donec consumptum sit.*
6. *Res sub conditione legata interim haeredum est; et in hoc judicium venit cum sua causa.*

(*) *Lex* 5 C. eod. *ait*: Quinque pedum praescriptione submota, finalis jurgii, vel locorum libera peragatur intentio. Hanc legem sic Gotofr. explicat. Lege 12 tabul. cautum erat ut inter vicinorum praedia constitutis finibus, quinque pedum (qui fines finium dici potuerunt) spatium relinqueretur, ut eo spatio ire, agere uterque dominus posset, et circumverti posset aratrum, facto eatenus sulco. Quoties autem de quinque pedibus agebatur, agri mensor tantum eligebatur qui fines regeret. Ultra quinque pedes lis non erat finalis, sed proprietatis, et praetor adeundus erat. Petrus Raylandus qui eanum cujusque legis intellectum aetate sua jactitabat, dixit ad l. 5 C. *finium regundorum*: nescio. Gotofr.

7. *Alienationis prohibitio ad necessarium non extenditur.*
8. *Adversus haeredes qui non est haeres praescribit, sed non cohaeres.*
9. *Usurae sumptuum ex mora debentur cohaeredi.*
10. *Communicantur commoda et incommoda.*
11. *In ipsa divisione fundorum alteri servitus imponi potest.*
12. *Rebus et praestationibus constat divisio.*
13. *Eandem diligentiam praestant cohaeredes, vel ejusdem rei legatarii quam in rebus suis.*
14. *Omnia dividenda cum cautionibus de evictione.*
15. *Erogata studiorum causa non conferuntur.*
16. *Si divisio sit impossibilis, fiunt adjudicationes.*
17. *Fructus in hoc judicio veniunt.*
18. *Absenti cohaeredi non nocet facta inter cohaeredes divisio.*
19. *Liberi ab intestato aequaliter succedunt.*
20. *Donata non confert qui haereditate abstinet.*

1. Mala medicamenta et venena veniunt quidem in judicium, sed judex omnino interponere se in his non debet. Boni enim et innocentis viri officio eum fungi oportet. Tantumdem debebit facere et in libris improbatae lectionis (magicis forte, vel his similibus). Haec enim omnia protinus corrumpenda sunt. l. 4. §. 1.

2. Sed et si quid ex peculatu, vel (e) ex sacrilegio adquisitum erit, vel vi, aut latrocinio, aut adgressura, hoc non dividetur. l. 4. §. 2,

V. l. 7 §. 4 D. *comm. divid.*

3. Sed et tabulas testamenti debebit aut apud eum,

(e) V. l. 52 *de haereditatis petitione.*

qui ex majore parte haeres est, jubere manere, aut in aede deponi. Nam et Labeo scribit, vendita haereditate tabulas testamenti descriptas deponi oportere: haeredem enim exemplum debere dare; tabulas vero authenticas ipsum retinere (*), aut in aede deponere. l. 4. §. ult.

4. Si quae sunt cautiones haereditariae, eas judex curare debet, ut apud eum maneant, qui majore ex parte (*) haeres sit: caeteri descriptum et recognitum faciant, cautione interposita, ut cum res exegerit, ipsae exhibeantur. Si omnes iisdem ex partibus haeredes sint, nec inter eos conveniat apud quem potius esse debeant (c), sortiri eos oportet: aut ex consensu vel suffragio eligendus est amicus apud quem deponantur: vel in aede sacra deponi debent. Nam ad licitationem rem deducere, ut qui licitatione vicit, hic habeat instrumenta haereditaria, non placet neque mihi, neque Pomponio. l. 5 et 6. (1)

5. Si quid e pecoribus nostris a bestia ereptum sit, venire in familiae erciscundae judicium putat, si feram

(*) Cautionis causa. V. l. 26 *de fideicommissariis libertatibus.*

(*) *Lex ultima* de fide. instrum. *habet*: Si de tabulis testamenti deponendis agatur et dubitetur cui eas deponi oportet, semper seniorem juniori, et amplioris honoris inferiori, et marem foeminae, et ingenuum libertino praeferemus.

(c) Sors hic admittitur.

(1) » Compiuta la divisione, si debbon consegnare a ciascuno de' condividenti i documenti particolari alle cose che gli sono toccate.

I documenti di una proprietà divisa rimangono a colui che ne ha la maggior parte, coll' obbligo però di comunicarli a quelli fra i suoi condividenti che vi avranno interessi, quante volte ne venga richiesto.

I documenti comuni alla intera eredità si consegnano a colui che tutti gli eredi hanno scelto per esserne il depositario, coll' obbligo di somministrarli a' condividenti ad ogni loro domanda.

Se vi è difficoltà sulla scelta, verrà diffinita dal giudice » *Leggi civ. art.* 761.

evaserit : nam magis esse ut non desinat nostrum esse, inquit, quod a lupo eripitur, vel alia bestia, tamdiu quamdiu ab eo fuerit consumptum. l. 8. §. 2.

6. Res quae sub conditione legata est, interim haeredum est : et ideo venit in familiae erciscundae judicium, et adjudicari potest : cum sua scilicet causa, ut, existente conditione, eximatur ab eo, cui adjudicata est; aut, deficiente conditione, ad eos revertatur, a quibus relicta est. l. 12 §. 2.

7. (d) Alienationes post judicium acceptum inderdictae sunt, duntaxat voluntariae : non quae vetustiorem causam, et originem juris habeut necessariam. l. 13.

8. (e) Si usucapio fuerit coepta ab eo qui haeres non erat ante litem contestatam, et postea impleta fuerit, rem de judicio subducit. l. 14.

9. Sumptuum, quos unus ex haeredibus bona fide fecerit, usuras quoque consequi potest a cohaerede ex die morae (f), secundum rescriptum imperatorum Severi et Antonini. l. 18 §. 3.

10. Inter (cohaeredes) communicentur commoda et incommoda. l. 19 in fine.

11. (*) Sed etiam cum (fundum judex) adjudicat, poterit imponere aliquam servitutem, ut alium (fundum) alii servum faciat ex iis quos adjiudicat: sed si pure

---

(d) V. tit. *de alienatione judicii mutat. causa* f. l. 42 *de rei vindicatione.*

(e) V. l. 18 *de rei vindicatione.* Hic possessor rei haereditariae non erat haeres, sed habebatur pro haerede.

(f) Sed ex aequitate debentur usurae ipso jure. l. 19 §. 4 *de negotiis gestis.*

(*) *Lex 22 habet* thesaurum a testatore relictum cohaeres qui effodit, teneri communicare et si cum extraneo conscio partitus sit. Ratio, quia pecunia quae a defuncto defossa est, non potest vere dici thesaurus, cum sit recentior. V. l. 31 D. §. 1 *de acquirendo rerum dominio.*

alii adjudicaverit fundum, alium adjudicando, amplius servitutem imponere non poterit. l. 22 §. 3.

12. (*h*) Familiae erciscundae judicium ex duobus constat : id est, rebus, atque praestationibus; quae sunt personales actiones. l. 22 §. 4.

13. (*i*) Non tantum dolum, sed et culpam in re haereditaria praestare debet cohaeres : quoniam cum cohaerede non contrahimus, sed incidimus in eum. Non tamen diligentiam praestare debet, qualem diligens paterfamilias; quoniam hic, propter suam partem, causam habuit gerendi : et ideo negotiorum gestorum ei actio non competit. Talem igitur diligentiam praestare debet, qualem in suis rebus. Eadem sunt si duobus res legata sit : nam et hos conjunxit ad societatem non consensus, sed res. l. 25 §. 16.

14. Judex familiae erciscundae nihil debet indivisum relinquere (*). Item curare debet, ut de evictione caveatur his, quibus adjudicat. l. 25 §. 20 et 21.

Si familiae erciscundae judicio, quo bona paterna inter te et fratrem tuum aequo jure divisa sunt, nihil super evictione rerum singulis adjudicatarum specialiter inter vos convenit, id est, ut unusquisque eventum rei suscipipiat, recte possessionis evictae detrimentum fratrem et cohaeredem tuum pro parte agnoscere, praeses provinciae, per actionem praescriptis verbis, compellet l. 14 C. *eod.*

15. Quae pater filio emancipato studiorum causa pe-

(h) Hinc actio non est mixta, et durat triginta annos.

(i) V. l. 25 §. 1. Haeredes diversorum patrimoniorum non sunt cohaeredes. *Dumoulin*, *art.* 33 *de Paris*, g. 1 n. 98 l. 1 e 2 C. *si unus ex pluribus haeredibus.* Licet ergo rem suam negligere, non vero communem.

(*) Cautio pro portionibus divisionis.

regre agenti subministravit, si (*) non credendi animo peter misisse fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus, in rationem portionis, quae ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari aequitas non patitur. l. 50. (2)

16. Si familiae erciscundae, vel communi dividundo judicium agatur, et divisio tam difficilis sit, ut pene impossibilis esse videatur; potest judex in unius personam totam condemnationem conferre, et adjudicare omnes res. l. 55. (3)

17. Non solum in finium regundorum, sed et familiae erciscundae judicio, praeteriti quoque temporis fructus veniunt. l. 56. (c). (4)

(*) Non est ambiguum, cum familiae erciscundae titulus inter bonae fidei judicia numeratur, portionem haereditatis, si qua ad te pertinet, incremento fructuum augeri. l. 9 C. *eod.*

18. Cohaeredibus divisionem inter se facientibus, juri absentis et ignorantis minime derogari, ac pro indiviso portionem eam, quae initio ipsius fuit, in

---

(*) Expensae studiorum. V. *de rebus creditis* n. 12 *de senatusconsulto Macedoniano*. n. 3. V. l. 34 *de negotiis gestis*.

(2) » Non si debbono conferire le spese di educazione, d'instruzione » *Leggi civ art.* 771.

(3) » L'ineguaglianza delle quote si compensa con una somma equivalente, o in rendite o in danaro » *Leggi civ. art.* 752.

(c) L. 4 §. 2. *finium regundorum*. l. 4 §. 3. *communi dividundo*.

(4) » I frutti e gl' interessi delle cose soggette alla collazione non si debbono prima del giorno in cui si è aperta la successione. *Leggi civ. art.* 775

(*) *Lex* 44 §. 3 D. *familiae erciscundae*, *habet*; fructus, quos ante aditam haereditatem ex fundo haeres capit, non aliter familiae erciscundae judicio praestare eum Julianus ait, quam si cum sciret haereditarium fundum esse, ceperit. Verum tenetur saltem utili actione, ut ait glossa. Quia actio familiae erciscundae est actio universalis. Molin. ad articul. 25 *consuetud. de la Salle de Lisle*.

omnibus communibus rebus eum retinere certissimum est. Unde portionem tuam cum reditibus arbitrio familiae erciscundae percipere potes, ex facta inter cohaeredes divisione nullum praejudicium timens. l. 17 C. *eod.*

19. Inter filios et filias bona intestatorum parentum pro virilibus portionibus aequo jure dividi oportere, explorati juris est l. 11 C. *eod.* (5)

20. Ex causa donationis vel aliunde tibi quaesita; si avi successionem respueris, conferre fratribus compelli non potes. l. 25 C. *eod.* (6)

De divisione bonorum a patre inter filios. V. tit. qui testam. fac. poss. n. 38 et 39.

(5) » I figli succedono al padre ed alla madre in eguali porzioni e per capi. *Leggi civ. art.* 667.

(6) » L' erede che rinunzia alla eredità, può ciò non ostante ritenere le donazioni tra vivi, sino alla concorrenza della porzione disponibile » *Leggi civ. art.* 764.

TITULUS III.

Communi dividundo.

SUMMARIA.

1. *Communis sit res vel cum societate, vel sine societate.*
2. *Uterque actor et reus, sed magis actor qui provocavit.*
3. *Fructus et impensae veniunt in hoc judicio.*
4. *Qui in re communi sic versatur, ut lucretur solus, suo periculo id agit.*
5. *Qui licitatione superavit non potest a parte dejici.*
6. *Conveniri potest, ut differatur divisio: non vero, ne fiat.*
7. *Commune est quod est in confinio.*
8. *Si alterius culpa res communis pereat, ipse tenebitur.*
9. *In divisione quod omnibus utilius, aut quod ipsi malint, sequitur judex.*
10. *In re communi potior causa prohibentis.*
11. *Ad licitationem admittuntur extranei.*
12. *Non stat communio, nec societas inter invitos.*
13. *Divisio pro emptione est.*
14. *Majores adversus inaequalem divisionem restituuntur.*

1. Nihil interest, cum societate, an sine societate res inter aliquos communis sit: nam utroque casu locus est communi dividundo judicio. Cum societate res communis est, veluti inter eos, qui pariter eandem rem emerunt. Sine societate communis est, veluti inter eos, quibus eadem res testamento legata est. l. 2.

2. In tribus istis duplicibus judiciis, familiae erci-

scundae, communi dividundo, finium regundorum; quaeritur, quis actor intelligatur, quia par causa omnium videtur? Sed magis placuit, eum videri actorem, qui ad judicium provocasset. l. 2. §. 1.

3. Sicut autem ipsius rei divisio venit in communi dividundo judicio, ita etiam praestationes veniunt: et ideo si quis impensas fecerit, consequatur. Sed si non cum ipso socio agat, sed cum haerede socii, Labeo recte existimat, impensas et fructus a defuncto percepta venire (*a*). l. 4. §. 3.

Tam sumptuum, quam fructuum (fieri divisionem). l. 4. C. *eod.* ut in omnibus aequabilitas servetur. d. l. in fine.

4. Sive autem locando fundum communem, sive colendo, de fundo communi quid socius consecutus sit, communi dividundo judicio tenebitur. Et si quidem communi nomine id fecit, neque lucrum neque damnum sentire eum oportet: si vero non communi nomine, sed ut lucretur solus, magis esse oportet (*b*), ut et damnum ad ipsum respiciat. l. 6. §. 2.

5. (c) Si debitor communis praedii partem pignori dedit, et a domino alterius partis provocatus creditor ejus, ut ab alio creditore alterius debitoris licendo superavit (*d*): et debitor ejus cui res fuit adjudicata velit partem suam praedii recuperare, soluto eo quod ipse debuit; eleganter dicitur, non esse audiendum, nisi et eam partem paratus sit recuperare (*) quam cre-

---

(a) L. 4 §. 2. *finium regundorum.* l. 36. *familiae erciscundae.* V. l. 27 §. 7 *de hereditatis petitione.*

(b) Et tenetur lucrum communicare argumento ejus qui fraudulenter renuntiat societati.

(c) Louet l. H. M. le Pretre.

(d) Unus ex sociis aut consortibus potest ad divisionem provocare.

(*) *Id applicatur ad retractionem gentilitiam*, quia non erat

ditor per adjudicationem emit. l. 7. §. 13. (e).

6. Si conveniat *ne omnino diviso fiat*; hujusmodi pactum nullas vires habere manifestissimum est (*f*). Sin autem *intra certum tempus*, quod etiam ipsius rei qualitati prodest, valet. l. 14. §. 2. V. h. 12. (1)

7. Arbor quae in confinio nata est, item lapis qui per utrumque fundum extenditur, quandiu cohaeret fundo e regione cujusque finium utriusque sunt. l. 19. (2)

8. Si is, cum quo fundum communem habes, ad delictum non respondit (*g*); et ob id motu judicis villa diruta est, aut arbusta succisa sunt (*h*): praestabitur tibi detrimentum judicio communi dividundo. Quidquid enim culpa socii amissum est, eo judicio continetur. l. 20. (3)

9. (i) Judicem in praediis dividundis quod omnibus utilissimum est, vel quod malint litigatores, sequi convenit. l. 21. (4)

---

partem empturus, et indemnis abire debet. l. 47 §. 1 *de minorib.* l. 27 in fine *de aedilitio edicto.*

(e) L. 13 §. 17 *de actionibus empti et venditi*, l. 3 *de usufructu legat.*

(f) Quia communio generat lites. V. l. 14 *pro socio.*

(1) » Si può convenire di sospendere la divisione per un tempo determinato: ed una tal convenzione non può essere obbligatoria al di là di cinque anni, ma può essere rinnovata. *Leggi civ. art.* 734, §. 2.

(2) » Gli alberi situati nella siepe comune sono di ragione comune come la siepe; e ciascuno de' due proprietarj può chiedere che sieno abbattuti. « *Leggi civ. art.* 594.

(g) L. 52 §. ult. *pro socio.* l. 55. *de evictionibus.*

(h) Haec pena valde notanda. V. Gotofr. ad l. 24. *de poenis.* V. l. 4. §. 6. *de re militari ubi.* dicitur ad delictum reddit. V. *M. le Bret*, *plaidoyer* 3.

(3) Concorda. *Leggi civ. art.* 774, 782.

(i) V. l. 26. *de re judicata.* l. 65 §. 5. *pro socio.* l. 25 in fine *ad legem Aquiliam.*

(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 751.

10. Sabinus, in re communi neminem dominorum jure facere quicquam invito altero posse. Unde manifestum est, prohibendi jus esse: in re enim pari potiorem causam esse prohibentis constat. Sed etsi in communi prohiberi socius a socio, ne quid faciat, potest, ut tamen opus factum tollat (*k*), cogi non potest, si cum prohibere poterat, hoc praetermisit. Et ideo per communi dividundo actionem damnum sarciri poterit. Sin autem facienti consensit, nec pro damno habet actionem. Quod si quid, absente socio, ad laesionem ejus fecit, tunc etiam tollere cogitur. l. 28.

11. Cum regionibus dividi commode aliquis ager inter socios non potest, vel ex pluribus singulis aestimatione justa facta, unicuique sociorum adjudicantur, compensatione pretii invicem facta, eoque qui res majoris pretii obvenit caeteris condemnato: ad licitationem nonnunquam etiam extraneo emptore admisso (*l*). Maxime si se non sufficere ad justa pretia alter ex sociis sua pecunia vincere vilius licitantem profiteatur. l. 3. C. *eod.*

12. In communione, vel societate nemo compellitur invitus detineri (*m*). Quapropter aditus praeses provinciae, ea quae communia tibi cum sorore perspexerit dividi providebit. l. ult. C. *eod.* V. n. 6. (5)

13. Divisionem praediorum vicem emptionis obtinere

(k) Unus potest prohibere. l. 11. Si servitus vindicetur. l. 8. *de servitutibus praediorum urbanorum* Jus prohibendi fortius est jure innovandi.

(l) Unus petere potest ut in licitatione admittantur extranei.

(m) Quia communio generat lites propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem. arg. l. 17. §. 6 *de receptis*.

(5) « Niuno può essere astretto a rimanere in comunione; e si può sempre domandar la divisione, non ostante qualunque proibizione o convenzione in contrario « *Leggi civ. art.* 734.

placuit. l. 1. C. *comm. utr. jud. tam f. erc.* q. c. d.

14. (*) Majoribus etiam, per fraudem, vel dolum, vel perperam sine judicio factis divisionibus, solet subveniri: quia in bonae fidei judiciis, quod inaequaliter factum esse constiterit, in melius reformabitur. l. 3. C. *comm. utr. jud. tam. f. erc.* q. c. d.

TITULUS IV.

Ad exhibendum.

SUMMARIA.

1. *Quid, cui, quando exhibendum judex definit.*
2. *Possessio duplex, civilis et naturalis.*
3. *Altera fit res cujus mutatur forma.*
4. *Alterius rationes sibi edi nemini, jus est.*
5. *Quaestionis usus in delictis, ut innotescant conscii.*

1. Eleganter definit Neratius, judicem ad exhibendum hactenus cognoscere, an justam et probabilem causam habeat actionis, propter quam exhiberi sibi desideret. l. 3. §. 11. in fin.

2. Sciendum est, adversus possessorem hac actione agendum (*a*): non solum eum qui civiliter, sed et eum qui naturaliter incumbat possessioni. l. 3. §. ult.

(*) Quaerendum: 1. num laesio quartae sufficiat? utique. 2. num laesio dimidii in re singulari sufficiat, cum laesio non pertingat ad quartam in totalitate divisionis? nequaquam. 3. num divisio facta a judice sit rescissioni obnoxia ex laesione? num actio, duret plusquam 10 annos?

(a) Lex 18 ait: Solutione chirographo inani facto et pignoribus liberatis, nihilominus creditor, ut instrumenta ad eum contractum pertinentia ab alio quam debitore exhibeantur, agere potest. Cujas 9 obs. 7 legit. *debitor* et creditore.

3. Mutata forma prope interemit substantiam rei. l. 9. §. 3. in fin.

V. l. 6. §. 4. ff. *de auro aut argento leg.*

4. Ad exhibendum possunt agere omnes, quorum interest. Sed quidam consuluit, an possit efficere haec actio, ut rationes adversarii sibi exhiberentur, quas exhiberi magni ejus interesset? respondit, non oportere jus civile calumniari, neque verba captari (*b*), sed, qua mente quid diceretur, animadvertere convenire. Nam illa ratione etiam studiosum alicujus doctrinae posse dicere, sua interesse, illos aut illos libros sibi exhiberi: quia, si essent exhibiti, cum eos legisset, doctior et melior futurus esset. l. 19.

5. Quaestionis habendae causa ad exhibendum agitur ex delictis servorum, ad vindicandos conscios suos. l. ult.

(b) Exemplum ejus qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem. l. 5. C. *de legibus*. l. 29. et 30 ff. *eod.*

LIBER UNDECIMUS.

TITULUS I.

De interrogationibus in jure faciendis, et interrogatoriis actionibus.

SUMMARIA.

1. *Interrogationis is usus est, ut vel confitendo, vel negando se onoret qui interrogatur.*
2. *Non respondet qui non ad quaesita responsionem accomodat.*
3. *Pravae responsionis variae figurae.*
4. *Aliud statuendum, si novum quid emerserit.*
5. *Et responsione quasi ex contractu obligamur.*
6. *Variare ex justa causa potest qui respondit.*
7. *Juri et naturae consonum esse debet quod respondetur.*
8. *Interrogationis admittendae judicis officium est.*

1. Voluit praetor adstringere eum, qui convenitur, ex sua in judicio responsione, ut vel confitendo, vel mentiendo sese oneret. l. 4.

2. Quod autem ait praetor, *omnino non respondisse*, posteriores sic exceperunt, ut omnino non respondisse videatur, qui ad interrogatum non respondit, id est, πρὸς ἔπος. l. 11. §. 5.

3. Nihil interest, neget quis, an taceat interrogatus, an obscure respondeat, ut incertum dimittat interrogatorem, l. 11. §. 7.

4. Et quae postea emergunt auxilio indigent. l. 11. §. 8.

5. Qui interrogatus responderit, sic tenetur, quasi ex contractu obligatus, pro quo pulsabitur. l. 11. §. 9.

6. Celsus scribit, licere responsi poenitere, si nulla captio ex ejus poenitentia fit actoris. Quod verissimum mihi videtur: maxime si quis postea plenius instructus quid faciat, instrumentis, vel epistolis amicorum juris sui edoctus. l. 11. §. ult.

7. In totum autem confessiones ita ratae sunt, si id, quod in confessionem venit, et jus et naturam recipere potest. l. 14. §. 1.

8. Ubicumque judicem aequitas moverit, aeque oportere fieri interrogationem, dubium non est. l. 21.

TITULUS II.

De quibus rebus ad eundem judicem eatur.

SUMMARIA.

1. *In causa pluribus communi unus omnium judex.*

1. Cum ex pluribus tutoribus unus, quod caeteri non sint idonei, convenitur postulante eo, omnes ad eundem judicem mittuntur: et hoc rescriptis principum continetur (a). l. 2. (1)

(a) *Lex 2 ait*: Si inter plures familiae erciscundae agetur, et inter eosdem communi dividundo, aut finium regundorum, eumdem judicem sumendum; praeterea quo facilius communire cohaeredes vel socii possint, in eumdem omnium potentiam fieri oporteret.

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 163, §. 6 e 7.

TITULUS III.

De servo corrupto.

SUMMARIA.

1. *Delinquit qui laudans inducit ad malitiam.*
2. *Cura de moribus liberorum.*

1. (*a*) Non oportet laudando augeri malitiam. l. 1. §. 4.

2. Interest nostra, animum liberorum nostrorum non corrumpi. l. 14. §. 1. in f.

TITULUS IV.

De fugitivis.

SUMMARIA.

1. *Vincire licet ad custodiam.*
2. *Quorumlibet domos ingredi licet ad perquirendum jussu judicis.*

1. Diligens custodia etiam vincire permittit. l. 1. §. 7.

2. Divus Pius rescripsit, eum qui fugitivum vult requirere in praediis alienis, posse adire praesidem litteras ei daturum: et, si ita res exegerit, apparitorem quoque, ut ei permittatur ingredi et inquirere. Et poenam eundem praesidem in eum constituere, qui inquiri non permiserit. Sed et Divus Marcus oratione quam in senatu recitavit, facultatem dedit ingrediendi

(a) Persuadere plus est quam compellere. l. 1 §. 3. hic l. 16. *de poenis.*

tam Caesaris, quam senatorum et paganorum praedia volentibus fugitivos inquirere: scrutarique cubilia, atque vestigia occultantium. l. 3. (1)

TITULUS V.

De aleatoribus.

SUMMARIA.

1. *In pecuniam ludere vetitum. Qui ludi, quae sponsio liceant.*

1. Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, praeterquam si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando; quod virtutis causa fiat. In quibus rebus ex lege Titia (et Publicia) et Cornelia etiam sponsionem facere licet. Sed ex aliis ubi pro virtute certamen non fit, non licet. l. 2. §. 1. et l. 3. V. tit. C. *eod.* (1)

(1) Concorda. *Leggi di proc. pen. art.* 61.

(1) » La legge non accorda azione veruna per un debito o pel pagamento di una scommessa. «

» I giuochi proprj ad esercitare al maneggio delle armi, le corse a piedi o a cavallo, quelle de' carri, il giuoco della palla ed altri di tal natura, che contribuiscono alla destrezza ed all' esercizio del corpo, sono eccettuati dalla precedente disposizione » *Leggi civ. art.* 1837, 1838.

La proibizione de' giuochi di azzardo è prescritta dalle leggi penali, art. 318, 461 n. 29.

TITULUS VI.

Si mensor falsum modum dixerit.

SUMMARIA.

1. *Tenetur agri mensor, si falsum modum dixerit.*

1. Adversus mensorem agrorum praetor in factum actionem proposuit, a quo falli nos non oportet. Nam interest nostra, ne fallamur in modi renuntiatione: si forte vel de finibus contentio sit, vel emptor scire velit vel venditor, cujusmodi ager veniat. l. 1.

TITULUS VII.

De religiosis et sumptibus funerum: et ut funus ducere liceat.

SUMMARIA.

1. *Funerans cum defuncto contrahit.*
2. *Pro haerede non gerit qui mortuum infert*
3. *Liberis licet non haeredibus jus est sepulcri.*
4. *Iter necessarium vendere compellit judex.*
5. *Sumptus funeris pro dignitate defuncti.*
6. *Impensarum in funus privilegium ante caetera.*
7. *Non testatoris voluntas, sed modus facultatum spectandus.*
8. *Interest quo animo quis funeret: an pietatis, non recepturus impensum, an recepturus: idque testandum.*
9. *Æquitas interdum solutius spectanda.*
10. *Funeris impensa universorum bonorum onus.*
11. *Quae sint funeris impensae.*

12. *Quid monumentum, quid sepulcrum, quid cenotaphium.*
13. *Favor religionis stricto juri derogat.*
14. *Praecipua corporis humani pars caput.*

1. Qui propter funus aliquid impendit, cum defuncto contrahere creditur, non cum haerede (*a*). l. 1.

2. Scriptus haeres, prius quam haereditatem adeat, patremfamilias mortuum inferendo, locum facit religiosum. Nec quis putet, hoc ipso pro haerede eum gerere. l. 4. V. 1. l. 14. §. 7. et 8.

3. (*b*) Liberis cujuscumque sexus vel gradus, etiam filiisfamilias et emancipatis, idem jus (sepulcri) concessum est: sive extiterint haeredes, sive sese abstineant. l. 6.

4. Si quis sepulcrum habeat, viam autem ad sepulcrum non habeat, et a vicino ire prohibeatur, imperator Antoninus cum patre rescripsit, iter ad sepulcrum peti precario, et concedi solere: ut quoties non debetur, impetretur ab eo qui fundum adjunctum habeat. l. 11.

Praeses etiam compellere debet, justo pretio iter ei praestari. Ita tamen ut judex etiam de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum. d. l. 12.

5. Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus, vel dignitate defuncti. l. 12. §. 5.

Haec actio, quae funeraria dicitur, ex bono ex aequo

(a) Ratio quia saepe nondum haeres adiit haereditatem, sed deliberat.

(b) Filii haereditate paterna se abstinentes jus patronatus in libertis paternis non amittunt. l. 9. *de jure patronatus*. V. l. 62. *de acquirendo rerum dominio*.

oritur. Continet autem funeris causa tantum impensam, non etiam caeterorum sumptuum. Æquum autem accipitur ex dignitate ejus qui funeratus est, ex causa, ex tempore et ex bona fide, ut neque plus imputetur sumptus nomine quam factum est: neque tantum quantum factum est, si immodice factum est. Deberet enim haberi ratio facultatum ejus, in quem factum est: et ipsius rei quae ultra modum sine causa consumitur. l. 14. §. 6. l. 113. §. ult. de leg. 1. l. 202. *de verborum significatione*.

6. Si colonus, vel inquilinus sit is qui mortuus est, nec sit unde funeretur, ex invectis illatis eum funerandum Pomponius scribit. Et si quid superfluum remanserit, hoc pro debita pensione teneri. l. 14. §. 1.

Impensa funeris semper ex haereditate deducitur, quae etiam omne creditum solet praecedere (*) cum bona solvendo non sint. l. 45. (1)

7. Quid ergo, si ex voluntate testatoris impensum est? Sciendum est nec voluntatem sequendam, si res egrediatur justam sumptus rationem: pro modo autem facultatum sumptum fieri. l. 14. §. 6. in fine (c).

8. Sed interdum is qui sumptum in funus fecit, sumptum non recipit, si pietatis gratia fecit, non hoc animo quasi recepturus sumptum quem fecit; (et ita) imperator noster rescripsit. Igitur aestimandum erit arbitro, et perpendendum quo animo sumptus factus sit: utrum negotium quis vel defuncti vel haeredis gerit, vel ipsius humanitatis (*d*): an vero misericordiae, vel

(*) Privilegium valet tam in mobilia, quam in immobilia. V. l. 17. *de rebus auctoritate judicis possidendis*.

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1970, §. 2.

(c) L. 113. §. ult. *de leg.* 1. l. 1 §. ult. *ad legam falcidiam*. l. 27. *de conditionibus et demonstrationibus*.

(d) L. 34 *de negotiis gestis*.

pietati tribuens, vel affectioni. Potest tamen distingui et misericordiae modus: ut in hoc fuerit misericors vel pius qui funeravit, ut eum sepeliret, ne insepultus jaceret, non etiam ut suo sumptu fecerit. Quod si judici liqueat, non debet eum qui convenitur, absolvere: quis enim sine pietatis intentione alienum cadaver funerat? Oportebit igitur testari (*) quem quo animo funerat; ne postea patiatur quaestionem. l. 14. §. 7.

Plerique filii, cum parentes suos funerant, vel alii qui haeredes fieri possunt, licet ex hoc ipso neque pro haerede geritio, neque aditio praesumitur, tamen ne vel miscuisse se necessarii, vel caeteri pro haerede gessisse videantur, solent testari, pietatis gratia facere se sepulturam. l. 14. §. 8.

9. (*d*) Solutius aequitatem sequi (debet judex), cum hoc ei et actionis natura indulget. l. 14. §. 13. in fine.

10. In eum, ad quem dotis nomine quid pervenerit, dat praetor funerariam actionem. Æquissimum enim visum est veteribus, mulieres quasi de patrimoniis suis, ita de dotibus funerari: et eum qui morte mulieris dotem lucratur, in funus conferre debere, sive pater mulieris est, sive maritus. l. 16. l. 6. *ad legem falcidiam.*

11. Funeris sumptus accipitur quidquid corporis causa, veluti unguentorum, erogatum est: et pretium loci in quo defunctus humatus est: et si qua vectigalia sunt, vel sarcophagi et vectura: et quidquid corporis causa, antequam sepeliatur, consumptum est, funeris impensam esse existimo. Monumentum autem sepulcri

(*) Protestatio l. 16. *de senatusconsulto Maced.*

(*d*) Idem in arbitris.

id esse, divus Hadrianus rescripsit, quod monumenti, id est causa muniendi ejus loci factum sit, in quo corpus impositum sit. Itaque, si amplum quid aedificari testator jusserit, veluti in circuitum porticationes, eos sumptus funeris causa non esse. l. 37. d. l. §. 1.

12. Monumentum generaliter res est memoriae causa in posterum prodita: in qua si corpus vel reliquiae inferantur, fiet sepulcrum; si vero nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriae causa factum, quod Graeci κενόταφιον, id est *inane sepulcrum*, appellant. l. 42.

13. Propter publicam utilitatem, ne insepulta cadavera jaceant, strictam rationem insuper habemus; quae nonnunquam in ambiguis religionum quaestionibus omitti solet: nam summam esse rationem quae pro religione facit. l. 43. in fine. V. Nov. 7. c. 2. §. 1.

14. Principale (corporis humani) est caput, cujus imago sit, inde cognoscimur. l. 44.

TITULUS VIII.

De mortuo inferendo, et sepulcro aedificando.

SUMMARIA.

1. *Praegnantis mortuae partus excidendus.*

1. Negat lex regia, mulierem quae praegnans mortua sit, humari antequam partus ei excidatur. Qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur. l. 2.

LIBER DUODECIMUS.

TITULUS I.

De rebus creditis, si certum petetur, et de condictione.

SUMMARIA.

1. *Credere est alienam fidem sequi.*
2. *Mutuo damus idem genus recepturi.*
3. *Mutuo dantur quae functionem recipiunt. Aliud pro alio invito non solvitur.*
4. *Quod mutuo datur debet fieri accipientis.*
5. *Debet esse dominus qui mutuo dat.*
6. *Non fiat mutuum ex aliena pecunia.*
7. *In mutuo simile reddendum.*
8. *Si apud mutuum accepturum pecunia interim deponatur, ejus periculo est.*
9. *Si, quod quis dare debuit, post moram perierit, ipsi perit.*
10. *Si res vendenda ideo detur mutuum petenti, ut pretium mutuo habeat, is suo periculo eum habebit.*
11. *Fictionum juris exemplum.*
12. *Studiorum favor.*
13. *Solutio partis debiti invito creditori, officio judicis.*
14. *Quo tempore, quo loco fiat aestimatio rei debitae.*
15. *Privilegium habet qui ob restitutionem aedificiorum credidit.*
16. *Civitas ex mutuo non obligatur nisi in rem ejus versum sit.*
17. *Res cum omni causa restituenda.*
18. *Praesidi et his qui circa eum sunt, negotiari vetitum.*
19. *Conditio in praesens vel praeteritum collata non suspendit.*

1. Credendi generalis appellatio est. Ideo et sub hoc titulo praetor, et de commodato, et de pignore edixit. Nam cuicumque rei adsentiamur, alienam fidem secuti, mox recepturi quid ex hoc contractu, credere dicimur. l. 1.

2. Mutuum damus recepturi non eandem speciem quam dedimus (alioquin commodatum erit, aut depositum), sed idem genus: nam si aliud genus, veluti, ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum. l. 2. (1).

3. Mutui datio consistit in his rebus quae pondere, numero, mensura consistunt: quoniam eorum datione possumus in creditum ire; quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quam specie. Nam in caeteris rebus, ideo in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest. l. 2 §. 1.

4. Appellata autem est *mutui datio* ab eo, quod de meo tuum fit: et ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio. l. 2 §. 2.

5. In mutui datione oportet dominum esse dantem. l. 2. §. 4. (2).

6. Si socius propriam pecuniam mutuam dedit, omnimodo creditam pecuniam fecit, licet caeteri dissenserint. Quod si communem numeravit, non alias creditam efficit, nisi caeteri quoque consentiant: quia suae partis tantum alienationem habuit. l. 16.

7. Cum quid mutuum dederimus, et si non cavimus,

---

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1764.
(2) » In forza del mutuo il mutuatario diviene padrone della cosa mutuata. *Leggi civ. art.* 1765.

ut aeque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quae ex eodem genere sit, reddere; veluti vinum novum pro vetere. Nam in contrahendo quod agitur pro cauto habendum est (*a*): id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis, et eadem bonitate solvatur, qua datum sit. l. 3. (3).

8. Si quis nec causam, nec propositum foenerandi habuerit: et tu empturus praedia, desideraveris mutuam pecuniam, nec volueris creditae nomine, antequam emisses, suscipere: atque ita creditor, quia necessitatem forte proficiscendi habebat (*b*), deposuerit apud te hanc eandem pecuniam, ut, si emisses, crediti nomine obligatus esses; hoc depositum periculo est ejus qui suscepit. Nam et qui rem vendendam acceperit, ut pretio uteretur, periculo suo rem habebit. l. 4.

9. Quod te mihi dare oporteat, si id postea perierit quam per te factum erit quominus id mihi dares; tuum fore id detrimentum constat. l. 5. (4).

10. Rogasti me, ut tibi pecuniam crederem: ego; cum non haberem, lancem tibi dedi, vel massam auri, ut eam venderes, et nummisittereris. Si vendideris, puto mutuam pecuniam factam. Quod si lancem vel massam sine tua culpa perdideris prius quam venderes; utrum mihi an tibi perierit, quaestionis est?

(*a*) L. 11 §. 1 *de actionibus empti et venditi*. L. 2 §. 3 *de obligationibus et actionibus*.

(3) » Il mutuatario è obbligato a restituire le cose prestate nella stessa quantità e qualità. » *Leggi civ. art.* 1774.

(*b*) V. l. 1 §. 34 et 36 *depositi vel contra*.

(4) » Se il comodatario impieghi la cosa per un tempo più lungo di quello che dovrebbe, sarà risponsabile della perdita accaduta anche per caso fortuito. » *Leggi civ. art.* 1753.

Mihi videtur Nervae distinctio verissima, existimantis multum interesse, venalem habui hanc lancem vel massam, necne: ut, si venalem habui, mihi perierit, quemadmodum si alii dedissem vendendam: quod si non fui proposito hoc, ut venderem, sed haec causa fuit vendendi, ut tu utereris, tibi eam periisse: et maxime si sine usuris crediti. l. 11.

11. Singularia quaedam recepta sunt circa pecuniam creditam. Nam si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis. Quod igitur in duabus personis recipitur, hoc et in eadem persona recipiendum est: ut, cum ex causa mandati pecuniam mihi debeas, et convenerit, ut crediti nomine eam retineas (*a*), videatur mihi data pecunia, et a me ad te profecta. l. 15.

12. Cum filiusfamilias viaticum (*b*) suum mutuum dederit, cum studiorum causa Romae ageret, responsum est a Scaevola, extraordinario judicio esse illi subveniendum. l. 17.

13. Quidam existimaverunt, neque eum qui decem peteret, cogendum quinque accipere, et reliqua persequi: neque eum qui fundum suum diceret, partem duntaxat judicio persequi. Sed in utraque causa humanius facturus videtur praetor, si actorem compulerit ad accipiendum id quod offeratur: cum ad officium ejus pertineat, lites diminuere. l. 21.

(a) Fictio brevis manus.

(b) V. l. 36 *ad municip.* et ibi Gotofr. Sumptus itineris, *ἐφόδιον* viaticum. Non licebat morari Romae studiorum causa aut alio praetextu sine rescripto principis. Nec rescriptum dabatur non habentibus viaticum. Gotofr. V. *familiae erciscundae*. n. 15 et *de senatusconsulto Macedoniano*. n. 31.

14. (c) Vinum quod mutuum datum erat, per judicem petitum est: quaesitum est, cujus temporis aestimatio fieret; utrum cum datum esset, an cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur? Sabinus respondit: si dictum esset quo tempore redderetur quanti tunc fuisset: si non, quanti tunc cum petitum esset. Interrogavi, cujus loci pretium sequi oporteat? Respondit: si convenisset ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset: si dictum non esset, quanti ubi esset petitum. l. 22 e 31 h. (5).

15. (d) Creditor qui ob restitutionem aedificiorum crediderit, in pecuniam quam crediderit, privilegium exigendi habebit. l. 25. (6).

16. Civitas mutui datione obligari potest, si ad utilitatem ejus pecuniae versae sunt. Alioquin ipsi soli (e), qui contraxerunt, non civitas, tenebuntur. l. 27.

17. Cum fundus vel homo per condictionem petitus esset, puto, hoc nos jure uti, ut post judicium acceptum causa omnis restituenda sit: id est, omne quod habiturus esset actor, si litis contestandae tempore solutus fuisset. l. 31.

(c) V. l. 59 et 60 *de verborum obligationibus*. l. 3 §. 5 *de actionibus empti et venditi*.

(5) » Se il mutuatario si trova nella impossibilità di restituire le cose prestate nella stessa quantità e qualità, e nel tempo convenuto; è obbligato a pagarne il valore, avuto riguardo al tempo ed al luogo in cui doveva, a norma della convenzione, farsi la restituzione.

» Se non è stato determinato nè il tempo nè il luogo, il pagamento si fa secondo il valore corrente nel tempo e nel luogo in cui fu fatto il prestito. *Leggi civ. art.* 1775.

(d) L. 1. Qui potiores in pignore. l. 1 *de cessione bonorum*. l. 24 §. 1 *de rebus auctoritate judicis possidendis*.

(6) Concorda. *Leggi civ. art.* 1972. §. 4 e 5.

(e) V. l. 78 §. 2 *de legatis*. 20. L. 11 *de pignoribus et hypothecis*.

18. Principalibus constitutionibus cavetur, ne hi qui provinciam regunt, quive circa eos sunt, negontientur (*f*), mutuamve pecuniam dent, foenusve exerceant. l. 33.

19. Cum ad praesens tempus conditio confertur, stipulatio non suspenditur: et, si conditio vera sit, stipulatio tenet; quamvis tenere contrahentes conditionem ignorent, veluti, si rex Parthorum vivit, centum (millia) dare spondes? Eadem sunt, et cum in praeteritum conditio confertur. l. 37.

TITULUS II.

De jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.

SUMMARIA.

1. *Jusjurandum vel a parte defertur, vel a judice, ut lis finiatur.*
2. *Jusjurandum re judicata firmius.*
3. *Inutile jusjurandum, nisi delatum sit.*
4. *In omni causa juratur.*
5. *Sola quaestio an juratum sit, non an debeatur.*
6. *Paratus iurare remitti potest jusjurandum, potest et poenitere qui detulit.*
7. *Jusiurandum extinguit actionem.*
8. *Actionem actori, reo exceptionem dat jusjurandum.*
9. *Non licet deferre jusjurandum in fraudem creditorum.*

(f) Eadem ratione in Gallia nobiles arcentur a commercio ne per impressionem potestatis quid extorqueant. V. l. 3 C. *de commercio.*

10. *Inter alios actum nemini nocet.*
11. *Ad egregias personas mittitur domum ut jurent.*
12. *Tutor jusjurandum defert.*
13. *Procurator, nonnisi universorum bonorum, cui id mandatum est, jusjurandum defert.*
14. *Pro solutione est jusjurandum.*
15. *A correo delatum, correo nocet: a correo prestitum correo prodest.*
16. *Nova instrumenta post delatum a parte jusjurandum inutilia. Secus post delatum a judice.*
17. *Delato jurejurando, solvat reus, aut juret, aut referat.*
18. *Quando referri possit jusjurandum, vel non possit, statuit judex.*
19. *Deferendi et referendi jurisjurandi ordo.*

1. Maximum remedium expediendarum litium (*a*) in usum venit jurisjurandi religio: qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiae. l. 1. (1).

2. Jusjurandum speciem transactionis continet (*b*): majoremque habet auctoritatem, quam res judicata. l. 2.

3. Ait praetor: *Si is cum quo agetur, conditione delata, juraverit.* Eum, cum quo agetur, accipere de-

---

(a) Liquido jurari debet, id est, aperte. l. 18. hic. Formidine jurisjurandi temeritas litigatorum compescitur. V. l. 1 *quarum rerum actio non datur.*

(1) » Il giuramento giudiziale è di due specie: 1. quello che una parte deferisce all' altra per farne dipendere la decisione della causa; e chiamasi *decisorio*: 2. quello che vien deferito dal giudice *ex officio* all' una o all' altra parte. *Leggi civ. art.* 1311.

(b) Et rei judicatae. l. 1 *quarum rerum act.* Et solutionis. l. 27. *hic* et transactionis. l. 31. Et pacti. l. 35 §. 1. Et acceptilationis. l. 40.

bemus ipsum reum. Nec frustra adjicitur, *conditione delata*: nam si reus juravit, nemine ei jusjurandum deferente, praetor id jusjurandum non tuebitur; sibi enim juravit (c): alioquin facillimus quisque ad jusjurandum decurrens, nemine sibi deferente jusjurandum, oneribus actionum se liberabit. l. 3.

4. Quacumque autem actione quis conveniatur, si juraverit proficiet ei jusjurandum; sive in personam, sive in rem, sive in factum (*d*), sive in poenali actione, vel quavis alia agatur; sive de interdicto. l. 3. §. 1. (2).

5. Dato jurejurando, non aliud quaeritur, quam an juratum sit: remissa quaestione an debeatur; quasi satis probatum sit jurejurando. l. 5. §. 2. (3).

6. Remittit jusjurandum qui, deferente se, cum paratus esset adversarius jurare, gratiam ei facit, contentus voluntate suscepti jurisjurandi. Quod si non suscepit jusjurandum (*e*), licet postea parato jurare actor nolit deferre, non videbitur remissum: nam quod susceptum est, remitti debet. l. 6. (4).

(c) L. 8 *de conditionibus institutionum.*

(d) V. l. 11 in fin. et l. 12 *de actione rerum amotarum.*

(2) » Il giuramento decisorio può esser deferito sopra qualsivoglia specie di controversia. » *Leggi civ. art.* 1312.

(3) » Quando il giuramento deferito o riferito siasi dato, non si ammette l' avversario a provarne la falsità. » *Leggi civ. artic.* 1317.

(e) Si quis detulerit jusjurandum et alter susceperit, id est, obtulerit festato et in scriptis jurare, et sese forsan obtulerit judici ad jurandum, temere revocanda non est delatio jurisjurandi: nisi forte qui detulit dicat se detulisse inopia probationum et probationes recuperasse. Pendet ex diversis circumstantiis.

(4) » La parte che ha deferito o riferito il giuramento, non può più ritrattarsi, se la parte contraria ha dichiarato di essere pronta a giurare. » *Leggi civ. art.* 1318.

7. Ait praetor, *ejus rei, de qua jusjurandum delatum fuerit, neque in ipsum, neque in eum, ad quem ea res pertinet, actionem dabo.* l. 7. V. 1. l. 27.

8. Jurejurando dato, vel remisso, reus quidem acquirit exceptionem sibi, aliisque; actor vero actionem acquirit: in qua hoc solum quaeritur, *an juraverit dari sibi oportere*; vel cum jurare paratus esset, jusjurandum ei remissum sit. l. 9. §. 1. (5).

9. (*f*) Sed et si quis in fraudem creditorum jusjurandum detulerit debitori, adversus exceptionem jurisjurandi, replicatio fraudis creditoribus debet dari. l. 9. §. 5.

10. (*g*) Non deberet alii nocere, quod inter alios actum esset. l. 10. (6).

11. Ad personas egregias, eosque, qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum. l. 15. (7).

12. Si tutor, qui tutelam gerit, aut curator furiosi, prodigive, jusjurandum detulerit, ratum id haberi debet (*a*). Nam et alienare res, et solvi eis potest; et agendo, rem in judicium deducunt. l. 17. §. 2.

---

(5) Concorda. *Leggi civ. art.* 1319.

(f) L. 1 §. ult. l. 3. *quae in fraudem creditorum facta sunt.*

(g) V. Gotofr. ad l. 13 §. ult. Hic ubi fumo punitur qui fumum aulicum vendidit, et alia plura. l. 16 C. *de testib.*

(6) » Il giuramento prestato non fa pruova, fuorchè a vantaggio o contra di colui che l' ha deferito, e suoi eredi. *Leggi civ. art.* 1319

(7) » Il giuramento sarà prestato all' udienza. In caso di un impedimento legittimo, il giuramento potrà essere prestato davanti un giudice incaricato dal tribunale a riceverlo; e questi si trasferirà nell' abitazione della parte che dee prestarlo. » *Leggi di proc. civ. art.* 215.

(a) Contra, minor non potest compromittere etiam tutore auctore. l. 4 §. 1 *de minoribus.* * Quando tutor jusjurandum defert, minor non defenditur. l. 1 §. 1. *Quarum rerum actio non detur.*

13. Procurator quoque quod detulit, ratum habendum est: scilicet, si aut universorum bonorum administrationem sustinet, aut si id ipsum nominatim mandatum sit, aut si in rem suam procurator sit. l. 17. §. ult.

Si itaque mandatum fuit procuratori ut petat, ille jusjurandum detulit; aliud fecit quam quod mandatum est. l. 19 (8).

14. Jusjurandum loco solutionis cedit (b). l. 27.

Interposito (jurejurando), ab omni controversia disceditur. l. 40. in fin. V. s. l. 17.

15. (c) In duobus reis stipulandi, ab altero delatum jusjurandum etiam alteri nocebit. l. 28.

Ex duobus reis promittendi ejusdem pecuniae alter juravit: alteri quoque prodesse debebit. l. 28 §. 3. (9).

16. Admonendi sumus, interdum etiam post jusjurandum exactum permitti constitutionibus principum ex integro causam agere, si quis nova instrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solis usurus sit. Sed hae constitutiones tunc videntur locum habere, cum a judice aliquis absolutus fuerit: solent enim saepe judices in dubiis causis, exacto jurejurando, secundum eum judicare, qui juraverit. Quod si alias inter ipsos jurejurando transactum sit negotium, non conceditur eamdem causam retractare. l. 31.

---

(8) Contra » il giuramento sarà prestato dalla parte personalmente. » *Leggi di proc. civ. art.* 215.

(b) L. 26 ait: Pejerare non videtur pupillus, quia sciens fallere non videtur. Gotofr. refert hanc jurandi formulam solemnem: Si sciens fallo ita me diespiter salva urbeque arceque bonis ejiciat ut ego hunc lapidem. Cicero, et in execrationibus addebatur ut dii irati essent fallentibus.

(c) Contra in compromisso, nisi socii sint. l. 34 *de receptis, qui arbitrium acceperunt.*

(9) Concorda. *Leggi civ. art.* 1319.

Causa jurejurando ex consensu utriusque partis, vel adversario inferente delato et praestito, vel remisso, decisa, nec perjurii praetextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur. l. 1. C. *de reb. cred. et jurejur.*

Jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet (*d*). l. 2. C. *eod.*

Cum quis legatum vel fideicommissum, utpote sibi relictum exigeret, et testamento forte non apparente, pro eo sacramentum ei ab haerede delatum esset, et is religionem suam praestasset, affirmans sibi legatum vel fideicommissum derelictum esse, et ex hujusmodi testamento id quod petebat consecutus esset, postea autem manifestum esset factum, nihil ei penitus fuisse derelictum; apud antiquos quaerebatur, utrum jurejurando standum esset, an restituere deberet quod acceptisset. Nobis itaque melius visum est (*e*) repeti ab eo legatum vel fideicommissum, nullumque ex hujusmodi perjurio ei lucrum accedere. l. ult. C. *eod.*

17. Ait praetor: *eum, a quo jusjurandum petetur, solvere aut jurare cogam.* Alterum itaque eligat reus; aut solvat, aut juret: si non jurat, solvere cogendus erit a praetore. l. 34. §. 6.

Datur autem et alia facultas reo, ut, si malit, referat jusjurandum: et si is, qui petet, conditione jurisjurandi non utetur, judicium ei praetor non dabit: aequissime enim hoc facit, cum non deberet displicere conditio jurisjurandi ei, qui detulit. l. 34. §. 7.

(d) Deorum injuriae diis curae sunt. Cicero.

(e) Ratio, quia nihil rite fieri potest nec transigi de testamento, nisi inspectis verbis testamenti. l. 6 *de transactionibus.*

(*f*) Manifestae turpitudinis, et confessionis est, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre. l. 38.

Delata conditione jurisjurandi, reus solvere, vel jurare, nisi referat jusjurandum, necesse habet. l. 9 C. *de reb. cred. et jurej.* (10).

18. Non semper autem consonans est, per omnia referri jusjurandum, quale defertur: forsitan ex diversitate rerum, vel personarum, quibusdam emergentibus, quae varietatem inducunt. Ideoque, si quid tale inciderit, officio judicis conceptio hujuscemodi jurisjurandi (*a*) terminetur. l. 34. §. 8.

In bonae fidei contractibus, necnon etiam in caeteris causis, inopia probationum (*b*), per judicem jurejurando causa cognita, res decidi oportet. l. 3 C. *de reb. cred. et jurej.*

19. Cum res in jusjurandum demissa sit, judex jurantem absolvit, referentem audiet: et si actor juret, condemnet rerum: nolentem jurare reum, si solvat, absolvit; non solventem condemnat: ex relatione, non jurante actore, absolvit reum. l. 34. §. ult.

TITULUS III. *De in litem jurando.*

(f) Toto titulo *quod quisque juris.* l. 25 *de pecunia constituta.*

(10) » Colui al quale vien deferito il giorameuto, qualora rifiuti di darlo, o non consenta di riferirlo al suo avversario; o l' avversario al quale è stato riferito, se ricusi di darlo, dee succumbere nella sua domanda o nella sua eccezione. » *Leggi civ. art.* 1315.

(a) D. Pius jurejurando quod propria superstitione juratum est, standum rescripsit. l. 5 §. 1. Sed si quis illicitum jusjurandum detulerit, scilicet improbatae publicae religionis, videamus an pro eo habeatur atque si juratum non esset. Quod magis existimo dicendum. §. 3.

(b) Non alii admissi quam qui à senatu probati, Tertullian. Unde novos deos et advenas non admittit suis in legibus Cicero. Gotofr. In Germania Judaei jurant tacto decalogo. Minsing.

TITULUS IV.

De condictione causa data, causa non secuta.

SUMMARIA.

1. *Dati ob causam non inhonestam non est repetitio.*

1. Si ob rem non inhonestam data sit, pecunia, ut filius emanciparetur, vel servus manumitteretur, vel a lite discedatur, causa secuta, repetitio cessat (c). l. 1.

TITULUS V.

De condictione ob turpem vel injustam causam.

SUMMARIA.

1. *Variae figurae turpiter dati, et accepti.*
2. *Repetitur datum ob causam, ea non secuta.*
3. *Repetitur a turpiter accipiente, etiam causa secuta.*
4. *Non repetit a turpiter accipiente qui turpiter dedit.*
5. *Condicitur quod quis habet ex injusta causa.*
6. *Non restituit qui turpiter accepit a turpiter dante.*

1. Omne quod datur, aut ob rem datur, aut ob causam. Et ob rem, aut turpem, aut honestam: turpem

---

(c) V. quae dixi ad titulum *de condictione sine causa*, in fine hic. V. l. 5 ult. hic. l. penult. et ult. C. *de condictione ob causam.* l. ult. ait: Advocationis causa datam pecuniam, si per eos qui acceperant, quominus susceptam fidem impleant, stetisse probetur, restituendam esse convenit. * *Lex* 1 §. 13 D. *de extraordinariis cognitionibus*, *ait*: Divus Severus ab haeredibus advocati, mortuo eo, prohibuit mercedem repeti, quia per ipsum non steterat quominus causam ageret advocatus.

autem, aut dantis sit turpitudo, non accipientis; aut ut accipientis duntaxat, non etiam dantis; aut utrinsque. l. 1.

2. Ob rem igitur honestam datum ita repeti potest, si res propter quam datum est, secuta non est. l. 1 §. 1.

3. Quod si turpis causa accipientis fuerit, etiam si res secuta sit, repeti potest. l. 1. §. 2.

4. (d) Ubi autem et dantis et accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus: veluti si pecunia detur ut male judicetur. l. 3 v. l. 8 in f.

5. Perpetuo Sabinus probavit veterum opinionem existimantium, id quod ex injusta causa apud aliquem sit, posse condici (e). In qua sententia etiam Celsus est. l. 6.

6. Si et dantis, et accipientis turpis causa sit, possessorem potiorem esse. Et ideo repetitionem cessare, tametsi ex stipulatione solutum est. l. 8 in fin.

(d) Sed quod meretrici datur repeti non potest, sed nova ratione, non ea quod utriusque turpitudo versatur, sed solius dantis. Illam enim turpiter facere quod sit meretrix, non turpiter accipere cum sit meretrix. l. 4 §. 3 *eod.*

(e) Utrum et quomodo quis teneatur furem vel alium reum indicare sive quaerentibus sive non. V. Gotofr. ad l. 4, hic et l. 43 §. 9 *de furtis.*

TITULUS VI.

De condictione indebiti.

SUMMARIA.

1. *Qui sciens, indebitum solverit, non repetet.*
2. *Solutum ex testamento repetitur, si ruat causa testamenti.*
3. *Prolatis codicillis solutum ex testamento repetitur.*
4. *Idem si ex alia causa ruat testamentum, veluti nato posthumo praeterito.*
5. *Ante diem solvens debitor non repetit.*
6. *Ex alieno detrimento non ferendum lucrum.*
7. *Quae indebito soluto accedunt, repetuntur et fructus: non usurae.*
8. *Repetitur solutum ante conditionem, nisi ea omnimodo extatura sit.*
9. *Quod in odium creditoris indebitum est, si solutum sit, non repetitur: stat enim naturalis obligatio.*
10. *Creditori non debitor errore solvens, repetet.*
11. *Transactio post sententiam partibus ignotam nulla est, si appellationi non sit locus.*
12. *Quod debetur indebitum sit per exceptionem perpetuam.*
13. *Qui rem indebitam sibi solutam distraxit bona fide, nonnisi pretium reddit.*
14. *Si hoc aut illud debens utrumque solvit, et vel alterum petierit, nihil repetet.*
15. *Solutum non repetitur, licet deficiat causa ex qua solutum est, si supersit pietatis causa.*
16. *Qui suum recepit, licet a non debitore, non restituit.*

17. *Quod petere non possumus, nec repetere, licet retentionem haberemus.*
18. *In summa repetitur quod alterius apud alterum sine causa sit.*
19. *Ex transactione soluti non est repetitio.*
20. *In dubio solvens indebitum repetet, nisi transactum sit.*
21. *Plures indebiti figurae.*
22. *Non amittit debitor jus eligendi, si utrumque ignorans solverit.*

1. Si quis indebitum ignorans solvit, per hanc actionem condicere potest. Sed si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio (*a*). l. 1. (1)

2. Si quid ex testamento solutum sit, quod postea falsum, vel inofficiosum, vel irritum, vel ruptum apparuerit, repetetur. l. 2. §. 1.

De legatis ex testamento inofficioso. v. s. *de inof. test.* n. 22. ex Nov. 115.

3. Si post multum temporis codicilli diu celati, prolati (*sunt*), qui ademptionem contineant legatorum solutorum, vel diminutionem, per hoc, quia aliis quoque legata relicta sunt, *solutum ex testamento repetitur.* l. 2. §. 1.

4. Idem est, et si, solutis legatis, nova et inopinata causa haereditatem abstulit: veluti nato posthumo, quem haeres in utero fuisse ignorabat; vel etiam ab hostibus reverso filio quem pater obiisse falso praesum-

---

(a) Praesumitur enim donasse, licet donatio regulariter non praesumatur.

(1) » Ciò che fu pagato senza esser dovuto, è soggetto a ripetizione » *Leggi civ. art.* 1188.

pserat. Nam utiles actiones posthumo, vel filio, qui haereditatem evicerat, dari oportere in eos, qui legatum perceperunt (*b*), imperator Titus Antoninus rescripsit. l. 3.

5. (*c*) In diem debitor, adeo debitor est, ut ante diem solutum repetere non possit. l. 10.

Nam si, *cum moriar*, dare promisero, et antea solvam; repetere me non posse, Celsus ait: quae sententia vera est. l. 17.

6. Hoc natura aequum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem. l. 14.

7. Indebiti soluti condictio naturalis est. Et ideo etiam quod rei solutae accessit, venit in condictionem: ut puta partus, qui ex ancilla natus sit; vel quod alluvione accessit; imo et fructus (*d*), quos is, cui solutum est, bona fide percepit, in condictionem venient. l. 15.

Ei, qui indebitum repetit, et fructus et partus restitui debent, deducta impensa. l. 65. §. 5.

Si quid probare potueris patrem tuum, cui haeres extitisti, amplius debito creditori suo persolvisse, repetere potes. Usuras autem ejus summae praestari tibi frustra desideras (*e*). Actione enim condictionis ea sola quantitas repetitur, quae indebita soluta est. l. 1. C. *eod.*

8. Sub conditione debitum per errorem solutum, pendente quidem conditione repetitur. Conditione autem existente, repeti non potest. Quod autem sub in-

---

(b) Ergo haeres institutus qui legata solvit ex haereditate potest ea imputare haeredi legitimo, et sufficit si ei actiones suas cedat. Arg. l. 51 *de peculio*. V. l. 19 §. 1.

(c) Contra si repetitione debiti fraudentur creditores, beneficium illud potest repeti. l. 10 §. 12. *quae in fraudem creditorum facta sunt.*

(d) Casus in quo possessor bonae fidei non lucratur fructus.

(e) Ratio, quia nummus nummum non parit.

certo die debetur, die existente non repetitur. l. 16. l. 10.

Quod si ea conditione debetur, quae omni modo extatura est, solutum repeti non potest: licet sub alia conditione, quae an impleatur incertum est, si ante solvatur, repeti possit. l. 18.

9. Si poenae causa ejus cui debetur, debitor liberatus est, naturalis obligatio manet: et ideo solutum repeti non potest. l. 19. V. l. 26. §. 3. et l. 40. v. 1. *de senat. Maced.* l. 9. §. 4. (2)

10. Quamvis debitum sibi quis recipiat, tamen si is qui dat, non debitum dat, repetitio competit. Veluti si is, qui haeredem se, vel bonorum possessorem falso existimans, creditori heraeditario solverit: hic enim neque verus haeres liberatus erit (*f*); et is quod dedit, repetere poterit. Quamvis enim debitum sibi quis recipiat; tamen si is qui dat, non debitum dat (*g*), repetitio competit, l. 19. §. 1. (3)

11. Si post rem judicatam quis transegit et solverit, repetere poterit, idcirco quia placuit transactionem nullius esse momenti: hoc enim imperator Antoninus cum divo patre suo rescripsit. Retineri tamen, atque compensari in causam judicati, quod ob talem transactionem solutum est, potest. Quid ergo si appellatum sit, vel hoc ipsum incertum sit an judicatum sit, vel an sententia valeat? magis est, ut transactio vires ha-

(2) » La ripetizione non si ammette riguardo alle obbligazioni naturali che si sieno volontariamente adempiute » *Leggi civ. art.* 1188, §. 2.

(f) V. l. 13.

(g) V. contra l. 44. l. 65 §. ult.

(3) » Ciò che fu pagato senza esser dovuto, è soggetto a ripetizione » *Leggi civ. art.* 1188.

beat. Tunc enim rescriptis locum esse credendum est, cum de sententia indubitata, quae nullo remedio adtemperari (*h*) potest, transigitur. l. 23. §. 1. V. l. 7. ff. *de trans.* l. 32. C. *eod.* (*i*).

12. Indebitum autem solutum accepimus, non solum si omnino non debeatur, sed et si per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat (*k*). Quare hoc quoque repeti poterit; nisi sciens se tutum exceptione, solvit. l. 26. §. 3.

13. Fundum indebitum dedi, et fructus condico; vel hominem indebitum, et hunc sine fraude modico distraxisti: nempe hoc solum refundere debes, quod ex pretio habes. l. 26. §. 12.

14. Cum is qui Pamphilum aut Stichum debet, simul utrumque solverit, si posteaquam utrumque solverit; aut uterque, aut alter ex his desiit in rerum natura esse, nihil repetet: id enim remanebit in soluto, quod superest. l. 32.

15. Mulier (*l*), si in ea opinione sit, ut credat se pro dote (*m*) obligatam, quidquid dotis nomine dederit, non repetit: sublata enim falsa opinione (*n*), relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non potest. l. 32. §. 2. (*o*).

16. Repetitio nulla est ab eo, qui suum recipit (*p*):

(h) Attentari.

(i) L. 65 §. 1 hoc titulo.

(k) V. l. hic. l. 26 in principio, et l. 3 C. *de usuris.*

(l) Legendum est mater.

(m) Scilicet filiae.

(n) V. hic. l. 33 principio. l. 60 *de leg. Jul.* etc. Molin. §. 1. g. 5 n. 105 *des fiefs.*

(o) V. l. 39 hic. l. 39 §. 5 *de leg.* 1. Le Pretre, *cent.* 1. chap. 16. Poenae non solent repeti cum depensae sunt. l. 42.

(p) V. contra l. 19 §. 1. Ratio legis 44 est quia quis sciens solverat. V. Cujac. 8 obs. 9.

tametsi ab alio, quam vero debitore solutum est. l. 14. v. l. 65 §. ult. (4)

17. Ex quibus causis retentionem quidem habemus, petitionem autem non habemus, ea, si solverimus, repetere non possumus. l. 51.

18. Ex his omnibus causis, quae jure non valuerunt (q), vel non habuerunt effectum, secuta per errorem solutione, condictioni locus erit. l. 54.

Haec condictio ex bono et aequo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit. l. 66. (5)

19. Quod transactionis nomine datur (r), licet res nulla media fuerit, non repetitur: nam si lis fuit, hoc ipsum (s), quod a lite disceditur, causa videtur esse. l. 65. §. 1.

20. Pro dubietate eorum, qui mente titubante indebitam solverint pecuniam, certamen legum latoribus incidit, id ne quod ancipiti animo persolverint possint repetere, an non. Quod nos decidentes, sancimus, omnibus qui incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quamdam speciem persolverint, repetitionem non denegari; et praesumptionem transactionis non contra eos induci, nisi hoc specialiter ab altera parte approbetur. l. ult. C. *de condict. indeb.*

---

(4) » Le obbligazioni possono essere estinte col pagamento fatto da un terzo che non abbia interesse, se questo terzo agisca in nome e per la liberazione del debitore » *Leggi civ. art.* 1189, §. 2.

(q) *Lex* 65 § *ultima habet.* Indebitum est non tantum quod omnino non debetur, sed quod alii debetur, aut quod alius debet. V. l. 19 §. 1 l. 44.

(5) » Il pagamento fatto in buona fede a chi si trova nel possesso del credito, è valido, ancorchè il possessore ne soffra poi l'evizione » *Leggi civ. art.* 1193.

(r) V. *De transactionibus.* n. 16.

(s) Summa ratio est quae pro transactione facit.

20. Indebitum est non tantum, quod omnino non debetur, sed et quod alii debetur, si alii solvatur: aut si, id quod alius debebat, alius quasi ipse debeat, solvat. l. 65. §. ult. V. l. 44. V. l. 19. §. 1.

21. (*) Qui alterutrum debens, cum facultate praestandi quod voluerit, utrumque errore solvit, quod voluerit repetet, manente electione recipiendi (*t*), quae fuit dandi. l. penult. Cod. *eod.* vid. l. 26. §. 13. in f. h. t.

TITULUS VII.

De condictione sine causa.

SUMMARIA.

1. *Nulla obligatio, sine causa.*
2. *Idem est nullam fuisse causam, aut non esse secutam.*
3. *Avunculo nuptura quam dederat dotem repetit, non ut turpiter datum, sed ut sine causa.*

1. Est et haec species condictionis, si quis sine causa promiserit, vel (si) solverit quis indebitum. Qui autem promisit sine causa, condicere quantitatem non potest, quam non dedit, sed ipsam obligationem. l. 1. (*1*)

(*) *Lex* 58 *habet*: Servo manumisso fideicommissum ita reliquit, *si ad libertatem ex testemento pervenerit.* Post acceptam sine judice pecuniam, ingenuus pronuntiatus est; indebiti fideicommissi repetitio erit. Gotofr. ait: Conditio quae possibilis visa est testatori, impossibilis tamen erat, pro possibili habetur et vitiat dispositionem: secus si putaret testator impossibilem, cum impossibilis esset. Hoc enim casu vitiatur conditio legati non legatum. V. l. 3. *de conditionibus et demonstrationibus.* §. antep. Inst. *de haeredibus instituendis.* l. 84 §. Si ita *de leg.* 10.

(t) Contra electio est debentis.

(1) » L'obbligazione senza causa non può avere alcun effetto » *Leggi civ. art.* 1085.

2. Nihil refert, utrum ne ab initio sine causa quid datum sit, an causa, propter quam datum sit, secuta non sit. l. 4.

3. Avunculo nuptura, pecuniam in dotem dedit, neque nupsit. An eamdem repetere possit, quaesitum est? Dixi, cum ob turpem causam dantis et accipientis pecunia numeretur, cessare condictionem; et in delicto pari potiorem esse possessorem; quam rationem fortassis aliquem secutum, respondere, non habituram mulierem condictionem. Sed recte defendi, non tam turpem causam in proposito, quam nullam fuisse (a): cum pecunia quae daretur, in dotem converti nequiret. Non enim stupri, sed matrimonii gratia datam esse. l. ult. (2)

(a) V. l. 5 ff. *de condictione causa data.* * Lex. 1 C. *de condictione ob causam datam*, habet: Pecuniam a te datam, si hac causa pro qua data est, non culpa accipientis, sed fortuito casu non est secuta, minime repeti posse certum est. V. l. 8 eod. *Lex* 11 *habet*: Advocationis causa datam pecuniam si per eos qui acceperant quominus susceptam fidem impleant stetisse probetur, restituendam esse convenit. V. l. 38 §. 1. *locati conducti.* V. l. 1. §. 10 n. 13. *de extraordinariis cognitionibus* et ibi Gotofr. Dicitur in fine §. 12. Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis ad centum aureos. Gotofr. ait: Lege Cincia quae numeralis dicebatur, vetitum esse ne quis pro oranda causa pecuniam sumeret. Ordinatione vero Curiae Parisiensis advocati pro singulis causis supra decem libras Gallicas accipere prohibentur. Menag. *de Amoenitate juris.* c. 39.

(2) » L' obbligazione fondata sopra una causa illecita, non può avere alcun effetto » *Leggi civ. art.* 1085.

TITULUS I.

De condictione furtiva.

SUMMARIA.

1. *Res furtiva aestimatur, quanti unquam plurimi fuerit.*

1. Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis aestimatio fiat quaeritur. Placet tamen, id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit. l. 8. §. 1.

TITULUS II. *De condictione ex legge.*

TITULUS III.

De condictione triticiaria.

SUMMARIA.

1. *Quo temporis, quo loci fiat rei petitae aestimatio.*

1. (a) Si merx aliqua, quae certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum, oleum, frumentum; tanti litem aestimandam Cassius ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit. Si de die nihil convenit, quanti tunc, cum judicium acciperetur. Idemque juris in loco esse: ut primum aestimatio sumatur ejus loci, quo dari debuit: si de loco nihil convenit, is locus spectetur, quo peteretur. Quod et de caeteris rebus juris est. l. ult. v. s. *de reb. cred.* l. 22. (1).

(a) V. l. 3 et l. 22. *de rebus creditis.*
(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1093, 1457.

TITULUS IV.

De eo, quod certo loco dari oportet.

SUMMARIA.

1. *Ultra usuras estimatur quod interest ibi esse solutam pecuniam trajectitiam, ubi debuit.*
2. *Varia rerum pretia, variae usurae pro variis locis.*
3. *Æquitatis ratio habenda in actione de eo quod certo loco.*
4. *Ibi solvendum ubi convenit.*

1.(*b*) Nunc de officio judicis hujus actionis loquendum est: utrum quantitati contractus debeat servire, an vel excedere vel minuere quantitatem debeat: ut si interfuisset rei, Ephesi potius solvere, quam eo loci, quo conveniebatur (*c*), ratio ejus haberetur? Julianus Labeonis opinionem secutus, etiam actoris habuit rationem: cujus interdum potuit interesse, Ephesi recipere. Itaque utilitas quoque actoris veniet. Quid enim, si trajectitiam pecuniam dederit (*d*), Ephesi recepturus, ubi sub poena debebat pecuniam, vel sub pignoribus? et distracta pignora sunt, vel poena commissa mora tua? vel fisco aliquid debebatur, et res stipulatoris vilissimo distracta est? in hanc arbitrariam, quod interfuit, veniet. Et quidem ultra legitimum modum usurarum. Quid si merces solebat comparare? et an et

(b) V. hic Zoezium. V. l. 1 h. et l. 2 §. 3. *de obligationibus et actionibus*. Contraxisse in eo loco unusquisque intelligitur in quo ut solveret se obligavit.
(c) V. l. 15. *de compensationibus*.
(d) V. l. 1 §. 3.

lucri ratio habeatur, non solius damni (e); puto et lucri habendam rationem. l. 2. §. ult.

2. Ideo in arbitrium judicis refertur haec actio, quia scimus quam varia sint pretia rerum per singulas civitates, regionesque: maxime vini, olei, frumenti, pecuniarum quoque, licet videatur una et eadem potestas ubique esse, tamen aliis locis facilius, et levibus usuris inveniuntur, aliis difficilius et gravibus usuris. l. 3.

3. In summa, aequitatem ante oculos habere debet judex, qui huic actioni addictus est. l. 4. in f.

4. Is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promisit, solvere invito stipulatore potest. l. 9. (1)

TITULUS V.

De pecunia constituta.

SUMMARIA.

1. *Modicum tempus conceditur ei qui constituit, ut solvat.*

2. *Modestius referre jusjurandum quam jurare.*

1. Si sine die constituas, potest quidem dici te non teneri, licet verba edicti late pateant (a). Alioquin et confestim agi tecum poterit, si statim, ut constituisti,

(e) Damna et interesse in eo consistunt quantum mihi abest, quantumque lucrari potui. l. 13. *ratam rem haberi.*

(1) » Il pagamento debbe effettuarsi nel luogo destinato dalla convenzione » *Leggi civ.* 1200.

(a) Neque enim magnum damnum est in mora modici temporis. l. 21 *de judiciis.* l. 23 in fine: *de obligationibus et actionibus.*

non solvas. Sed modicum tempus statuendum est, non minus decem dierum (*), ut exactio celebretur. l. 21. §. 1. (1).

2. Nemo dubitat modestius facere qui referat (jusjurandum), quam ut ipse juret. l. 25. §. 1.

TITULUS VI.

Commodati vel contra.

SUMMARIA.

1. *Commodantur etiam res soli.*
2. *Non videtur reddi res quae deterior redditur.*
3. *Commodantur et quae usu consummuntur, forte ad pompam, aut dicis causa.*
4. *Si commodatum non reddatur loco et tempore quo convenit, tenebitur commodatarius.*
5. *Commodatarius praestat dolum, culpam, diligentiam.*
6. *Si res commodetur aestimata, periculo erit commodatarii.*
7. *Non tenetur de casu, si culpa absit: culpa erit, si rem suam, rei commodatae periculo, salvam fecit.*
8. *De casu tenetur, qui abutendo dat casui locum. Imo furti tenetur qui abutitur.*

(*) *Lex 14 de reg. jur. habet*: In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur praesenti die debetur. *Lex 105 de solutionibus et liberationibus, habet.* Quod dicimus haeredem debere statim solvere, cum aliquo scilicet temperamento temporis intelligendum est, nec enim cum sacco adire debet. Idem in haerede ad legata solvenda. l. 71 §. 2. *de legatis* 1. Idem in locatione. l. 24 §. 4 *locati conducti*.

(1) Concorda. *Leggi civ.* 1197.

9. *Qui domini causa commodatum accipit, tantum de dolo tenetur.*
10. *Duo ejusdem rei commodatarii tenentur in solidum.*
11. *Possidet qui commodavit.*
12. *Ejus est lucrum, cujus est periculum.*
13. *Tacita obligatio extra id quod agitur.*
14. *Commodari potest res aliena a possessore.*
15. *Qui rem commodavit auferre non potest, nisi post usum.*
16. *Qui vitiosa tigna sciens vel vasa commodavit, tenetur de damno secuto.*
17. *Maximam diligentiam debet commodatarius.*
18. *Qui re commodata aliter utens quam debuit, dat casui locum, de ea tenetur.*
19. *In commodata utriusque gratia, culpa praestanda.*
20. *Interdum debet impensas qui commodavit.*
21. *Non tenetur commodatarius de damno injuria dato.*
22. *Si res commodata suo facto in ipso usu pereat, non tenetur commodatarius.*
23. *De casu tenebitur commodatarius, si propter periculum ita convenerit.*

1. Inter commodatum, et utendum datum Labeo quidem ait tantum interesse, quantum inter genus et speciem: commodari enim rem mobilem, non etiam soli; utendam dari etiam soli. Sed, ut apparet, proprie commodata res dicitur, et quae soli est. Idque et Cassius existimat. Vivianus amplius, etiam habitationem commodari posse ait. l. 1. §. 1.

2. Si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita, non videbitur reddita (quae deterior facta redditur,) nisi, quod interest, praestetur: pro-

prie enim dicitur res non reddita, quae deterior redditur (*a*). l. 3. §. 1. (1)

3. Non potest commodari id quod usu consumitur; nisi forte ad pompam vel ostentationem quis accipiat. l. 3. §. ult.

Saepe etiam ad hoc commodantur pecuniae, ut dicis gratia numerationis loco intercedant. l. 4.

4. Si, ut certo loco vel tempore reddatur commodatum, convenit: officio judicis inest, ut rationem loci vel temporis habeat. l. 5.

5. Nunc videndum est, quid veniat in commodati actione: utrum dolus, an et culpa, an vero et omne periculum? Et quidem in contractibus interdum dolum solum (*b*), interdum et culpam praestamus. Dolum in deposito: nam, quia nulla utilitas ejus versatur, apud quem deponitur, merito dolus praestatur solus. Nisi forte et merces accessit: tunc enim (ut est et constitutum) etiam culpa exhibetur. Aut si hoc ab initio convenit, ut et culpam et periculum praestet is, penes quem deponitur. Sed ubi utriusque utilitas vertitur, (ut) in empto, (ut) in locato, (ut) in dote, (ut) in pignore, (ut) in societate, et dolus et culpa praestatur. Commodatum autem plerumque solam utilitatem continet ejus cui commodatur. Et ideo verior et Quinti Mucii sententia, existimantis et culpam praestandam, et diligentiam. l. 5. §. 2.

Custodiam plane commodatae rei etiam diligentem debet praestare. l. 5. §. 5.

(a) L. 14. *de verborum significatione*. l. 11. §. 16 *depositi*.

(1) » Se la cosa si deteriori a cagione unicamente dell' uso per cui fu data in prestito, e senza colpa del comodatario, non è questi tenuto pel deterioramento » *Leggi civ. art.* 1756,

(b) L. 13 §. ult. *de pigneratitia actione vel contra*.

6. Et si forte res aestimata data sit, omne periculum praestandum ab eo qui aestimationem se praestaturum recipit. l. 5. §. 3. (2)

7. Quod vero senectute contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum est, aut quid simile accidit; dicendum est, nihil eorum esse imputandum ei, qui commodatum accepit: nisi aliqua culpa interveniat. Proinde et si incendio, vel ruina aliquid contigit, vel aliquod damnum fatale, non tenebitur: nisi forte, cum possit res commodatas salvas facere, suas praetulit. l. 5. §. 4. (3)

8. Sed interdum et mortis damnum ad eum qui commodatum rogavit, pertinet (c). Nam si tibi equum commodavero ut ad villam adduceres, tu ad bellum duxeris; commodati teneberis. l. 5. §. 7. v. 1. l. 18.

Quinimo et qui alias re commodata utitur, non solum commodati, verum furti quoque tenetur. d. l. §. 8. (4).

9. Interdum plane dolum solum in re commodata, qui rogavit, praestabit. Ut puta si quis ita convenit: vel si sua dumtaxat causa commodavit, sponsae forte suae vel uxori, quo honestius culta ad se deduceretur. l. 5. §. 10.

---

(2) » Se la cosa sia stata stimata nel fare il prestito, la perdita, ancorchè succeda per caso fortuito, è a carico del commodatario » *Leggi civ. art.* 1755.

(3) » Se la cosa prestata perisca per un caso fortuito, dal quale il comodatario l'avrebbe potuta sottrarre surrogando la propria, o se non potendo salvare se non una delle due, abbia preferito la propria, egli è tenuto per la perdita dell' altra » *Leggi civ. art.* 1754.

(c) L. 1 §. 3 et 4. *de obligationibus.*

(4) » Se il comodatario impieghi la cosa in un uso diverso, sarà risponsabile della perdita accaduta anche per caso fortuito » *Leggi civ. art.* 1753.

10. In vehiculo commodato, vel locato (*duobus*,) pro parte quidem effectu me usum habere, quia non omnia loca vehiculi teneam (*d*) : sed esse verius, ait (*Celsus filius*) et dolum, et culpam, et diligentiam, et custodiam in totum me praestare debere. Quare duo quodammodo rei habebuntur. l. 5. §. ult. in f. (*e*).(5)

11. Rei commodatae et possessionem, et proprietatem retinemus. l. 8. (6)

12. Si quem quaestum fecit is, qui experiundum quid accepit : veluti si jumenta fuerint, easque locata sint, idipsum praestabit, qui experiundum dedit: neque enim ante eam quaestui cuique esse oportet, prius quam periculo ejus fit. l. 13. §. 1.

13. Plerumque id accidit, ut extra id quod agere tur, tacita obligatio nascatur, veluti cum per errorem indebitum solvendi causa datur. l. 13. in fin.

14. Commodare possumus etiam alienam rem quam possidemus, tametsi scientes alienam possidemus. l. 15.

15. Sicut voluntatis et officii magis, quam necessitatis est commodare, ita modum commodati, finemque praescribere, ejus est, qui beneficium tribuit. Cum autem id fecit, (id est postquam commodavit) tunc finem praescribere, et retro agere, atque intempestive (*f*) usum commodatae rei auferre, non officium

---

(d) Scilicet si commodans singulorum paenam in solidum intuitus est. Arg. l. 47 *locati conducti.*

(e) L. 60 §. 2. *mandati vel contra.*

(5) » Se più persone abbiano unitamente preso in prestito la stessa cosa, ne sono solidalmente tenute verso il comodante » *Leggi civ. art.* 1759.

(6) » Il comodante ritiene la proprietà della cosa data in prestanza » *Leggi civ. art.* 1749.

(f) Ne quod benigne quis contulerit fraudis consilio revocet : l. 62 in fine. *de aedilitio edicto.*

tantum impedit, sed et suscepta obligatione inter dandum accipiendumque: geritur enim negotium invicem. Et ideo invicem propositae sunt actiones, ut appareat, quod principio beneficii, ac nudae voluntatis fuerat, converti in mutuas praestationes, actionesque civiles (*g*): ut accidit in eo, qui absentis negotia gerere inchoavit. Neque (enim) impune peritura deseret: suscepisset enim fortassis alius, si is non coepisset. Voluntatis enim est, suscipere mandatum; necessitatis consummare. l. 17. §. 3. (7)

16. Idemque est si ad fulciendam insulam tigna commodasti, deinde protraxisti: aut etiam sciens vitiosa, commodaveris. Adjuvari quippe nos, non decipi, beneficio oportet. Ex quibus causis etiam contrarium judicium utile esse dicendum est. l. 17. §. 3. in fine. V. s. n. 15. (8)

Item qui sciens vasa vitiosa commodavit, si ibi infusum vinum vel oleum corruptum effusumve est, condemnandus eo nomine est. l. 18. §. 3.

17. In rebus commodatis talis diligentia praestanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet (*h*)(9): ita ut tantum eos casus non praestet, quibus resisti non possit: veluti mores servorum, quae

---

(g) L. 20 C. *de negotiis gestis.*

(7) » Il comodante non può ripigliare la cosa data in prestito, se non dopo che la cosa ha servito all' uso per cui fù prestata » *Leggi civ. art.* 1715.

(8) » Quando la cosa comodata abbia difetti tali da recar pregiudizio a colui che se ne serve, il comodante è tenuto per lo danno » *Leggi civ. art.* 1763.

(h) L. 5. §. 4.

(9) » Il comodatario è tenuto ad invigilare da buon padre di famiglia alla custodia e conservazione della cosa prestata. » *Leggi civ. art.* 1752.

sine dolo et culpa ejus accidunt; latronum, hostiumque incursus; piratarum insidias; naufragium, incendium (i), fugas servorum, qui custodiri non solent. l. 18.

18. Si cui ideo argentum commodaverim, quod is amicos ad coenam invitaturum se diceret, et id peregre secum portaverit (k), sine ulla dubitatione, etiam piratarum, et latronum, et naufragii causam praestare debet. l. 18. V. s. l. 5. §. 7. (l). (10)

19. At si utriusque (*gratia commodata sit res*), veluti si communem amicum ad caenam invitaverimus, tuque ejus rei curam suscepisses, et ego tibi argentum commodaverim; scriptum quidem apud quosdam invenio, quasi dolum tantum praestare debeas. Sed videndum est, ne et culpa praestanda sit: ut ita culpae fiat aestimatio, sicut in rebus pignori datis, et dotalibus aestimari solet. l. 18.

20. Possunt justae causae intervenire ex quibus cum eo, qui commodasset, agi deberet: veluti de impensis in valetudinem servi factis (m), quaeve post fugam requirendi, reducendique ejus causa factae essent. Nam cibariorum impensae, naturali scilicet ratione, ad eum pertinent, qui utendum accepisset. Sed et id quod de impensis valetudinis aut fugae diximus, ad majores impensas pertinere debet: modica enim impendia verius est, ut, sicuti cibariorum, ad eundem pertineant. l. 18. §. 2. (11)

(i) Incendium hic ponitur inter casus fortuitos.

(k) Qui male agit tenetur de casibus fortuitis, et imputatur quidquid contra spem accidit. I *Panormit.*

(l) V. l. 1. §. 4. *de obligationibus et actionibus.*

(10) „ Se il comodatario impieghi la cosa per un tempo più lungo di quello che dovrebbe, sarà risponsabile della perdita accaduta anche per caso fortuito „ *Leggi civ. art.* 1753.

(m) Scilicet majores non minores.

(11) „ Se durante il prestito, sia stato obbligato il comodata-

21. Ad eos, qui servandum aliquid conducunt, aut tendum accipiunt, damnum injuria ab alio datum non pertinere, procul dubio est. Qua enim cura aut diligentia consequi possumus, ne aliquis damnum nobis injuria det? l. 19. l. 40. et 41. *locati conduoti.* l. 25. §. 4. ff. *locat.*

22. Si commodavero tibi equum, quo utereris usque ad certum locum: si nulla culpa tua interveniente, in ipso itinere deterior equus factus sit, non teneris commodati. Nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter commodavi, qui eum laborem sustinere non potuit. l. ult. (12)

23. Ea quidem quae vi majore auferuntur, detrimento eorum quibus res commodantur, imputari non solent. Sed cum is qui a te commodari sibi bovem postulabat, hostilis incursionis contemplatione periculum amissionis, ac formam futuri damni in se suscepisse proponatur: praeses provinciae, si probaveris eum indemnitatem tibi promisisse, placitum conventionis implere cum compellat. l. 1. C. *de commod.* (13)

---

rio, per conservare la cosa, a qualche spesa straordinaria, necessaria ed urgente, in modo da non poterne prevenire il comodante, questi sarà tenuto a farne il rimborso ,. *Leggi civ. art.* 1762.

(12) Concorda. *Leggi civ. art.* 1756.

(13) Concorda. *Leggi civ. art.* 1755.

TITULUS VII.

De pignoratitia actione, vel contra.

SUMMARIA.

1. *Pignus sine traditione contrahi potest.*
2. *Quando et quomodo liceat vendere pignus.*
3. *Plus debito soluti ex causa pignoris usuras praestat creditor, nisi deponat.*
4. *Impensas in pignus repetit creditor.*
5. *Haeres portionem solvens, non solvit hypothecam.*
6. *Pignus stat pro iis quae debito accedunt.*
7. *Quid proprie pignus? quid hypotheca?*
8. *Novatio pignus peremit, nisi repetatur.*
9. *Soluta parte, totum pignus stat pro residua.*
10. *Invecta ab eo qui partem conduxit, pro ea parte teneatur, non pro tota mercede.*
11. *Creditor in pignore dolum, culpam, custodiam praestat, non casum.*
12. *Ususfructus accedens fundo pignori dato, pignori est.*
13. *Domum area, arcam domus sequitur in causa pignoris.*
14. *Arbitrio judicis aestimantur impensae in pignus.*
15. *Pignus a magistratu.*
16. *Solutum prius in usuras imputatur, deinde in sortem.*
17. *Qui aliud pro alio pignori dat, tenetur stellionatus.*
18. *Item qui rem alienam.*
19. *Non est stellionatus si par utrique debito fuerit pignus.*
20. *Non vendidit debitor pignus cum testamento creditoris subscripsit, dicentis se emisse.*
21. *Convalescit pignus rei alienae, si ejus dominus fiat debitor.*

22. *Creditor in debitum computat fructus quos ex pignore percipere debet.*

23. *Tenetur creditor, si deteriorem fecerit causam pignoris.*

24. *Pignus nec creditori, nec ejus successori longo tempore fertur.*

25. *Soluto debito, solvitur pignus.*

1. Pignus contrahitur non sola traditione, sed etiam nuda conventione, et si non traditum est. l. 1.

2. Si non convenerit de distrahendo pignore, hoc tamen jure utimur, ut liceat distrahere: si modo non convenit, ne liceat. Ubi vero convenit, ne distraheretur, creditor si distraxerit, furti obligatur: nisi ei ter fuerit denuntiatum, ut solvat et cessaverit. l. 4. (1)

3. (a) Si creditor pluris fundum pignoratum vendiderit, si id foeneret, usuram ejus pecuniae praestare debet ei, qui dederit pignus. Sed et si ipse usus sit ea pecunia, usuram praestari oportet. Quod si eam depositam habuerit, usuras non debet. l. 6. §. 1.

4. Si necessarias impensas fecerim in servum, aut in fundum, quem pignoris causa acceperim, non tantum retentionem, sed etiam contrariam pigneratitiam actionem habeo. Finge enim medicis, cum aegrotaret servus, dedisse me pecuniam, et eum decessisse: item

(1) » Il creditore non può in mancanza del pagamento disporre del pegno: gli è però salvo il diritto di far ordinare giudizialmente che il pegno gli rimanga in luogo di pagamento, e fino alla concorrenza del debito, a norma della stima fatta per mezzo de' periti; ovvero che sia venduto all' incanto »

» È nullo qualunque patto il quale autorizzi il creditore ad appropriarsi il pegno, o a disporne senza le formalità sopra prescritte. « *Leggi civ. art.* 1948.

(a) V. l. 24. *depositi vel contra.* l. 19. §. 4.

insulam fulsisse, vel refecisse; et postea deustam esse; nec habere, quod possem retinere. l. 8.

5. Si unus ex haeredibus portionem suam solverit, tamen tota res pignori data venire poterit: quemadmodum si ipse debitor portionem solvisset. l. 8. §. 2. l. 11. §. 4.

6. Cum pignus ex pactione venire potest (b); non solum ob sortem non solutam venire poterit, sed ob caetera quoque, veluti usuras, et quae in id impensa sunt. l. 8. in fine.

7. Proprie pignus dicimus, quod ad creditorem transit; hypothecam, cum non transit nec possessio ad creditorem. l. 9. §. 2. (2)

8. Novata autem debiti obligatio, pignus perimit (c), nisi convenit, ut pignus repetatur. l. 11. §. 1.

9. Si creditori plures haeredes extiterint, et uni ex his pars ejus solvatur; non debent caeteri haeredes creditoris injuria adfici: sed possunt totum fundum vendere. l. 11. §. 4. (3)

10. In eam duntaxat summam invecta mea et illata tenebuntur, in quam coenaculum conduxi: non enim credibile est, hoc convenisse, ut ad universam pensionem insulae frivola mea tenerentur. l. 11. §. 5.

---

(2) » Il pegno è un contratto col quale il debitore dà al suo creditore una cosa per sicurezza del debito. »

» L'ipoteca è un dritto reale costituito sopra gl'immobili ad effetto di soddisfere une obbligezione . . . È inerente ai beni, ancorchè passino in altre mani » *Leggi civ. art.* 1941, 2000.

(b) Haec verba abundant. V. l. 4.

(c) L. 18. *de novationibus et delegationibus.* V. l. 17 in fine *de rebus auctoritate judicis possidendis vel vendendis.*

(3) » Il pegno è indivisibile, non ostante la divisibilità del debito tre gli eredi del debiore o tra quelli del creditore „ *Leggi civ. art.*, 1953.

11. (*d*) Venit autem in hac actione et dolus, et culpa, ut in commodato: venit et custodia: vis major non venit. l. 13. §. ult.

Quae fortuitis casibus accidunt, cum praevideri non potuerint, (iu quibus etiam aggressura latronum (*e*) est) nullo bonae fidei judicio praestantur. Et ideo creditor pignora, quae hujusmodi casu interierint parestare non compellitur: nec a petitione debiti submovetur, nisi inter contrahentes placuerit, ut amissio pignorum liberet debitorem. l. 6. C. *eod.*

Ea igitur, quae diligeus paterfamilias in suis rebus praestare solet, a creditore exiguntur. l. 14. (4)

12. (*f*) Si nuda proprietas pignori data sit, ususfructus qui postea adcreverit, pignori erit. Eadem causa est alluvionis, l. 18. §. 1. (5)

13. (*) Domo pignori data, et area ejus tenebitur: est enim pars ejus. Et contra, jus soli sequetur aedificium. l. 21.

14. Sicut negligere creditorem dolus et culpa, quam praestat, non patitur, ita nec talem efficere rem pigneratam, ut gravis sit debitori ad recuperandum: puta saltum grandem pignori datum ab homine qui vix luere potest, nedum excolere, tu acceptum pignori excoluisti sic, ut magni pretii faceres. Alioquin non est aequum, aut quaerere me alios creditores, aut co-

(d) L. 5. §. 2. *commodati vel contra.*

(e) Secus de furto, quia homini diligenti furtum non fit. V. l. 52 §. 3. *pro socio.* l. 1 §. 4. *commodati vel contra.*

(4) » Il creditore è risponsabile della perdita o del deterioramento del pegno, avvenuto per sua negligenza » *Leggi civ.* 1950.

(f) L. 16. *de pignoribus et hypothecis.*

(5) Concorda. *Leggi civ. art.* 1951.

(*) In ordine judiciario fit aestimatio et numeratio fundorum et superficiei ad collocandos creditores.

gi distrahere, quod velim receptum, aut tibi penuria coactum derelinquere. (Medie) igitur haec a judice erunt dispicienda, ut neque delicatus debitor neque onerosus creditor audiatur. l. 25. (6)

15. Non est mirum, si ex quacumque causa magistratus in possessionem aliquem miserit, pignus constitui. l. 26.

16. Cum et sortis nomine, et usurarum, aliquid debetur ab eo, qui sub pignoribus pecuniam debet, quidquid ex venditione pignorum recipiatur, primum usuris, quas jam tunc deberi constat, deinde, si quid superest, sorti accepto ferendum est. Nec audiendum est debitor, si, cum parum idoneum se esse sciat (*g*), eligit, quo nomine exonerari pignus suum malit. l. 35.(7)

17. Si quis in pignore pro auro aes subjecisset creditori, qualiter teneatur, quaesitum est? In qua specie rectissime Sabinus scribit: si quidem dato auro aes subjecisset, furti teneri. Quod si in dando aes subjecisset, turpiter fecisse, non furem esse; sed (et) hic puto pigneratitium judicium locum habere: et ita Pomponius scribit. Sed et extra ordinem stellionatus nomine plectetur, ut est saepissime rescriptum. l. 36.

18. Sed et si quis rem alienam mihi pignori dederit, sciens prudensque, vel si quis alii obligatam (*h*), mihi

---

(6) » Il debitore dee dal suo canto compensare al creditore le spese utili e necessarie fatte da costui per la conservazione del pegno „ *Leggi civ art.* 1950., §. 2.

(g) L. 5. §. 2. *de solutionibus et liberationibus.* l. 101 §. 1. *eod.* Ratio hujus legis intelligi debet ex l. 11 §. 2. ubi legitur a Cujacio *nec in usuras* loco *vel in usuras.* Si pignus datum sit in sortem nec in usuras, imputatio fieri debet in usuras ut creditor possit retinere pignus in sortem, nec permittitur debitori imputare in sortem, ut pignus repetat, quando usuras dumtaxat debebit.

(7) Concorda. *Leggi civ. art.* 1951.

(h) V. l. 3 §. 1 *de creditore stellionat.*

et redditur pignus: si debitum excedunt, qui supererunt redduntur. l. 1. C. *eod.* (2)

Creditor qui praedium pignori nexum destinuit, fructus quos percepit vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet. l. 3. C. *eod.*

23. Si agrum deteriorem constituit (creditor), eo quoque nomine pigneratitia actione obligatur. d. l. 3.

Si dolo vel culpa (credidor) rem suppositam deteriorem fecerit, eo quoque nomine pigneratitia actione tenebitur, ut talem restituat, qualis fuerat tempore obligationis. l. 7. C. *eod.* (3)

24. Nec creditores, nec qui his successerunt, adversus debitores pignori quondam res nexas petentes, reddita jure debiti quantitate, vel his non accipientibus oblata et consignata et deposita (*p*), longi temporis praescriptione muniri possunt. l. 10. C. *eod.* l. ult. *eod.*

25. Pignoris causa res obligatas, soluto debito, restitui debere pigneratiae actionis natura declarat l. pen. C. *eod.*

---

(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 1951.
(3) » Il creditore è risponsabile della perdita o del deterioramento del pegno, avvenuto per sua negligenza » *Leggi civ. art.* 1950
(p) Quae sunt merae facultatis, ut jus offerendi debiti, non sunt obnoxia praescriptioni.

LIBER XIV.

TITULUS I.

De exercitoria actione.

SUMMARIA.

1. *Ex facto magistri et institoris, tenetur qui praeposuit.*
2. *Qui magister navis.*
3. *Tenetur exercitor ex contractu magistri, et ex delicto nautarum.*
4. *Magister exercitorem obligat, quo nomine praepositus est.*
5. *Magistri aetas non spectanda.*
6. *Praepositus a magistro exercitorem obligat, ignorantem etiam, et invitum.*
7. *Magister exercitorem obligat ex iis causis quibus praepositus est.*
8. *Unus e pluribus magistris exercitorem obligat.*
9. *In dubio verbis edicti serviendum.*
10. *Plures exercitores in solidum tenentur.*
11. *Nisi per se divisim exerceant.*
12. *Si magister mutuatus sit ad refectionem navis, tenebitur exercitor de pecunia quae fuit necessaria, non ultra.*

1. Utilitatem hujus edicti patere, nemo est, qui ignoret. Nam cum interdum ignari, cujus sint conditionis, vel quales, cum magistris propter navigandi necessitatem contrahamus, aequum fuit, eum qui magistrum navi imposuit, teneri: ut tenetur, qui institorem tabernae vel negotio praeposuit, cum sit major neces-

sitas contrahaendi cum magistro, quam institore. Quippe res patitur, ut de conditione quis institoris dispiciat, et sic contrahat, in navis magistro non ita: nam interdum locus, tempus non patitur plenius deliberandi lium. l. 1. (1)

2. Magistrum navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata est. l. 1. §. 1.

3. Sed si cum quolibet nautarum sit contractum, non datur actio in exercitorem; quamquam ex delicto cujusvis eorum, qui navis navigendae causa in nave sint, detur actio in exercitorem. Alia enim est contrahendi causa, alia delinquendi. Si quidem qui magistrum praeponit, contrahi cum eo permittit: qui nautas adhibet, non contrahi cum eis permittit, sed culpa et dolo carere eos curára debet. l. 1. §. 2. (2)

4. Magistri autam imponuntur locandis navibus, vel ad merces, vel vectoribus conducendis, armamentisve emendis: sed etiam si mercibus emendis vel vendendis fuerit praepositus, etiam hoc nomine obligat exercitorem. l. 1. §. 3.

5. Nec cujus aetatis sit (magister), intererit: sibi imputaturo, qui praeposuit. l. 1. §. 4. l. 7. §. 2. *de institoria actione*.

6. Magistrum autam accepimus, non solum quem exercitor praeposuit, sed et eum quem magister: et hoc

---

(1) „ Qualunque proprietario di bastimento è civilmente tenuto delle azioni del capitano, in ciò che concerne il bastimento, e la apediziona „ *Leggi com. art.* 203.

(2) „ I proprietarj de' bastimenti armati a guerra non saranno però tenuti de' delitti, e delle depredazioni commesse in mare dalla gente di guerra che si trovi sui loro bastimenti, o dall' equipaggio, se non che sino alla concorrenza della somma per la quale avranno dato cauzione, eccettochè non ne sieno partecipi o complici „ *Leggi com. art.* 204.

consultus Julianus in ignorante exercitore respondit. Caeterum si scit, et passus est, eum in nave magisterio fungi, ipse eum imposuisse videtur. Quae sententia mihi videtur probabilis. Omnia enim facta magistri debet praestare, qui eum praeposuit: alioquin contrahentes decipientur; et facilius hoc in magistro, quam institore, admittendum propter utilitatem. Quid tamen si sic magistrum praeposuit, ne alium ei liceret praeponere? An adhuc Juliani sententiam admittimus, videndum est: finge enim, et nominatim eum prohibuisse, *ne Titio magistro utaris*. Dicendum tamen erit, eo usque producendam utilitatem navigantium. l. 1. §. 5.

7. Non autem ex omni causa praetor dat in exercitorem actionem, sed ejus rei nomine, cujus ibi praepositus fuerit: id est, si in eam rem praepositus sit, ut puta, si (ad) onus vehendum locatum sit; aut aliquas res emerit utiles naviganti; vel si quid, reficiendae navis causa, contractum vel impensum est; vel si quid nautae, operarum nomine, petent. l. 1. §. 7. V. l. 5. §. 11. *de institoria actione*.

Igitur praepositio certam legem dat contrahentibus: Quare si eum praeposuit navi ad hoc solum, ut vecturas exigat, non ut locet, quod forte ipse locaverat, non tenebitur exercitor, si magister locaverit: vel si ad locandum tantum, non ad exigendum, idem erit dicendum: aut si ad hoc, ut vectoribus locet, non ut mercibus navem praestet, vel contra, modum egressus non obligabit exercitorem. Sed et si, ut certis mercibus eam locet, praepositus est, puta legumini, cannabae, ille marmoribus vel alia materia locavit; dicendum erit non teneri. Quaedam enim naves onerariae, quaedam (ut ipsi dicunt) ἐπιβατηγοὶ, id est, *vectorum ductrices*, sunt. Et plerosque mandare scio, *ne vectores recipiant*; et sic,

ut certa regione et certo mari negotietur: ut ecce, sunt naves, quae Brundusium a Cassiopa, vel a Dyrrachio vectores trajiciunt, ad onera inhabiles. Item, quaedam fluvii capaces, ad mare non sufficientes. l. 1. §. 12.

8. Si plures sint magistri, non divisis officiis, quodcunque cum uno gestum erit, obligabit exercitorem. d. l. 1. §. 13.

9. In re dubia melius est verbis edicti servire. l. 1. §. 20. V. l. 8. C. *de jud.* l. 13. §. 2. ff. *de escus. tut.* l. 56. ff. *de reg. jur.*

10. Si plures navem exerceant, cum quolibet eorum in solidum agi potest, ne in plures adversarios dectringatur, qui cum uno contraxerit. l. 1. §. ult. et l. 2. l. 27. §. ult. *de peculio.*

11. Si tamen plures per se navem exerceant, pro portionibus exercitionis conveniuntur: neque enim invicem sui magistri videntur. l. 4.

12. Lucius Titius Stichum magistrum navis praeposuit (*). Is pecuniam mutuatus, cavit, *se in refectionem navis eum accepisse*: Quaesitum est, an non aliter Titius exercitoria teneretur, quam si creditor probaret, pecuniam in refectionem navis esse consumptam? Respondit, creditorem utiliter acturum, si, cum pecunia crederetur, navis in ea causa fuisset (*a*), ut refici deberet. Etenim ut non oportet creditorem ad hoc adstringi, ut ipse reficiendae navis curam suscipiat (*b*), et ne-

(*) In hac lege necessitas fundata est enumerationis in scriptis, expensarum, operum, materialium etc. ut privilegium in domus habeatur.

(a) Curiosus esse debet creditor quo pecunia vertatur. l. 3 §. 9 *de in rem verso.*

(b) V. l. 26. *de rebus auctoritate judicis possidendis vel vendendis.*

gotium domini gerat (quod certe futurum sit , si necesse habeat probare, pecuniam in refectionem erogatam esse); ita illud exigendum , ut sciat, in hoc se credere , cui rei magister quis sit praepositus : quod certe aliter fieri non potest , quam si illud quoque scierit necessariam refectioni pecuniam esse. Quare et si in ea causa fuerit navis (*) , ut refici deberet, multo tamen maior pecunia credita fuerit , quam ad eam rem esset necessaria , non debere in solidum adversus dominum navis actionem dari. l. ult. (c).

T I T U L U S II.

De lege Rhodia de jactu.

S U M M A R I A.

1. *Contribuzione sarcitur jactus ad levandam navem.*
2. *Navis ipsius detrimentum ad exercitorem pertinet , nisi vectorum causa ipsis volentibus , factum sit.*
3. *Jacturam praestant omnes quorum interest , et ipse dominus navis. Et pro pretio rerum fit contributio, non pro onere.*
4. *Conferunt vestimenta et annuli ; non cibaria , et quae in navi consumuntur. Cibariorum in necessitate communis usus.*
5. *Omnium contributione redimitur navis a piratis :*

(*) Praeter supradicta , in domibus necessariae sunt apochae solutionis artificum , privilegium enim contra tertium exercetur : at hic apochae istae non sunt necessariae. Distinguendum , cum occupatio realis intercedit , opus est enumeratione illa in scriptis ad acquirendum privilegium ; secus si illa non intercedit. V. l. 1. *in quibus causis pignus.*

(c) L. 3 §. 6 et 7. *de in rem verso.*

dominis perit quod piratae abstulerint: non conferendum ei qui suum redemit.

6. *Contributio fit pro aestimatione rerum salvarum et amissarum.*

7. *Minuitur contributio, si jacta recipiantur.*

8. *Res jacta domini manet.*

9. *Si jaciendum sit navis instrumentum, fit contributio; non si navis pereat.*

10 *In scapham trajecta ad levandam navem, si pereant, fit contributio; non si navis pereat, salva scapha.*

11. *Si jactu levata navis postea perierit, servata per urinatores contribuent.*

12. *Qui jacta per urinatores recipit, non contribuit his, quorum merces cum nave postea periunt.*

13. *Si quod salvum fit, fuerit deterius, pro pretio praesente contribuitur.*

14. *Quod solius navis instruendae causa impensum est, collatione non sarcitur.*

15. *Quae quis eo naufragio servat, sibi servat.*

16. *Jacta in periculo, non habentur pro derelictis.*

17. *In nave mortui animalis vectura debetur.*

1. Legge Rhodia cavetur, ut si levandae navis gratia jactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur quod pro omnibus datum est. l. 1.

2. Æquissimum enim est, commune detrimentum fieri eorum qui, propter amissas res aliorum, consecuti sunt ut merces suas salvas haberent. l. 2.

Si, conservatis mercibus, deterior facta sit navis, aut si quid exarmaverit, nulla facienda est collatio: quia dissimilis earum rerum causa sit, quae navis gratia parentur, et earum, pro quibus mercedem aliquis acceperit. Nam et si faber incudem aut malleum

fregerit, non imputaretur ei, cui locaverit opus. Sed si voluntate vectorum, vel propter aliquem metum id detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet. l. 2. §. 1. V. 1. l. 3. (1)

3. Cum in eadem nave varia mercium genere complures mercatores coegissent, praetereaque multi vectores servi, liberique in ea navigarent, tempestate gravi orta, necessario jactura facta erat. Quaesita deinde sunt haec: an omnes jacturam praestare oporteat, et si qui tales merces imposuissent, quibus navis non oneraretur, velut gemmas, margaritas? et quae portio praestanda est? et an etiam pro liberis capitibus dari oporteat? et qua actione ea res expediri possit? Placuit, omnes, quorum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere, quia id tributum observatae res deberent. Itaque dominum etiam navis pro portione obligatum esse. Jacturae summam pro rerum pretio distribui oportet; corporum liberorum aestimationem nullam fieri posse. l. 2. §. 2.

4. Itidem agitatum est, an etiam vestimentorum cujusque, et anulorum aestimationem fieri oporteat? Et omnium visum est, nisi si qua cosumendi causa imposita forent: quo in numero essent cibaria, eo magis, quod, si quando ea defecerint in navigationem (*a*), quod quisque haberet, in commune conferret. l. 2. §. 2. in fin. (2)

5. Si navis a piratis redempta sit, Servius, Ofilius,

(1) „ Vi è luogo a contribuzione per ragione del danno avvenuto al bastimento, quando il danno sia stato fatto per facilitare il getto.„ *Leggi civ. art.* 414.

(a) Hinc colligit Barthol. in caritate annonae omnia esse communia. Bald. negat furtum committi, si quis eo casu panem vescendi causa surripiat. Gotofr.

(2) „ Le munizioni da guerra e da bocca, ed i bagagli delle persone dell'equipaggio non contribuiscono al getto „ *Leggi com. art.* 411.

Lambeo, omnes conferre debere, ajunt. Quod vero praedones abstulerint, eum perdere, cujus fuerit: nec conferendum ei, qui suas merces redemerit. l. 1. §. 3. (b).

6. Portio autem pro aestimatione rerum quae salvae sunt, et earum quae amissae sunt, praestari solet. Nec ad rem pertinet, si hae quae amissae sunt, pluris veniri poterunt: quoniam detrimenti, non lucri, fit praestatio. Sed in his rebus, quarum nomine conferendum est, aestimatio debet haberi (*), non quanti emptae sint, sed quanti venire possunt l. 2. §. 4.(3)

7. Si res quae jactae sunt, apparuerint, exoneratur collatio. (4)

8. Res jacta domini manet, nec fit adprehendentis, quia pro derelicto non habetur. l. 2. §. ult. l. 8.

9. Cum arbor, aut aliud navis instrumentum, removendi communis periculi causa, dejectum est, contributio debetur. l. 3. V. l. 2. §. in fine.

Arbore caesa, ut navis cum mercibus liberari possit, aequitas contributionis habebit locum. l. 5. §. 1.

Amissae navis damnum, collationis consortio non sarcitur per eos qui merces suas naufragio liberaverunt: nam hujus aequitatem tunc admitti placuit, cum jactus remedio caeteris in communi periculo, salva navi, consultum est. l. 5.

(b) Quia injuria manere debet apud eum cui accidit.

(*) Nisi aestimentur res projectae quanti vendi poterant, proprietarii laeduntur et quivis se opponet suarum mercium projectioni.

(3) ,, La ripartizione per lo pagamento delle perdite degl'interessi si fa sulla roba gettata e salvata, e sulla metà del bastimento e del nolo, a proporzione del valore che hanno nel luogo dello scarico ,, *Leggi com. art.* 409.

(4) ,, Se dopo la ripartizione, gli effetti gettati sono ricuperati dai proprietarj, questi sono tenuti di restituire quanto hanno ricevuto nella contribuzione ,, *Leggi com. art.* 421.

10. Navis onustae levandae causa, (quia intrare flumen vel portum non potuerat cum onere) si quaedam merces in scapham trajectae sunt, ne aut extra flumen periclitetur aut in ipso ostio vel portu, eaque scapha summersa est; ratio haberi debet inter eos, qui in nave merces salvas habent, cum his, qui in scapha perdiderunt (*): proinde tanquam si jactura facta esset. Idque Sabinus (quoque) libro secundo Responsorum probat. Contra, si scapha cum parte mercium salva est, navis periit, ratio haberi non debet eorum qui in nave perdiderunt: quia jactus in tributum, nave salva venit. l. 4. (5)

11. Sed si navis, quae in tempestate, jactu mercium unius mercatoris, levata est, in alio loco submersa est, et aliquorum mercatorum merces per urinatores extractae sunt, data mercede, rationem haberi debere ejus, cujus merces in navigatione, levandae navis causa, jactae sunt, ab his, qui postea sua per urinatores servaverunt, Sabinus aeque respondit. l. 4. §. 1. (6)

12. Eorum vero, qui ita servaverunt, invicem rationem haberi non deberi ab eo qui in navigatione jactum fecit, si quaedam ex iis mercibus per urinatores

---

(*) Injustum est hoc discrimen: quivis suas merces in scapha locare nitetur, nam de iis navis tenetur, quod ibidem gravissimum exercitare poterit jurgium.

(5) „ In caso di perdita delle mercanzie messe nelle barche per alleggerire il bastimento all' entrare in un porto o in un fiume, la ripartizione si dee fare sul bastimento e sul suo carico per intero „

„ Se il bastimento perisce col resto del suo carico, non viene fatta alcuna ripartizione sulle mercanzie messe sugli scafi. „ *Leggi com. art.* 419.

(6) „ Se il getto salva il bastimento, e se il bastimento stesso continuando il suo viaggio, viene a perdersi; gli effetti salvati contribuiscono al getto secondo il loro valore. *Leggi com. art.* 416.

extractae sunt: eorum enim merces non possunt videri servandae navis causa jactae esse, quae periit. l. 4. §. 1. in fine. (7)

13. Cum autem jactus de nave factus est, et alicujus res, quae in navi remanserunt deteriores factae sunt, videndum, an conferre cogendus sit, quia non debet duplici damno onerari, et collationis, et quod res deteriores factae sunt? Sed defendendum est, hunc conferre debere pretio praesente rerum. l. 4. §. 2.

14. Navis adversa tempestate depressa, ictu fulminis deustis armamentis, et arbore, et antenna, Hipponem delata est, ibique tumultuaris armamentiis ad praesens comparatis, Ostiam navigavit, et onus integrum pertulit. Quaesitum est, an hi, quorum onus fuit, naturae pro damno conferre debeant? Respondit, non debere: hic enim sumptus instruendae magis navis, quam conservandarum mercium gratia factus est. l. 6. (8)

15. Cum depressa navis, aut dejecta esset, quod quisque ex ea suum servasset, sibi servare respondit, tanquam ex incendio. l. 7.

16. Qui levandae navis gratia res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant (*b*): quippe, si invenerint eas, ablaturos, et si suspicati fuerint, in quem locum ejectae sunt, requisituros: ut perinde sint, ac si quis onere pressus, in viam rem

---

(7) „ Se il getto non salva il bastimento, le mercanzie salvate non sono tenute del pagamento nè dell' indennità di quelle che sono gettate o danneggiate „ *Leggi com. art.* 416.

(8) „ Non vi è luogo a contribuzione per ragione del danno avvenuto al bastimento „ *Leggi com. art.* 414.

(*b*) V. l. 7. *pro derelicto*. l. 2. §. ult.

abjecerit, mox cum aliis reversurus, ut eandem auferret. l. 8.

17. Si vehenda mancipia conduxisti, pro eo mancipio, quod in nave mortuum est, vectura tibi non debetur. Paulus: Imo quaeritur, quid actum est, utrum (ut) pro his, qui impositi, an pro his, qui deportati essent, merces daretur. Quod si hoc apparere non potuerit (*c*), satis erit pro nauta, si probaverit impositum esse mancipium (*d*). l. 10.

TITULUS III.

De institoria actione.

SUMMARIA.

1. *Per institorem obligatur qui eum praeposuit.*
2. *Domino obligatur qui cum instiore contraxit.*
3. *Cuilibet negotiationi praeponi potest institor.*
4. *Institor dominum non obligat, nisi ex causa cui praepositus est.*
5. *Nec sexus, nec aetas in institore spectatur, sed a quo praepositus sit.*
6. *Si prohibeat dominus ne cum institore contrahatur, eum non obligat.*
7. *Institorio nomine obligatus non seipsum obligat, sed dominum.*

1. ÆQuum praetori visum est, sicut cammoda sen-

(c) Quid si partus nascatur in navi? V. l. 19. §. 7. *locati conducti.*

(d) V. l. 9. Ex qua Germani concludunt, imperatorem suum sive regem esse dominum totius mundi. Et inepte: Domitianus nomen domini sibi assumpsit, et inde caeteri imperatores. Loyseau, *des offices, l. ib. 1 c. 14 n.* 44. Grotius *de sparsione florum.*

timus ex actu institorum, ita etiam obligari nos ex contractibus ipsorum, et conveniri. l. 1.

2. Marcellus ait, debere dari actionem ei, qui institorem praeposuit, in eos, qui cum eo contraxerint. l. 1. in fin.

3. Institor appellatus est ex eo, quod negotio gerendo instet. Nec multum facit, tabernae sit praepositus, an cuilibet aliae negotiationi. l. 3.

4. Non omne, quod cum institore geritur, obligat eum qui praeposuit: sed ita, si ejus rei gratia, cui praepositus fuerit, contractum est: (*a*) (id est duntaxat ad id, quod eum praeposuit) l. 5. §. 11. d. l. §. 12. et seq.

5. Parvi refert quis sit institior, masculus, an foemina; liber, aut servus, proprius vel alienus: item quisquis praeposuit. Nam et si mulier praeposuit, competet institoria, exemplo exercitoriae actionis. l. 7. §. 1.

Pupillus institor obligat eum qui praeposuit, institoria actione (*b*), quoniam sibi imputare debet, qui eum praeposuit. Nam (et) plerique pueros, puellasque praeponunt. l. 7. §. 2. et l. 8.

6. De quo palam praescriptum fuerit *ne cum eo contrahatur*, is praepositi loco non habetur. Non enim permittendum erit cum institore contrahere: sed, si quis nolit contrahi, prohibeat: caeterum, qui praeposuit, tenebitur ipsa praepositione. l. 11. §. 2.

7. Lucius Titius mensae nummullariae, quam exercebat, habuit libertum praepositum. Is Gaio Seio cavit in haec verba: *Octavius Terminalis, res agens Octavii Felicis, Domitio Felici salutem* (*c*). *Habes penes*

(a) V. l. 1 §. 7. *de exercitoria actione.*
(b) L. 1 §. 4. *de exercitoria actione.*
(c) *Nota.* Liberti praenomen patronorum assumebant.

mensam patroni mei denarios mille, quos denarios vobis numerare debebo pridie kalendas majas. Quaesitum est, Lucio Titio defuncto sine haerede, bonis ejus venditis, an ex epistola jure conveniri Terminalis possit. Respondit, nec jure his verbis obligatum, nec aequitatem conveniendi eum superesse, cum id, institoris officio, ad fidem mensae protestandam scripsisse (*). l. ult.

TITULUS IV.

De tributoria actione. (*a*).

SUMMARIA.

1. *Creditor qui pignori incumbit, non venit in tributum.*
2. *Venditor, qui non abiit in creditum, et is qui mercem vendendum dedit, non venit in tributum pro pretio, si merx extet.*
3. *Tributio fit pro rata, et qui solidum capit, cavet se refusurum, si alii creditores emerserint.*
4. *Cautio pro debito futuro.*

1. Si qui contrahebant, ipsam mercem pignori acceperint? Puto debere dici, praeferendos domino (*a*) jure pignoris. l. 5. §. 8.

2. Si dedi mercem meam vendendam, et exstat, videamus ne iniquum sit, in tributum me vocari? Et si quidem in creditum ei abiit, tributio locum habebit.

(*) *Nota.* Qui suum praestat nomen non tenetur suo proprio et privato nomine.

(a) Loyseau, *Des offices.* lib. III. c. 1. n. 7, 8, 9, et 15. * Hoc in titulo non agitur de integro peculio, sed solum de una mercium specie.

(a) Id est, domino servi.

Enimvero, se non abiit, quia res venditae non alias desinunt esse meae, quamvis vendidero, nisi aere soluto, vel fidejussore dato, vel alias satisfacto, dicendum erit, vindicare me posse. l. 5. §. 18.

3. Tributio autem fit pro rata ejus, quod cuique debeatur: et ideo, si unus creditor veniat desiderans tribui integram portionem, consequitur. Sed quoniam fieri potest, ut alius quoque vel alii existere possint mercis peculiaris creditores, cavere debet creditor iste, pro rata se refusurum, si forte alii emerserint creditores. l. 5. §. ult.

4. Illud quoque cavere debet (creditor) si quid aliud domini debitum emerserit, refusurum se ei pro rata. Finge enim conditionale debitum imminere, vel in occulto esse; hoc quoque admittendum est: nam injuriam dominus pati non debet, licet in tributum vocatur. l. 7.

TITULUS V.

Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

SUMMARIA.

1. *Triplex actio in patrem ex contracto filiifamilias: quod jussu, de in rem verso, de peculio.*

1. Omnia proconsul agit, ut, qui contraxit cum eo qui in aliena potestate sit, etiam si deficient superiores actiones (id est, exercitoria, institoria, tributoriave), nihilominus tamen in quantum ex bono et aequo res patitur, suum consequatur. Sive enim jussu ejus, cujus in potestate sit, negotium gestum fuerit, in so-

lidum eo nomine judicium pollicetur: sive non jussu, sed tamen in rem ejus versum fuerit, eatenus introducit actionem, quatenus in rem ejus versum fuerit: sive neutrum eorum fit, de peculio actionem constituit. l. 1. v. l. 1. §. 1. ff. *de pecul.*

TITULUS VI.

De senatusconsulto Macedoniano.

SUMMARIA.

1. *Filiusfamilias in peculio patremfamilias agit.*
2. *Is quoque censendus, quem publice agit.*
3. *Favor studiorum.*
4. *Semel probatum improbare non licet.*
5. *Qui ob poenam creditorum liberantur, si solverint, non repetunt: manet enim naturalis obligatio.*
6. *Initium contractus spectandum.*

1. Filiifamilias in castrensi peculio vice patrumfamiliarum funguntur. l. 2.

2. Si quis patremfamilias esse credidit; non vana simplicitate deceptus, nec juris ignorantia, sed quia publice paterfamilias plerisque videbatur, sic agebat, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur (*a*): cessabit senatusconsultum. l. 3. V. l. 3. ff. *de off. praet.*

3. Quod dicitur, in eo, qui studiorum causa (*b*) absens mutuum acceperat, cessare senatusconsultum, ita locum habet si probabilem modum in mutua non exces-

(a) Ad l. 3 §. 5. *de suppellectile legata.*
(b) V. Familiae erciscundae. n. 15. De rebus creditis 12.

sit: certe eam quantitatem, quam pater solebat subministrare. l. 7. §. 13.

4. Hoc amplius cessabit senatusconsultum, si pater solvere coepit (*c*) quod filiusfamilias mutuum sumpserit; quasi ratum habuerit. Si paterfamilias factus, solverit partem debiti, cessabit senatusconsultum: nec solutum repetere potest. l. 7. §. penult. et ult.

5. Hi demum solutum non repetunt, qui ob poenam creditorum actione liberantur, non quoniam exonerare eos lex voluit. l. 9. §. 4. in fin. Quia naturalis obligatio manet. l. 10. v. f. *de condict. indeb.* l. 19.

6. Si jusserit pater filio credi, deinde, ignarante creditore, mutaverit voluntatem (*d*), locus senatusconsulto non erit: quoniam initium contractus spectandum est (*). l. 12.

(c) Item is qui solida legata coepit solvere nusquam uti post falcidia. n. 1.

(d) L. 1 §. 2. *quod jussu.*

(*) *Lex ultima*, C. eod. *habet*: Filiusfamilias miles ex praesumptione non creditur in aliud quidquam pecuniam accipere et expendere quam in causas castrenses. *Lex* 16. *habet*: Si filiusfamilias, absente patre, pecuniam acceperit, debet pater, si actum filii improbat, continuo testationem interponere contrariae voluntatis

LIBER XV.

TITULUS I.

De peculio.

SUMMARIA.

1. *Quid peculium.*
2. *Qui evidenter creditor est, praeponitur ei, de quo dubium est an sit creditor : et ei praestanda pecunia, si caveat se refusurum.*
3. *Ut suum quis consequatur, vigilare licet.*
4. *In plures non distringitur, qui cum uno contraxit.*
5. *Fidejussor in futurum debitum.*

1. Peculium Tubero sic definit : quod servus, domini permissu, separatum a rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur. l. 5. §. ult.

2. Si nondum quicquam domino absit, (Marcellus ait) melius esse praestare creditori, ut caveat (ille), refusurum se, si quid praestiterit dominus hoc nomine conventus, quam ab initio deduci : ut medii temporis interusurium magis creditor consequatur. l. 9. §. ult.

3. Licet creditori vigilare ad suum consequendum. l. 21. V. l. ult. C. *depositi, vel contra.*

4. Iniquum est in plures adversarios distringi eum, qui cum uno contraxerit. l. 27. §. ult. V. titul. *de duobus reis.* l. 1. §. ult. *de exercitoria actione.*

5. Fidejussor futurae quoque actionis accipi potest (*). l. 50.

(*) *Lex 51 habet :* In omnibus quos idcirco teneri dicimus ,

TITULUS II. *Quando de peculio actio annalis est.*

TITULUS III.

De in rem verso.

SUMMARIA.

1. *Ex in rem verso actio in solidum, quasi ex mandato.*
2. *In rem versum est, quod in negotium cessit, etsi perierit.*
3. *Docere debet creditor de in rem verso.*
4. *Quantum in rem versum est, tantum debetur.*

1. Regulariter dicimus, toties de in rem verso esse actionem, quibus casibus procurator mandati, vel qui negotia gessit, negotiorum gestorum haberet actionem. l. 3. §. 2.

Illud in summa admonendi sumus, id quod jussu patris contractum fuerit, quodque in rem ejus versum erit, directo quoque posse a patre dominove condici, tamquam si principaliter cum ipso negotium gestum esset, §. ult. Inst. *quod cum eo qui in al. pot. e. n. g. e. d.* Si in rem eorum quod acceptum est, conversum sit; quasi cum ipsis potius contractum videatur. l. 1. h. t.

2. Neque spectamus, an bono domini cesserit, quod consumptum est, sed an in negotium (*a*) domini. Un-

---

quia habent actionem, delegatio pro justa praestatione est. l. 14. *quae in fraudem* creditorum facta sunt. l. 31 *de actionibus empti et venditi.*

(a) V. l. 10 §. 1, l. 22. *de negotiis gestis.* l. ult. *de exercitoria actione.*

de recte dicitur: et si frumentum comparavit servus ad alendam domini familiam, et in horreo dominico reposuit, et hoc periit, vel corruptum est, vel arsit; videri versum. l. 3. §. 6. in fin. et §. 7.

3. Curiosus debet esse creditor quo vertatur (*b*). l. 3. §. 9. in fin.

4. In rem autem versum videtur, prout aliquid versum est. Proinde, si pars versa est, de parte erit actio. l. 10. §. 4.

TITULUS IV.

Quod jussu.

SUMMARIA.

1. *Qui jubet contrahi, ipse contrahit.*
2. *Jussum habetur quod vel verbis vel aliter jussum est.*
3. *Jussum rebus integris revocari potest.*

1. Merito ex jussu domini in solidum adversus eum judicium datur. Nam quodammodo cum eo contrahitur qui jubet. l. 1.

2. Jussum autem accipiendum est, sive testato quis, sive per epistolam, sive verbis, aut per nuntium; sive specialiter in uno contractu jusserit, sive generaliter. l. 1. §. 1.

3. Sed ego quaero, an revocare hoc jussum, antequam creditur, possit? Et puto, posse: quemadmodum si mandasset, et postea ante contractum contraria voluntate mandatum revocasset, et me certiorasset. l. 1. §. 2. V. l. 12. *de senatusconsulto Maced.*

(*b*) Curiosus esse non debet in l. 19. *de novationibus et delegationibus.* l. ult. *de exercitoria actione.*

LIBER XVI.

TITULUS I.

Ad senatusconsultum Vellejanum.

SUMMARIA.

1. *Officia civilia faeminis adempta.*
2. *Delegatio solutio est.*

1. Civilia officia adempta sunt foeminis. l. 1. §. 1.
2. Solvit et qui reum delegat (*). l. 8. §. 3. in fin.

TITULUS II.

De compensationibus.

SUMMARIA.

1. *Quid compensatio.*
2. *Compensatione summovetur creditor qui ipse debitor est.*
3. *Compensatur debitum naturale.*
4. *Debitum in diem ante diem non compensatur.*
5. *In maleficiis fit compensatio ex causa pecuniaria.*
6. *Usura debita cessat compensatione pecuniae non usurariae.*
7. *Non compensatur debitum quod exceptione tollitur.*
8. *Compensatur debitum cum sua causa, ut si in pari-*

(*) *Lex* 7, *habet*: Proprii facti nemo potest ignorationem praetendere. V. l. 17 §. 2. Hic *de solida obligatione a muliere contracta.*

bus summis, plus fit in altero debito, propter adjuncta id aestimatur.
9. *Functionum pubblicarum non fit compensatio.*
10. *Compensatio ipso jure.*
11. *Non compensatur quod tutor debet cum eo quod pupillo debetur.*
12. *Non compensantur nisi liquidae.*
13. *Depositi non fit compensatio.*
14. *Nec commodati.*

1. Compensatio est debiti et crediti inter se contributio. l. 1.

2. Unusquisque creditorem suum, eundemque debitorem, petentem summovet, si paratus est compensare. l. 2.

Ideo compensatio necessaria est, quia interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere. l. 3. (1)

3. Etiam quod natura debetur, venit in compensationem (*a*). l. 6. v. l. 14.

4. Quod in diem debetur, non compesabitur antequam dies venit, quamquam dari oporteat. l. 7. (2)

5. Quoties ex maleficio oritur actio, ut puta ex causa furtiva caeterorumque maleficiorum (*b*), si de ea pecuniarie agitur, compensatio locum habet. l. 10. §. 2.

(*c*) Cum alter alteri pecuniam sine usuris, alter usu-

---

(1) » Quando due persone son debitrici l'una verso l'altra, ha luogo tra esse una compensazione che estingue i due debiti. » *Leggi civ. art.* 1243.

(a) V. Duperier. lib. 2. q. 1. Praescriptio pro solutione est. l. 45 *de administratione et periculo tutorum.*

(2) » Non ha luogo la compensazione se non tra due debiti che sono egualmente esigibili. » *Leggi civ. art.* 1291.

(b) Paria delicta compensantur. l. 39. *soluto matrimonio.*

(c) L. 21. Hic. l. 4. C. cod. l. 7. C. *de solutionibus et liberationibus.* V. l. 1. *de solutionib.*

rariam debet, constitutum est a divo Severo, concurrentis apud utrumque quantitatis usuras non esse praestandas l. 11.

7. Quaecumque per exceptionem perimi possunt, in compensationem non veniunt. l. 14.

8. Pecuniam certo loco a Titio dari stipulatus sum: is petit a me, quam ei debeo pecuniam. Quaero, an hoc quoque compensandum sit, quanti mea interfuit, certo loco dari? Respondit: si Titius petit, eam quoque pecuniam, quam certo loco dare promisit, in compensationem deduci oportet: sed cum sua causa, id est ut ratio habeatur, quanti Titii interfuerit, eo loco, quo convenerit, pecuniam dari. l. 15. l. 2. §. ult. *de eo quod certo loco*.

8. Ob negotium copiarum, expeditionis tempore mandatum, curatorem condemnatum, pecuniam jure compensationis retinere non placuit: quoniam ea non compensantur. l. 20.

In ea quae reipublicae te debere fateris, compensari ea quae invicem ab eadem tibi debentur, is cujus de ea re notio est, jubebit: si neque ex Kalendario, neque ex vectigalibus (*d*), neque ex frumenti vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque ejus qui statutis sumptibus servit, neque fideicommissi civitatis debitor sis. l. 3. C. *eod.* x. l. 46. §. 5. ff. *de jur. fisci.*

10. Placuit inter omnes, id quod invicem debetur, ipso jure compensari. l. 21. l. 11. (3)

(d) Octo quae non veniunt in compensationem.

(3) » La compensazione si fa *ipso jure* per la sola operazione della legge, ed anche senza saputa de' debitori. » *Leggi civ. art.* 1290.

Si constat pecuniam invicem deberi, ipso jure pro soluto compensationem haberi oportet, ex eo tempore ex quo ab utraque parte debetur, utique quoad concurrentes quantitates: ejusque solius quod amplius apud alterum est, usurae debantur, si modo patitio earum subsistit. l. 4. C. *eod.*

11. Id quod pupillorum nomine debetur (*e*), si tutor petat, non posse compensationem objici ejus pecuniae, quam ipse tutor suo nomine adversario dabet, l. 23.

12. Ita compensationes objici juhemus, si causa ex qua compensatur liqnida sit (*f*), et non multis ambagibus innodata, sed possit judici facilem exitum fui praestare. l. ult. §. 1. C. *de compens.* (4)

13. Si quis vel res quasdam per depositionis accepit titulum, eas volenti ei qui deposuit reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compensationem opponat. l. 11. C. *depos.* l. ult. §. 1. in fin. C. *de compens.* (5)

14. Pretextu debiti: restitntio commodati non probabiliter recusatur. l. ult. C. *de commod.* (6)

(*e*) Contra, si pupillus debeat, potest tutor opponere compensationem ejus quod sibi ipsi debetur. V. l. 96 *de solutionibus et liberationibus.*

(*f*) Res debet esse liquida, 1. ratione poenae cui debetur; 2. ratione temporis; 3. ratione quantitatis; 4. absque verisimili contestatione.

(4) » Non ha luogo la compensazione se non tra due debiti egualmente liquidi. *Leggi civ. art.* 1291.

(5) » La compensazione non ha luogo quando si domanda la restituzione del deposito. » *Leggi civ. art.* 1247, §. 2.

(6) » La compensaziona non ha luogo quando si domanda la restituzione del comodato. » *Leggi civ. art.* 1247, §. 2.

TITULUS III.

Depositi, vel contra.

SUMMARIA.

1. *Depositum est quod custodiendum datur.*
2. *Conventio lex est contrahentibus.*
3. *Depositarius eam diligentiam praestare debet quam in suis rebus adhibet.*
4. *Reddi debet res deposita non deterior.*
5. *Qui vendidit depositum, et redemit, tenetur deinceps de omni culpa.*
6. *Si depositum transeat in causam mutui, diversa erit obligatio.*
7. *Qui periculo se subjecit, tenetur: qui deposito se obtulit, culpam praestat et custodiam.*
8. *Pecuniae signatae depositum quomodo haeredibus restituendum.*
9. *Depositario competit actio contraria.*
10. *Sequester deponit officium advocatis quorum interest.*
11. *In sequestre est quod plures in solidum deponunt certa conditione.*
12. *Intempestive misericordiam exercet qui vinciendum solvit.*
13. *Haeres depositarii de ejus dolo tenetur in solidum.*
14. *Deposita apud nummularios pecuniae privilegium, ante caetera in ejus bonis.*
15. *Depositariorum concurrentium eadem ratio in hoc privilegio.*
16. *Hoc privilegium ad omnes fraudatoris facultates pertinet. Sumptus necessarius ante privilegia.*
17. *Depositum et similia ibi restituenda ubi sine dolo ejus sunt qui restituere debet.*

18. *Post moram depositarii, ejus periculo est depositum. Quod et in caeteris similiter observatur.*

19. *Majori plurium haeredum parti depositum restituitur cum cautela pro caeteris. Quae major pars.*

20 *Apud sequestrem non deponitur, nisi de quo plures contendunt.*

21. *In officio judicantis est usurarum ratio in bonae fidei judiciis.*

22. *Usuras debet, ex mora, qui pecuniam depositam in usus proprios convertit.*

Furi similis qui domino invito rem depositam in usus suos convertit.

23. *Depositum ab eo cujus bona propter crimen publicata sunt, non ipsi reddendum, sed fisco.*

24. *Depositum a latrone non ipsi sed domino restituendum.*

25. *Non confert cohaeredibus qui suam depositi a defuncto partem recipit, et si reliquum perierit.*

1. Depositum est, quod custodiendum alicui datum est. Dictum ex eo, quod ponitur: praepositio enim *de* auget depositum, ut ostendat, totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet. l. 1. (1)

2. Si convenit, ut in deposito et culpa praestetur, rata est conventio: contractus enim legem ex conventione accipiunt. l. 1. §. 6. l. 5. *commodati, vel contra.*

3. Dolum duntaxat praestare debere puto (*eum qui depositi tenetur*). l. 1. §. 8. in fin.

Quod Nerva diceret, latiorem culpam dolum es-

(1) » Il deposito in generale è un atto col quale si riceve la cosa altrui coll' obbligo di custodirla e di restituirla in ispecie. » *Leggi civ. art.* 1787.

se (*a*), Proculo displicebat, mihi verissimum videtur. Nam et si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, nisi tamen ad suum modum curam in deposito praestat, fraude non caret: nec enim salva fide minorem iis, quam suis rebus, diligentiam praestabit. l. 32. (2)

4. Si res deposita deterior reddatur, quasi non reddita, agi depositi potest (*b*): cum enim deterior redditur, potest dici, dolo malo redditam non esse. l. 1. §. 16. (3)

5. (c) Si rem depositam vendidisti, eamque postea redemisti, in causam depositi, etiamsi sine dolo malo postea perierit, teneri te depositi (*d*): quia semel dolo fecisti, cum venderes. l. 1. §. 25.

6. Si pecunia apud te ab initio hac lege deposita sit, ut si voluissesutereris, prius quam utaris, depositi teneberis. l. 1. §. 34. Vid. l. 4. et 11. *de rebus creditis*.

7. Saepe evenit, ut res deposita vel nummi periculo sint ejus, apud quem deponuntur: ut puta si hoc nominatim convenit. Sed et si se quis deposito obtulit, idem Julianus scribit, periculo se depositi illigasse;

(a) Dissoluta negligentia prope dolum est. l. 29. *mandati vel contra*.

(2) » Il depositario dee usare, nel custodire la cosa depositata, la stessa diligenza che impiega per custodire le cose che gli appartengono. » *Leggi civ. art.* 1799.

(b) L. 3 §. 1. *commodati vel contra*. l. 14. *de verborum significatione*.

(3) » Il depositario non è tenuto a restituir la cosa altrimenti che nello stato in cui si ritrova nel tempo della restituzione. I deterioramenti avvenuti senza sua colpa sono a carico del deponente. » *Leggi civ. art.* 1805.

(c) Haec lex non servaretur apud nos ut pote durior.

(d) Panormit. ad Ca. Tanta vis. Qui filii sint legit. ait. Male operanti imputantur etiam ei quae praeter ipsius voluntatem accidunt. V. l. 66. *soluto matrimonio*.

ita tamen, ut non solum dolum, sed etiam culpam et custodiam praestet, non tamen casus fortuitos. l. 1. §. 35.

8. (e) Si pecunia in sacculo signato deposita sit, et unus ex haeredibus ejus, qui deposuit, veniat repetens; quemadmodum ei satisfiat, videndum est. Promenda pecunia est vel coram praetore, vel intervenientibus honestis personis, et exsolvenda pro parte haereditaria. Sed etsi resignetur, non contra legem depositi fiet; cum, vel praetore auctore, vel honestis personis intervenientibus, hoc eveniet: residuo vel apud eum remanente, si hoc voluerit, sigillis videlicet prius ei impressis, vel a pretore, vel ab eis quibus coram signacula remota sunt: vel si hoc recusaverit, in aede reponendo. Sed si res sunt quae dividi non possunt; omnes debebit tradere, satisdatione idonea a petitore ei praestanda, in hoc, quod supra ejus partem est. Satisdatione autem non interveniente, rem in aedem deponi, et omni actione depositarium liberari. l. 1. §. 36. l. 14.

9. Ei apud quem depositum esse dicetur, contrarium judicium depositi datur. l. 5. De indemnitate ejus, qui depositum suscepit. d. l. 5.

10. Si velit sequester officium deponere, quid ei faciendum sit? Et ait Pomponius, adire eum praetorem oportere, et ex ejus auctoritate denuntiatione facta his, qui eum elegerant, ei rem restituendam qui praesens fuerit. Sed hoc non semper verum puto: nam plerumque non est permittendum officium, quod semel suscepit, contra legem depositionis deponere, nisi ju-

(e) V. hic consilium Demosthenis.

stissima causa interveniente; et cum permittitur, raro ei res restituenda est, qui venit, sed oportet eam, arbitratu judicis, apud aedem aliquam deponi. L. 5. §. 2. (4)

11. Proprie in sequestre est depositum quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur. l. 6. V. 1. l. 7.

12. Si hominem apud se depositum ut quaestio de eo haberetur, ac propterea vincium, vel ad malam mansionem extensum, sequester solverit, misericordia ductus, dolo proximum esse quod factum est arbitror: quia, cum sciret cui res pareretur, intempestive misericordiam exercuit, cum posset non suscipere talem causam, quam decipere. l. 7.

13. Datur actio depositi in haeredem ex dolo defuncti in solidum. Quamquam enim alias ex dolo defuncti non solemus teneri nisi pro ea parte, quae ad nos pervenit; tamen hic dolus ex contractu, reique persecutione descendit. Ideoque in solidum unus haeres tenetur: plures vero pro ea parte, qua quisque haeres est. l. 7. §. 1.

14. Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum: hoc est eorum, qui depositas pecunias, habuerunt, non quas foenore apud nummularios, vel cum nummulariis, vel per ipsos exercebant. Et ante privilegia igitur, si bona venierint, depositariorum ratio habetur; dummodo eorum qui vel postea usuras acceperunt, ratio non habeatur, quasi renuntiaverint deposito (*f*). l. 7. §. 2. V. 1. l. 24. §. 2. *de reb. auct. jud. possid.*

---

(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 1832.
(f) Aliud est enim credere, aliud deponere. l. 24. §. 2. *de re-*

15. Item quaeritur, utrum ordo spectetur eorum qui deposuerunt (g); an vero simul omnium depositariorum ratio habeatur? Et constat, simul admittendos: hoc enim rescripto principali significatur. l. 7. §. ult.

16. Quod privilegium exercetur non in ea tantum quantitate, quae in bonis argentarii, ex pecunia deposita, reperta est; sed in omnibus fraudatoris facultatibus: idque propter necessarium usum argentariorum ex utilitate publica receptum est. Plane sumptus causa (*), qui necessario factus est, semper praecedit: nam, deducto eo, bonorum calculus subduci solet. l. 8.

17. Depositum eo loco restitui debet, in quo sine dolo malo ejus est, apud quem depositum est: ubi vero depositum est, nihil interest. Eadem dicenda sunt communiter et in omnibus bonae fidei judiciis. l. 12. §. 1. (5)

18. Quemadmodum quod ex stipulatu vel ex testamento dari oporteat, post judicium acceptum cum detrimento rei periret; sic depositum quoque eo die, quo depositi actum sit, periculo ejus apud quem depositum fuerit, est, si judicii accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit. l. 12. §. ult. (6)

---

bus auctoritate judicis possidendis vel vendendis. Duperier, l. 4. q. 29. * Quid, si receptor depositorum decoquit? V. M. Domat in suo titulo *de Hypotecis.*

(g) Privilegia non ex tempore, sed ex causa aestimantur, licet diversitates temporis in his fuerint. l. 32. *de rebus auctoritate judicis possidendis vel vendendis.*

(*) Expensae pro judicio privilegiatae.

(5) » Se il contratto di deposito non indica il luogo della restituzione, questa dee farsi nello stesso luogo del deposito » *Leggi civ. art.* 1815.

(6) » Il deposito dee restituirsi al deponente appena che lo avrà domandato, ancorchè si fosse convenuto nel contratto un termine per la restituzione »

19. Si plures haeredes extiterint ei qui deposuerit, dicitur, si major pars adierit, restituendam rem praesentibus (7). Majorem autem partem non ex numero utique personarum, sed ex magnitudine portionum haereditariarum intelligendam, cautela idonea reddenda. l. 14. l. 1. §. 36. l. 8. *de pactis*.

20. Licet deponere tam plures, quam unus possunt; attamen apud sequestrem nonnisi plures deponere possunt: nam tum id fit, cum aliqua res in controversiam deducitur. Itaque hoc caso in solidum unusquisque videtur deposuisse: quod aliter est, cum rem communem plures deponunt. l. 17. V. f. l. 6. (8)

21. In bonae fidei judiciis, quod ad usuras attinet, ut tantumdem potest officium (*h*) arbitri, quantum stipulatio. l. 24.

22. (*i*) Qui pecuniam apud se non obsignatam, ut tantumdem redderet, depositam, ad usus proprios convertit, post moram in usuras quoque, judicio depositi, condemnandus est. l. 25. §. 1.

Si depositi experiaris, non immerito etiam usuras tibi restitui flagitabis: cum tibi debeat gratulari (*k*), quod furti eum actione non facias obnoxium. Si quidem qui rem depositam invito domino sciens prudens-

---

» Il depositario è tenuto per gli accidenti quando è costituito in mora, per la restituzione della cosa depositata » *Leggi civ. art.* 1816, 1801.

(7) » In caso di morte del deponente, la cosa depositata se vi sieno più eredi, dee restituirsi a ciascuno di essi la sua porzione » *Leggi civ. art.* 1811.

(8) Concorda. *Leggi civ. art.* 1828.

(h) V. l. 19 §. 4. *de neg. gestis*. l. 6 §. 1. *de pignerat act.* l. 1 §. 1 *de usur.* l. 25. §. 1. *hic*.

(i) L. 52. §. 10. l. 60. l. 67. §. 2. *pro socio*.

(k) Bono consulere debet depositarius.

que in usus suos converterit, etiam furti delicto succedit. l. 3. C. *eod.*

23. Bona fides, quae in contractibus exigitur, aequitatem summam desiderat. Sed eam utrum aestimamus ad merum jus gentium, an vero cum praeceptis civilibus et praetoriis: veluti reus capitalis judicii deposuit apud te centum, is deportatus est, bona ejus publicata sunt; utrumne ipsi haec reddenda, an in publicum deferenda sint? Si tantum naturale et gentium jus intuemur, ei, qui dedit, restituenda sunt; si civile jus, et legum ordinem, magis in publicum deferenda sunt. Nam male meritus publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet. l. 31. l. 18. *de injuriis.* (9)

24. Incurrit hic et alia inspectio: bonam fidem inter eos tantum inter quos contractum est, nullo extrinsecus adsumpto, aestimare debemus; an respectu etiam aliarum personarum, ad quas id quod geritur pertinet? exempli loco, latro spolia (quae) mihi abstulit, posuit apud Seium inscium de malitia deponentis, utrum latroni, an mihi restituere Seius debeat? Si per se dantem accipientemque intuemur, haec est bona fides, ut commissam rem recipiat is qui dedit: si totius rei aequitatem, quae ex omnibus personis, quae negotio isto contingantur, impletur, mihi reddenda sunt, quo facto scelestissimo adempta sunt. Et probo *hanc esse justitiam, quae suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personae justiore repetitione.* l. 31. §. 1. (10)

(9) Concorda. *Leggi civ. art.* 1812.

(10) » Se il depositario scopra che la cosa sia stata rubata, e chi ne sia il vero padrone, dee denunciare al medesimo il deposito

25. Si depositi a defuncto partem suam unus haeredum receperit, ac deinde, quod supererat in deposito perierit, vel casu, vel culpa depositarii, cohaeredibus non conferet, qui partem suam recepit ne industriae poenas desidiae solvat. l. ult. C. *eod.* V. l. 21. *de peculio.*

---

fatto presso di se, intimandogli di reclamarlo in un determinato e congruo termine. Se quegli cui si è fatta la denunzia, è negligente nel reclamare il deposito, il depositario è validamente liberato, consegnando il deposito a colui dal quale l'ha ricevuto » *Leggi civ. art.* 1810.

LIBER XVII.

TITULUS I.

Mandati vel contra.

SUMMARIA.

1. *Mandatum consensu, et per nuntium, vel per epistolam contrahitur.*
2. *Quibuslibet verbis mandatum consistit.*
3. *Mandatum gratuitum esse debet.*
4. *Variae mandati figurae eorum ratione quorum interest.*
5. *Ex consilio non nascitur obligatio.*
6. *Melior fieri potest conditio mandantis, non deterior.*
7. *Qui pluris emit quam mandatum est, habet actionem usque ad pretium statutum.*
8. *Fines mandati servandi sunt.*
9. *Susceptum mandatum implendum est.*
10. *Non implet mandatum qui aliud agit, licet utilius.*
11. *Mandati actionem habet qui pro sciente et volente agit, non qui pro invito.*
12. *Rei turpis nullum mandatum.*
13. *Initium spectandum.*
14. *Ubi nihil interest mandantis, cessat mandati actio.*
15. *Procurator qui mandantis pecuniam in usus suos convertit, praestat usuras.*
16. *Procurator fructus restituit, et sumptus recipit.*
17. *Impensas voluptarias non repetit procurator.*
18. *Fidejussor mandati actionem non habet, si iis exceptionibus non utatur, quibus honeste uti potuit.*

19. *Fidejussor cui creditor donavit ut a debitore recipiat, habet mandati actionem.*

20. *Qui commendat, non id agit quo qui mandat.*

21. *Qui ita rogat pra debitore ut periculum suscipiat debiti, debitoris loeo est.*

22. *Fidejussor ante diem solvens, non agit in debitarem, nisi cum dies venerit.*

23. *Qui mandatum suscepit, aut consummare debet, aut rebus integris renuntiare, aut excusationem allegare.*

24. *Morte mandatoris solvitur mandatum. Sed si ignorata morte impletum sit, est actio mandati.*

25. *Fidejussor qui dato inani nomine liberat debitorem, habet tamen actionem mandati.*

26. *Si quid damni ex casu sentiat qui mandatum exequitur.*

27. *Solvitur mandatum ejus morte cui mandatum est.*

28. *Impensas restituit qui mandavit, licet ipse fuerat minus impensurus.*

29. *Si fidejussor ignorans exceptionem, solverit, habet nihilominus actionem mandati*: Secus *si contra. Lata culpa prope dolum est.*

30. *Et debitor fidejussorem, et debitorem fidejussor monere debet, dum solvit ne his solvatur.*

31. *Non tenetur fidejussor exceptiones petere ex apicibus juris.*

32. *Priusquam solvat fidejussor agere potest, nam ejus interest ut liberetur.*

33. *Depositum et mandatum qui suscipit, periculum in se recipere potest.*

34. *A finibus certi mandati non recedendum; ubi vero incertum est ex aequo impleri debet.*

35. *Superaddita in contractibus non nocent.*

Fidejussor nonnisi post reum convenitur.

36. *Sumptus debentur procuratori, licet finem adhibere mandato, non potuerit.*

37. *Haeres mandatarii, eo mortuo exequens mandatum, dominum non obligat.*

38. *Si duobus idem mandatum est, in solidum uterque tenebitur.*

39. *Procurator praestat dolum et omnem culpam.*

40. *Litigiorum redemptores coercendi.*

1. Obligatio mandati consensu contrahentium consistit. Ideo per nuntium quoque, vel per epistolam mandatum suspici potest. (1)

2. Item, sive *rogo*, sive *volo*, sive *mando*, sive alio quocumque verbo scripserit, mandati actio est. l. 1. §. 2.

3. Mandatum, nisi gratuitum, nullum est: nam originem ex officio atque amicitia trahit. Contrarium ergo est officio merces: interveniente enim pecunia, res ad locationem et conductionem potius respicit (*). l. 1. §. ult. (2)

4. Mandatum inter nos contrahitur, sive mea tantum gratia tibi mandem; sive aliena tantum; sive mea et aliena; sive et mea tua; sive tua et aliena. Quod si tua tantum gratia tibi mandem, supervacuum est mandatum; et ob id nulla ex eo obligatio nascitur. l. 2.

5. Tua autem gratia intervenit mandatum; veluti si mandem tibi, ut pecunias tuas potius in emptiones praediorum colloces, quam foeneres; vel ex diverso,

---

(1) Concorda: *Leggi civ. art.* 1856, 1857.

(2) » Il mandato è gratuito, quando non vi sia patto in contrario » *Leggi civ. art.* 1858.

(*) *Lex 6 habet*: Si remunerandi gratia honor intervenit, erit mandati actio.

ut foeneres potius, quam in emptiones praediorum colloces: cujus generis mandatum, magis consilium est, quam mandatum; et ob id non est obligatorium, quia nemo ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei cui dabatur: quia liberum est cuique, apud se explorare, an expediat sibi consilium. l. 2. §. ult.

Si quis ea, quae procurator suus et servi gerebant, ita demum rata esse mandavit, *si interventu Sempronii gesta essent*, et male pecunia credita sit, Sempronium, qui nihil dolo fecit, non teneri. Et est verum, eum, qui non animo procuratoris intervenit, sed affectionem amicalem promisit in monendis procuratoribus et actoribus, et in regendis consilio, mandati non teneri; sed si quid dolo fecerit, non mandati; sed magis de dolo teneri. l. 10. §. 7.

6. Praeterea in causa mandati etiam illud vertitur, ut interim nec melior causa mandantis fieri possit; (a)

(a) Scilicet in mandato speciali; secus in generali.

interdum melior, deterior vero numquam. lex. 3. (3)

7. (b) Quod si pretium statui, tuque pluris emisti, quidam negaverunt te mandati habere actionem, etiam si paratus esses id, quod excedit, remittere: namque iniquum est, non esse mihi cum illo actionem, si nolit (c); illi vero, si velit, mecum esse. Sed Proculus recte eum usque ad pretium statutum acturum existimat:

---

(3) » Il mandatario è tenuto per le colpe commesse nella esecuzione del mandato. *Leggi civ. art.* 1864.

(b) V. §. 8. Inst. *mand.*

(c) Contra puto mihi actionem fore adversus procuratorem qui mandati mei fines excesserit in licitatione, si ratum habeam quod gessit, et pretium integrum offeram: praesumitur enim procurator fidem mihi habuisse, et fidem falleret si dicaret se amisse pro se ipso, quando incepit pro me mercari et liceri.

quae sententia sane benignior est. l. 3. §. ult. et l. 4.

8. Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt: nam qui excessit, aliud quid facere videtur. l. 5. (4)

9. Si susceptum (mandatum) non impleverit, tenetur, l. 5. §. 1. (5)

10. (*d*) Si mandavero tibi, *ut fundum meum centum venderes*, tuque eum nonaginta vendideris, et petam fundum; non obstabit mihi exceptio (*e*), nisi et reliquum mihi, quod deest mandatu meo, praestes, et indemnem me per omnia conserves. l. 3. §. 3.

11. Si passus sim aliquem pro me fidejubere, vel alias intervenire, mandati teneor: et nisi pro invito quis intercesserit, aut donandi animo, aut negotium gerens, erit mandati actio. l. 6. §. 2.

12. Rei turpis nullum mandatum est (*f*): et ideo hac actione non agetur. l. 6. §. 2.

13. Uniuscujusque contractus initium spectandum, et causa. l. 8.

14. Mandati actio tunc competit cum caepit interes-

---

(4) » Il mandatario non può fare cosa alcuna, oltre ciò che è contenuto nel suo mandato » *Leggi civ. art.* 1861.

(5) » Il mandatario è tenuto ad eseguire il mandato sino a che ne resta incaricato, ed è tenuto pe' danni ed interessi risultanti dal suo inadempimento. *Leggi civ: art.* 1863.

(d) Nota hoc casu is qui mandatum non dedit ad rem suam vendendam debet primo rem suam vindicare ab emptore, priusquam agat adversus procuratorem. Si vero res perierit, tunc aget adversus procuratorem, et prius exhaurire debet actionem realem quam ad principalem veniat. Alias gratificaretur cui vellet; nam nec emptor regressum haberet adversus procuratorem, nec procurator adversus emptorem. V. Duperier, l. 3. q. 1. V. l. ult. *de negotiis gestis.* l. 23. *de rebus creditis.* l. 45. §. 1. *de actionibus empti et venditi.* n. 14.

(e) Vindicanti §. 4. Paulus Is. Sen. 15. §. ult. ait. Tunc enim vindicationem dissolvi non placuit: ergo.

(f) Nec societas. l. 57. *pro socio.*

se ejus qui mandavit. Caeterum, si nihil interest, cessat mandati actio. l. 8. §. 6.

15. (*) Bonae fidei hoc congruit, ne de alieno lucrum sentiat (procurator). Quod si non exercuit pecuniam, sed ad usus suos convertit, in usuras convenietur. l. 10. §. 3. (6)

16. Labeo ait, et verum est, reputationes quoque hoc judicium admittere: et sicuti fructus cogitur restituere is qui procurat, ita sumptum, quem in fructus percipiendos fecit, deducere eum oportet. Sed etsi ad vecturas suas, dum excurrit in praedia, sumptum fecit, puto hos quoque sumptus reputare eum oportere; nisi (si) salariarius fuit, et hoc convenit, ut sumptus de suo faceret ad haec itinera, (hoc est de salario). l. 10. §. 9. (7)

17. Si quid procurator citra mandatum in voluptatem fecit, permittendum ei offerre, quod sine damno domini fiat; nisi ratione sumptus istius dominus admittit. l. 10. §. 10.

18. Si fidejussor ex sua persona omiserit exceptionem, qua reus uti non potuit, si quidem minus honestam, habere eum mandati actionem: quod si eam, qua reus uti potuit, si sciens id fecit, non habiturum mandati actionem; si modo habuit facultatem rei conveniendi, desiderandique, ut ipse susciperet potius judicium vel suo vel procuratorio nomine. l. 10 §. 12. l. 29.

(*) L. 1. §. 2. *de usuris.* l. 60. *pro socio. Lex* 12. §. 9. hoc titulo, *habet*: Nec tantum id quod impendi, verum usuras quoque consequar; et totum hoc ex bono et aequo judex arbitrabitur. l. 19. §. 4. *de negotiis gestis.*

(6) » Il mandatario dee gl' interessi delle somme che ha impiegate a proprio uso, dalla data di tal impiego » *Leggi civ. art.* 1868.

(7) Concorda. *Leggi civ. art.* 1865, 1871.

19. Si fidejussori donationis causa acceptum factum sit a creditore, puto, si fidejussorem remunerari voluit (g) creditor, habere eum mandati actionem. Multo magis si mortis causa accepto tulisset creditor, vel si eam liberationem legavit. l. 10. §. ult.

Si vero non remunerandi causa, sed principaliter donando (h), fidejussori remisit actionem, mandati eum non acturum. l. 12.

20. Cum quidam talem epistolam scripsisset amico suo, *rogo te, commendatum habeas Sextilium Crescentem amicum meum*, non obligabitur mandati; quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est. l. 12. §. 12.

21. Si, ut expectares, nec urgeres debitorem ad solutionem, mandavero tibi, ut ei des intervallum, periculoque meo pecuniam fore dicam: verum puto, omne nominis periculum debere ad mandatore pertinere l. 12. §. 14.

(g) Gotofr. ait: Remunerandi causa praesumitur fieri mortis causa donatio et legatum. gl. V. l. 9. *pro socio*.

(h) Scilicet inter vivos, sed quaenam est istius differentiae ratio? V. 5. §. 1. *Legis 12 habet*: Si quis donaturus fidejussori pro eo solverit creditori, habere fidejussorem mandati actionem. *Lex* 26 §. 3 *habet*: Si is qui fidejussori donare vult creditorem ejus habeat debitorem suum, eumque liberaverit, continuo aget fidejussor mandati quatenus nihil intersit utrum nummos solverit, creditori, an eum liberaverit. gl. ad l. 12. ait referre an creditor mihi fidejussori donet et me liberet; tunc enim agere non possum, quia mihi abest, an alius donet mihi pecuniam ut solvam creditori vel ipse pro me fidejussore solvat, tunc enim agere possum, quia solvi et creditor manualiter suum accepit. Quidam dicunt legem 12 abrogatam esse per l. 26 §. 3. l. 22 §. 5 ait: Is cujus bona publica sunt, mandare alicui potest ut ea emat, et si emerit, utilis erit mandati actio, si non praestet fidem. Quod ideo receptum est, quia publicatis bonis quidquid postea adquiritur, non sequitur fiscum. Nota: is erat tantum relegatus non deportatus, propter. l. 7 §. ult. De bonis damnatorum. l. 15. *de interdictis*. Le Bret, *de la souveraineté*. lib. 3. ch. 13 in fine. Cambo. 4, 36. V. l. 5. *de rebus dubiis*.

22. Si mandavero tibi, ut pro me in diem fidejubeas, tuque pure fidejusseris, et solveris, utilius respondebitur, interim non esse tibi mandati actionem, sed cum dies venerit. l. 22. l. 8. §. 7. *de fidejussoribus.*

Fidejussor, quamvis per errorem ante diem pecuniam solverit, petere tamen ab eo non potest: ac ne mandati quidem actionem, antequam dies solvendi veniat, cum reo habebit. l. 51.

23 Sicut liberum est, mandatum non suscipere, ita susceptum consummari oportet, nisi renunciatum sit. Renunciari autem ita potest, ut integrum jus mandatori reservetur, vel per se, vel per alium eandem rem commode explicandi, aut si redundet in eum captio qui suscepit mandatum. l. 22. §. ult.

Sane si valetudinis adversae, vel capitalium inimicitiarum, ob inanes rei actiones, seu (ob) aliam justam causam excusationes alleget, audiendus est. l. 23. l. 24. l. 25.

Qui mandatum suscepit, si potest id explere, desererere promissum officium non debet; alioquin, quanti mandatoris intersit, damnabitur. Si vero intelligit explere se id officium non posse, id ipsum, cum primum poterit, debet mandatori nunciare, ut is, si velit, alterius opera utatur. Quod, si cum possit nuntiare, cessaverit, quanti mandatoris intersit, tenebitur. Si aliqua ex causa non poterit nuntiare, securus erit. l. 27. §. 2.

24. Inter causas omittendi mandati, etiam mors mandatoris est: nam mandatum solvitur morte. Si tamen per ignorantiam impletum est, competere actionem utilitatis causa dicitur. l. 26.

Mandatum, re integra, domini morte finitur. l. 26. (8)

---

(8) » Il mandato si estingue per la morte del mandante »
» È valido ciò che fa il mandatario nel tempo in cui ignora la morte del mandante » *Leggi civ. art.* 1875; 1880.

25. Abesse intelligitur pecunia fidejussori, etiamsi debitor ab eo delegatus sit creditori, licet is solvendo non fuerit; quia bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum. l. 26. §. 2. (*b*).

Non omnia, quae impensurus non fuit (*c*), mandatori imputabit: veluti quod spoliatus sit a latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo, suorumque adprehensus, quaedam erogaverit: nam haec magis casibus, quam mandato (*a*) imputari oportet. l. 26. §. 6. (9)

27. Morte quoque ejus cui mandatum est, si is adhuc integro mandato decesserit, solvitur mandatum: et ob id haeres ejus, licet executus fuerit mandatum, non habet mandati actionem (*b*). l. 27. §. 3. (10)

28. Impendia, mandati exequendi gratia facta, si bo-

(b) V. l. 22 §. 3. et 4. *ad legem falcidiam.*

(c) L. 33. §. ult. *de administratione et periculo tutorum.*

(a) V. l. 52. §. 4. *pro socio*. V. hic Mornac. *De legatis Drocensibus*. Contra et l. 60 §. 1. eod. Cujas refert hic Joannem Andraeam doctorem Bononiensem missum fuisse a cardinali Ægidio et a concivibus suis legatum Avenionem ad summum Pontificem ibi sedentem, et eum in reditu spoliatus esset a latronibus, doctores Bonovienses censuerunt arg. hujus §. 1. damnum omne respicere Andraeam, non ad rempublicam, quia fortunae magis quam mandato imputandum erat. Contra decisum est in legatis Drocensibus adversus civitatem: cum anno 1565. missi essent ex causa universitatis Lutetiam et capti in itinere a factiosis, luitionis pretium το κοινον ut liberarentur dependissent. V. Mornac. Aliud arrestum refert in favorem Amanuensis capti ab hostibus cum a domino suo procuratore ad custodiam suburbiorum Lutetiae missus esset. * V. le Pretre, cent. 1 ch. 16. qui refert arrestum contrarium arresto Mornac, et conforme legi 26 §. 6. *mandati vel contra.*

(9) » Il mandante dee far indenne il mandatario delle perdite dal medesimo sofferte per occasione delle assunte incumbenze, quando non gli si possa imputare alcuna colpa » *Leggi civ. art.* 1872.

(b) Sed negotiorum gestorum.

(10) » Il mandato si estingue per la morte del mandatario » *Leggi civ. art.* 1875.

na fide facta sunt, restitui omnino debent: nec ad rem pertinet, quod is qui mandavit, potuisset, si negotium gereret, minus impendere. l. 27. §. 4. (11)

29. Si fidejussor conventus, cum ignoraret non fuisse debitori numeratam pecuniam, solverit ex causa fidejussionis, an mandati judicio persequi possit id, quod solverit, quaeritur? Et si quidem sciens praetermiserit exceptionem vel doli, vel non numeratae pecuniae, videtur dolo versari: dissoluta enim negligentia (c) prope dolum est. Ubi vero ignoravit, nihil quod ei imputetur. Pari ratione, et si aliqua exceptio debitori competebat, pacti forte conventi, vel cujus alterius rei, et ignarus hanc exceptionem non exercebit, dici oportet, ei mandati actionem competere: potuit enim, atque debuit, reus promittendi certiorare fidejussorem suum, ne forte ignarus solvat indebitum. l. 29. (*d*).

30. Si, cum debitor solvisset, ignarus fidejussor solverit, puto eum mandati habere actionem. Ignoscendum est enim ei, si non divinavit (e) debitorem solvisse: debitor enim debuit notum facere fidejussori, jam se solvisse, ne forte creditor obrepat, et ignorantiam ejus circumveniat, et excutiat ei summam, in quam fidejussit. Hoc idem tractari et in fidejussore potest: si cum solvisset, non certioraverit reum, sic deinde reus solvit, quod solvere eum non oportebat; et credo,

---

(11) „ Il mandante dee rimborsare al mandatario le anticipazioni e le spese che questi ha fatto per l' esecuzione del mandato. „ „ Quando non sia imputabile alcuna colpa al mandatario, non può il mandante far ridurre la somma delle spese e delle anticipazioni, col pretesto che avrebbero potuto esser minori „ *Leggi civ. art.* 1871.

(e) L. 32. *depositi vel contra.*

(d) L. 10 §. 12.

(e) Divinare nemo tenetur. D. D.

si cum posset (eum) certiorare , non fecit, oportere mandati agentem fidejussorem repelli. Dolo enim proximum est si post solutionem non denunciaverit debitori. l. 29. §. 2. et 3.

31. Quaedam tamen etsi sciens omittat fidejussor, caret fraude: ut puta, si exceptionem procuratoriam omisit, sive sciens, sive ignarus. De bona fide enim agitur, cui non congruit de apicibus juris disputare (f), sed de hoc tantum; debitor fuerit, necne. l. 29. §. 4.

32. Non absimilis illa, quae frequentissime agitari solet, fidejussor an, et prius quam solvat agere possit, ut liberetur? Nec tamen semper expectandum est, ut solvat, aut judicio accepto condemnetur (g), si diu in solutione reus cessabit, aut certe bona sua dissipabit, praesertim si domi pecuniam fidejussor non habebit, qua numerata creditori, mandati actione conveniat. l. 38. §. 1.

33. Et Aristoni, et Celso patri placuit, posse rem hac conditione deponi, mandatumque suscipi, ut res periculo ejus sit, qui depositum, vel mandatum suscepit: quod et mihi verum esse videtur. l. 39.

34. Commodissime illa forma in mandatis servanda est, ut quotiens mandatum certum sit, recedi a forma non debeat (a)(12). At quotiens incertum, vel plurium causarum, tunc licet aliis praestationibus exsoluta sit causa mandati, quam quae ipso mandato inerant, si

(f) Aspices juris.

(g) Sufficit si cui vel in paucis amici labore consulatur. l. 20. C. *de negotiis gestis* l. 10. C. h. t.

(*a*) Mandatum continet tacite quae necessaria sunt, ad implendum mandatum.

(12) „ Il mandatario non può far cosa alcuna oltre ciò ch' è contenuto nel suo mandato „ *Leggi civ. art.* 1861.

tamen hoc mandatori expedierit, mandati erit actio. l. 46.

35. Qui mutuam pecuniam dari mandavit, omisso reo promittendi, et pignoribus non distractis, eligi potest. Quod uti liceat, si litteris exprimatur, distractis quoque pignoribus, ad eum creditor redire poterit. Etenim *quae dubitationis tollendae causa contractibus inseruntur*, *jus commune non laedunt*. l. 56.

Fidejussor, vel alius intercessor, aut mandator non convenitur, nisi post reum, eo praesente: si is absit, datur tempus ut eum deducat; quo elapso solvere cogitur fidejussor, aut mandator cessis a creditore actionibus. Nov. 4. c. 1. (13)

36. Sumptus bona fide necessario factos, etsi negotio finem adhibere procurator non potuit, judicio mandati restitui necesse esse. l. 56. §. ult. (14)

37. Non oportet eum qui certi hominis fidem elegit, ob errorem, aut imperitiam haeredum, affici damno. l. 57. in fin. (15)

38. Duobus quis mandavit negotiorum administrationem: quaesitum est, an unusquisque mandati judicio in solidum teneatur? Respondi unumquemque pro solido (*b*) conveniri debere, dummodo ab utroque non amplius debito exigatur. l. 60. §. 2. (*c*). (16)

---

(13) ,, Il fidejussore non è tenuto a pagare il creditore se non in mancanza del debitor principale, il quale dee preventivamente essere escusso sopra i suoi beni ,, *Leggi civ. art.* 1893.

(14) ,, Quandò non sia imputabile alcuna colpa al mandatario, non può il mandante dispensarsi dal rimborso delle spese e delle anticipazioni che quello ha fatte per l' esecuzione del mandato, ancorchè l' affare non fosse riuscito ,, *Leggi civ. art*, 1871.

(15) ,, In caso di morte del mandatario, i suoi eredi debbono darne l' avviso al mandante, e provvedere frattanto a ciò che le circostanze richieggono per l' interesse di costui ,, *Leggi civ. art.* 1882.

(*b*) L' 47. *locati conducti.*

(*c*) L. 5. §. ult. *commodati vel contra.*

(16) ,, Quando in un solo atto si sono costituiti più procurat.

39. Procuratorem, non tantum pro his quae gessit, sed etiam pro his quae gerendo suscepit, et tam propter exactam ex mandato pecuniam, quam non exactam, tam dolum quam culpam, sumptuum ratione bona fide habita, praestare necesse est. l. 11. C. *eod.*

A procuratore dolum et omnem culpam, non etiam improvisum casum praestandum esse, juris auctoritate manifeste declaratur.

In re mandata non pecuniae solum, cujus est certissimum mandati judicium, verum etiam existimationis periculum est. Nam suae quidem quisque rei moderator atque arbiter, non omnia negotia, sed pleraque ex proprio animo facit: aliena vero negotia exacto officio geruntur; nec quicquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpa vacuum est. l. 11. C. *eod.* (17).

40 Alienarum litium redemptores (*d*) coercendi. l. 22. et l. 23. C. *eod.*

---

ri o mandatarj, non vi ha solidità fra essi se non in quanto è stata espressa „ *Leggi civ. art.* 1867.

(17) „ Il mandatario è tenuto non solamente per lo dolo, ma anche per le colpe commesse nella esecuzione del mandato „ *Leggi civ. art.* 1864.

(*d*) V. l. 5. §. 1. l. 8. et 10. *de pactis.* Le Pretre, cent. 1. c. 85. Montholon, 114. Guiet *de Hypothecis* q. 52. art. 10. tit. *de dilatiobus*, ex mandato anni 1669.

TITULUS II.

Pro socio.

SUMMARIA.

1. *Societas vel ad vitam vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione.*
2. *In societate omnium bonorum statim omnia communicantur.*
3. *In ea societate et haereditates et legata communia fiunt.*
4. *Coitur societas, re, verbis, per nuntium.*
5. *Quomodo solvatur societas.*
6. *De quibus contrahatur.*
7. *In societate facultatum in aequalitatem opera supplet.*
8. *Quod partis arbitrio conceditur, ad arbitrium boni viri redigendum est.*
9. *Indefinite contracta societas de quaestu intelligitur, non de donatione aut legato. Donationes non sine causa obveniunt.*
10. *Quasi debitum patris haeredibus.*
11. *Non venit in societatem quaestus, aes alienum, nisi quod a quaestu pendet.*
12. *Intempestive renuntiare societati non licet: cum causa licet*
13. *Renuntians, absenti lucrum communicat, donec is scierit damnum suum solus sentit: nec lucri alterius particeps erit, sed erit damni.*
14. *Socii socius, caeteris non est socius.*
15. *Non compensatur compendium quo societatem auxit socius cum damno quod admisit.*
16. *Ubi quid partiendum, aequae sint partes, nisi aliud actum sit.*

17. *Sociorum partes inaequales, pro inaequalitate vel pecuniae vel operae.*

18. *Lucri particeps socius non damni, ratione scilicet industriae et operae.*

19. *Non est lucrum nisi deducto damno, nec damnum nisi deducto lucro.*

20. *Aliud esse in societate, aliud rem habere communem.*

21. *Socii non sunt qui rem in communi emunt.*

22. *Socii haeres socius non est. Nec si convenerit ut socius esset. Si haeredes sociorum pro sociis agant, socii fiunt.*

Si haeredes sociorum pro sociis agant, socii fiunt.

23. *Haeres socii dolum et culpam praestat in rebus societatis.*

24. *Impensas recipit socius, et fructus confert.*

25. *Qui rem communem contrectant non amovere, sed suo jure uti praesumitur.*

26. *Dolum et culpam praestat socius.*

27. *Damnum fatale non praestat socius, furtum praestat.*

28. *Commune est sociis quod propter rem communem socius damnum sentit.*

29. *Quod propter damnum sibi illatum consequitur socius universorum bonorum id confert.*

30. *Quod damnum sua culpa sentit socius, non venit in judicium societatis etiam universorum bonorum.*

31. *Nulla societas nisi rei honestae.*

32. *Socii sunt qui res ita conferunt ut simul habeantur: non qui sic conferunt ut simul venditis commune fiat pretium. Primo casu res sociis perit. Secundo ei perit qui dominus erat.*

33. *Res destinatae societati, ante collationem domino perit, post collationem societati.*

34. *Societas vectigalium non solvitur morte socii, et*

transit ad haeredem, si is defuncti vices sustinere possit, et sit adscitus.

35. *Socius usuras praestat lucri quod in usus suos convertit: non ejus haeres, cum socius non sit, et possit esse ignarus an e re societatis fuerit lucrum.*

36. *Socio resarcitur damnum quod pro societate passus est.*

37. *Socius in quantum facere potest condemnetur, nam fraternitas est societas.*

38. *Haeres etsi socius non sit, damnum et lucrum partitur, quod e re societatis oriatur.*

39. *Societas solvitur personae interitu, re finita, voluntate sociorum.*

40. *Qui dolo renuntiat societati, socios a se liberat, non se a sociis: et damni particeps erit, non lucri.*

41. *Tenetur in id quod interest socius qui ideo renuntiat, ut id emat, quod erat emptura societas.*

42. *Item qui intempestive renuntiat.*

43. *Non quod socio expedit, sed quod societati spectandum cum id tractatur an intempestiva sit unius renuntiatio.*

44. *Procurator omnium bonorum potest renuntiare societati.*

45. *Morte unius solvitur societas inter omnes: sed ad haeredes transeunt quae pendent ab ante gestis.*

46. *Rei unius societas, ea finita, desinit.*

47. *Socio praestantur usurae ejus quod in rem communem de suo impendit.*

48. *Socius non alienat plus sua parte.*

49. *In societatem quaestus non veniunt haereditates, nec legata.*

50. *Socius eam diligentiam debet societati quam adhibet rebus suis.*

51. *In societatem universorum bonorum venit haereditas.*

52. *Erogata in honorem liberorum in societate omnium bonorum ex re communi sumuntur.*

53. *Cum certae personae arbitrio quid conceditur, idem est, ac si viri boni arbitrio commissum esset.*

Arbitrorum genera duo: unum ex compromisso, alterum ex placito, ut vir bonus arbitratus fuit.

54. *Inaequalitas portionum ratione operae, gratiae, pecuniae.*

55. *Pactum valet inter socios, ut de communi quisque filiae dotem constituat.*

56. *Socius socium non obligat, nisi in rem societatis versum sit.*

57. *Arbor aut lapis in confinio communis est pro modo quo fundos occupat.*

58. *Is directo obligatur cujus jussu cum alio contrahitur.*

1. Societas coiri potest vel in perpetuum, id est, dum vivunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione. l. 1.

2. In societate omnium bonorum omnes res, quae coeuntium sunt, continuo communicantur. Quia, licet specialiter traditio non interveniat, tacita tamen creditur intervenire. l. 1. §. 1. et l. 2.

3. Cum specialiter omnium bonorum societas coita est, tunc et haereditas, et legatum, et quod donatum est, aut quaqua ratione acquisitum (*a*), communioni adquiretur. l. 3, §. 1.

4. Societatem coire et re, et verbis, et per nuncium posse nos, dubium non est. lex 4.

5. Dissociamur renunciatione, morte, capitis minutione, et egestate (*b*). l. 4. §. 1. (1).

(*a*) V. l. 7 8 et 9 et nota differentiam inter societatem omnium bonorum et societatem specialiter contractam.

(*b*) L. 65. §. 1 et § 12.

(1) » La società finisce per la morte di alcuno de' socj; per

6. Societates contrahuntur sive universorum bonorum, sive negotiationis alicujus, sive vectigalis, sive etiam rei unius. l. 5. (2).

7. Societas autem coiri potest et valet etiam inter eos qui non sunt aequis facultatibus; cum plerumque pauperior opera suppleat, quantum ei per comparationem patrimonii deest. l. 1. §. 5.

8. Si societatem (mecum) coieris ea conditione, ut partes societatis constitueres, ad boni viri arbitrium ea res redigenda est: et conveniens est viri boni arbitrio, ut non utique ex aequis partibus socii simus; veluti si alter plus operae, industriae, pecuniae in societatem collaturus sit. l. 6. (c) (3).

9. (d) Coiri societatem et simpliciter licet. Et si non fuerit distinctum, videtur coita esse universorum quae ex quaestu veniunt: hoc est, si quod lucrum ex emptione, venditione, locatione, conductione, descendit. Quaestus enim intelligitur (e), qui ex opera cujusque descendit. Nec adjecit Sabinus haereditatem (f), vel legatum, vel donationes mortis causa, sive non mortis causa. Fortassis haec ideo, quia non sine causa obveniunt (g), sed ob meritum aliquod accedunt. l. 7. l. 8. l. 9. (4).

---

la condanuna a pena perpetua, e per la decozione di alcuno di essi; per la volontà espresa da uno o più socj di non voler continuare la società. » *Leggi civ. art.* 1737, §. 3. 4. 5.

(2) » Le società sono *universali*, o *particolari*. » *Leggi civ. art.* 1707.

(c) V. infra. l. 76 77 78 79. l. 29 §. 1. l. 80.

(3) » Se i socj abbiano convenuto di rimettersi all' arbitramento di uno di loro o di un terzo, per determinare le porzioni, tale arbitramento non potrà impugnarsi fuorchè nel caso che sia evidentemente contrario alla equità. *Leggi civ. art.* 1726.

(d) V. l. 45 §. 2. *de adquirenda vel omittenda haereditate.*

(e) V. l. 3 §. 1. contra.

(f) V. l. 71 §. 1. l. 73. l. 52 §. 16.

(g) V. l. 10 §. ult. *mandati vel contra.*

(4) » Il semplice contratto di società universale senza altra di-

10. A parente (*h*) quasi debitum nobis haereditas obvenit. l. 10.

11. Nec aes alienum, nisi quod ex quaestu pendebit, veniet in rationem societatis. l. 12.

12. Etsi non convenit (ne abeatur a societate) (*i*), si tamen intempestive renuncietur societati, esse pro socio actionem. Sed et si convenit, ne intra certum tempus societate abeatur, et ante tempus renuncietur, potest rationem habere renunciatio. Nec tenebitur pro socio, qui ideo renuntiavit, quia conditio quaedam, qua societas erat coita, ei non praestatur: aut quid si ita (injuriosus et) damnosus socius sit, ut non expediat eum pati? l. 14. (*k*) (5).

13. Si absenti renunciata societas sit, quoad is scierit, quod is adquisivit qui renuntiavit, in commune redigi; detrimentum autem solius ejus esse, qui renuntiaverit. Sed quod absens adquisivit, ad solum eum pertinere, detrimentum ab eo factum, commune esse. l. 17. §. 1. V. l. 65. §. 1.

14. Qui admittitur socius, ei tantum socius est, qui admisit. Et recte. Cum enim societas consensu contrahatur, socius mihi esse non potest, quem ego socius esse nolui. Quid ergo, si socius meus eum admisit? ei soli socius est. Nam socii mei socius, meus socius non est. l. 19. et l. 20. (6).

15. Non ob eam rem minus ad periculum socii per-

chiarazione non induce se non la società universale de' guadagni. » *Leggi civ. art.* 1711.

(h) Sub praetexto legitimae debitum naturale persolvitur. l. un. C. *de imponenda lucrativa descriptione*.

(i) V. l. 14 §. 2. *communi dividundo*.

(k) V. l. 65 §. 6.

(5) Concorda. *Leggi civ art.* 1741, 1743.

(6) Concorda. *Leggi civ. art.* 1733.

tinet quod negligentia ejus periisset, quod in plerisque aliis industria ejus societas aucta fuisset (*l*): et hoc ex appellatione imperator pronunciavit. Et ideo si socius quaedam negligenter in societate egisset (*m*), in plerisque autem societatem auxisset, non compensatur compendium cum negligentia, ut Marcellus scripsit. l. 25. l. 26. (7).

16. Si non fuerint partes societati adjectae, aequas eas esse constat. l. 29.

17. Si placuerit, ut quis duas partes vel tres habeat, alius unam, an valeat? placet valere: si modo aliquid plus (*n*) contulit societati vel pecuniae, vel operae, vel cujuscumque alterius rei (causa). l. 29. (8).

18. Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentia, lucrum vero commune sit, Cassius putat. Quod ita demum valebit (ut et Sabinus scribit) si tanti sit opera quanti damnum est. Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia. Item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus. l. 29. §. 1. l. 6. l. 8. (9).

19. Mucius scribit, non posse societatem coiri, ut aliam damni, aliam lucri partem socius ferat. Servius in notatis Mucii ait, nec posse societatem ita contrahi:

(l) Ista lex intelligi debet ex l. 23 §. 1 alioquin videtur injusta.

(m) V. supra l. 11. *de negotiis gestis.*

(7) » Ciascun de' socj è obbligato verso la società pe' danni cagionati alla stessa per sua colpa, senza che possa compensarli cogli utili procacciati colla sua industria in altri negozj. » *Leggi civ. art.* 1722.

(n) Alioquin id esset sine causa, et conventio non valeret.

(8) Concorda. *Leggi civ. art.* 1725.

(9) » Riguardo a colui che non abbia conferito altro che la propria industria, la sua parte ne' guadagni o nelle perdite sarà regolata come la parte di colui che nella società abbia conferito la somma minore. » *Leggi civ. art.* 1725, §. 2.

neque enim lucrum intelligitur nisi omni damno deducto; neque damnum, nisi omni lucro deducto. Sed potest coiri societas ita, ut ejus lucri quod reliquum in societate sit, omni damno deducto, pars alia feratur; et ejus damni, quod similiter relinquatur, pars alia capiatur. l. 30. (10).

20. Ut sit pro socio actio, societatem intercedere oportet: nec enim sufficit rem esse communem, nisi societas intercedit. Communiter autem res agi potest etiam citra societatem: (ut) puta cum non affectione societatis incidimus in communionem; ut evenit in re duobus legata; item si a duobus simul empta res sit; aut si haereditas, vel donatio communiter nobis obvenit; aut si a duobus separatim emimus partes eorum, non socii futuri. l. 31.

21. In ductionibus publicorum, item in emptionibus qui nolunt inter se contendere, solent per nuncium rem emere in commune; quod a societate longe remotum est. l. 33.

22. Nemo potest societatem haeredi suo sic parere, ut ipse haeres socius sit. l. 35.

Adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus, ut haeres etiam succedat societati. l. 59.

Plane si hi qui socii haeredes extiterint, animum inierint societatis in ea haereditate novo consensu; quod postea gesserint, efficitur ut in pro socio actionem deducatur. l. 37.

---

(10) » È nulla la convenzione che attribuisce ad uno de' socj la totalità de' guadagni. Lo stesso ha luogo per quella convenzione, colla quale i capitali o i beni posti in società da uno o più socj venissero esentati da qualunque contributo nelle perdite. » *Leggi civ. art.* 1727.

23. In haeredem autem socii proponitur actio ut bonam fidem praestet; et acti etiam culpam quam is praestaret in cujus locum successit, licet socius non sit. l. 35. et l. 36.

Haeres socii, quamvis socius non est, tamen ea quae per defunctum inchoata sunt, per haeredem explicari debent: in quibus dolus ejus admitti potest. l. 40.

24. Si tecum societas mihi sit, et res ex societate communes, quam impensam in eas fecero, quosve fructus ex his rebus coeperis, vel pro socio, vel communi dividundo me consecuturum. l. 38. §. 1. l. 52. §. 15. (11).

25. Merito adjectum est, ita demum furti actionem esse, si per fallaciam, et dolo malo amovit (socius); quia, cum sine dolo malo fecit, furti non tenetur. Et sane plerumque credendum est, eum qui partis dominus est (o), jure potius suo (re) uti (p), quam furti consilium inire. l. 51.

26. Venit autem in hoc judicium pro socio bona fides. Utrum ergo tantum dolum, an etiam culpam praestare socium oporteat, quaeritur? et Celsus ita scripsit: socio inter se dolum et culpam praestare oportet. Si in coeunda societate, inquit, artem operamve pollicitus est alter, veluti cum pecus in commune pascendum, aut agrum politori (q) damus in commune quaerendis fructibus; nimirum ibi etiam culpa praestanda est. l. 52. §. 1. et 2. (12).

---

(11) Concorda. *Leggi civ. art.* 1719, 1724.

(o) V. l. 1. *de actione rerum amotarum.* l. 78. *de acquirenda vel omittenda haereditate.*

(p) Quia fraudis praesumptio excluditur meliori praesumptione. *Dargentré.*

(q) Id est, colono partiario. Gotofr.

(12) » Ciascun de' socj è obbligato verso la società pe' danni cagionati alla stessa per sua colpa. » *Leggi civ. art.* 1722.

27. Damna quae imprudentibus accidunt, hoc est, damna fatalia, socii non cogentur praestare. Ideoque si pecus aestimatum datum sit, et id latrocinio aut incendio perierit, commune damnum est, si nihil dolo aut culpa acciderit ejus qui aestimatum pecus acceperit. Quod si a furibus subreptum sit (r), proprium ejus detrimentum est: quia custodiam praestare debuit qui aestimatum accepit. Haec vera sunt, et pro socio erit actio; si modo societatis contrahendae causa pascenda data sunt, quamvis aestimata (s). l. 52. §. 3.

28. Quidam sagariam (t) negotiationem coierunt. Alter ex his ad merces comparandas profectus in latrones incidit, (suamque) pecuniam perdidit, servi ejus vulnerati sunt, resque proprias perdidit; Julianus dicit damnum esse commune: ideoque actioni pro socio damni partem dimidiam agnoscere debere, tam pecuniae, quam rerum caeterarum, quas secum non tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas proficisceretur. Sed et si quid in medicos impensum est (u), pro parte socium agnoscere debere, rectissime Julianus probat. Proinde et si naufragio quid periit, cum non alias merces quam navi solerent advehi, damnum ambo sentient. Nam sicuti lucrum (x), ita dam-

---

(r) Nota discrimen latrocinii et furti. V. l. 6. C. *de pigneratitia actione.*

(s) V. hic. l. 52 §. 4 et Cujac. ad l. 67 ubi ait: Si tres sint socii, et primus praestiterit pro societate 300, secundus sit non solvendo; primus a tertio consequetur 150, et quisque secundi inopiam pro sua parte feret.

(t) Sagum, vestis militaris, chlamys.

(u) V. contra l. 26 §. 6. *mandati vel contra.* Cujac. ad l. 26 §. 6 ait, diversam esse rationem mandati et societatis: damnum in societate commune est, quia lucri et damni societas est; at mandatarius ea tantum reputat sine quibus mandatum exsequi non potuit.

(x) *l.* 60 §. 1 l. 61. *hic.*

num quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contingit. l. 52. §. 4.

29. Socium, universa in societatem conferre debere, Neratius ait, si omnium bonorum socius sit. Et ideo, sive ob injuriam sibi factam, vel ex lege Aquilia, sive ipsius sive filii corpori nocitum sit, conferre debere, respondit. l. 52. §. 16. V. l. 7. 8. 9.

30. Per contrarium quoque apud veteres tractatur, an socius omnium bonorum, si quid ob injuriarum actionem damnatus praestiterit, ex communi consequatur, ut praestet? Et Atilicinus, Sabinus, Cassius responderunt: si injuria judicis damnatus sit, consecuturum: si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. Cui congruit, quod Servium respondisse, Ausilius refert, si socii bonorum fuerint, deinde unus, cum ad judicium non adesset (y), damnatus sit, non debere eum de communi di consequi: si vero praesens injuriam (z) judicis passus sit, de communi sarciendum. l. 52. §. ult.

31. Si maleficii societas coita sit, constat, nullam esse societetem. Generaliter enim traditur (a), rerum inhonestarum nullam esse societatem. l. 57.

32. Si id quod quis in societatem contulit, extinctum sit, videndum, an pro socio agere possit? Tractatum ita est apud Celsum ad epistolam Cornelii Felicis: cum tres equos haberes, et ego unum, societatem coimus, ut accepto equo meo quadrigam venderes, et ex pretio quartam mihi redderes. Si igitur ante venditionem equus

(y) L. 55. *de evictionibus*, *et duplae stipulatione*. l. 20. *communi dividundo*.
(z) L. 5 et 51 *de evictionibus et duplae stipulatione*.
(a) Nec mandatum. l. 6 §. 3. *mandati vel contra*.

meus mortuus sit, non putare se Celsus ait, societatem manere, nec ex pretio equorum tuorum partem deberi; non enim habandae quadrigae, sed vendendae coitam societatem. Caeterum si id actum dicatur ut quadriga fieret, eaque communicaretur, tuque in ea tres partes haberes, ego quartam, non dubie adhuc socii sumus. l. 58.

33. Celsus tractat, si pecuniam contulissemus ad mercem emendam, et mea pecunia periisset, cui perierit ea? Et ait: si post collationem evenit, ut pecunia periret, quod non fieret, nisi societas coita esset, utrique perire: ut puta si pecunia, cum peregre portaretur ad mercem emendam, periit: si vero ante collationem posteaquam eam destinasses tunc perierit, nihil eo nomine consequeris, inquit; quia non societati periit. l. 58. §. 1. (13).

34. In privatis societatibus (*b*) (morte socii solvitur societas): at in societate vectigalium nihilominus manet societas, et post mortem alicujus; sed ita demum, si pars defuncti ad personam haeredis ejus adscripta sit (*c*), ut haeredi quoque conferri oporteat. Quod ipsum ex causa aestimandum est: quid enim si is mortuus sit, propter cujus operam maxime societas coita sit? aut sine quo societas administrari non possit? l. 59.

Circa societates vectigalium caeterorumque idem observamus, ut haeres socius non sit, nisi fuerit adscitus. l. 63. §. 8.

---

(13) Concordia. *Leggi civ. art.* 1723, §. 2.

(b) V. l. 63 §. 8 et Burnemannum, *de vectigal.* c. 9.

(c) *Adscripta*. *adscitus*. Quid? an istud intelligitur post mortem socii, an vero in contractu ipso societatis? Duperier, l. 2 q. 6 putat, id referri ad contractum societatis: alioquin nil differret societas privata a societate vectigalium. Item societate unius rei faciendae durat societas. l. 65. §. 2. Duperier, ibidem.

35. Socium, qui in eo, quod ex societate lucri faceret, reddendo moram adhibuit cum ea pecunia ipse usus sit, usuras quoque (eum) praestare debere Labeo ait: sed non quasi usuras, sed quod socii intersit, moram eum non adhibuisse (*d*). Sed si aut usus ea pecunia non sit, aut moram non fecerit, contra esse. Item post mortem socii nullam talem aestimationem ex facto haeredis faciendam; quia morte socii dirimitur societas. l. 60. (14).

36. (*e*) Socius cum resistere communibus servis venalibus ad fugam erumpentibus, vulneratus est: impensam, quam in curando se fecerit, non consecuturum pro socio actione, Labeo ait: quia id non in societatem (*f*), quamvis propter societatem impensum sit; sicuti si propter societatem eum haeredem quis instituere desiisset, aut legatum praetermisisset, aut patrimonium suum negligentius administrasset: nam nec compendium, quod propter societatem ei contigisset, veniret in medium, veluti si propter societatem haeres fuisset institutus, aut quid ei donatum esset. Secundum Julianum tamen, et quod medicis pro se datum est recipere potest (*g*). Quod verum est. l. 60. §. 1. et l. 61.

(d) V. l. 1 §. 1. *de usuris*. l. 67 §. 2. *pro socio*. l. 52 §. 10 eod. l. 24. *depositi vel contra*. l. 19 §. 4. *de negotiis gestis*. l. 6 §. 1. *de pigneratitia actione*. l. 10 §. *mandati vel contra*.

(14) » Il socio che avesse prese dalla cassa sociale delle somme, resta *ipso jure* e senza bisongo d'istanza, debtitore degl' interessi, i quali decorrono dal giorno che le ha ritirate per suo particolare vantaggio. *Leggi civ. art.* 1718.

(e) Distinguendum est inter causam et occasionem, in l. 52 §. 4. Societas est causa damni. Item distinguendum est inter causam proximam et remotam. * *Lex 1 de rivis habet*: Id ex occasione magis quam ex jure contingit.

(f) L. 26 §. 6. *mandati vel contra*.

(g) Unde lex 60 §. 1 corrigitur per l. 60 et sententia Juliani praevaluit sententiae Labeonis, et sic observatur et observari vidi pluries in curia subsidiorum. l. 52. §. 4.

37. Verum est quod Sabino videtur: etiamsi non universorum bonorum socii sunt, sed unius rei, attamen in id quod facere possunt, quodve dolo malo fecerint, quominus possint, condemnari oportere. Hoc enim summam rationem habet, cum societas jus quodammodo fraternitatis (*) in se habeat. l. 63.

38. In haeredem quoque socii pro socio actio competit, quamvis haeres socius non sit: licet enim socius non sit, attamen emolumenti successor est. Et circa societates vectigalium, caeterorumque idem observamus, ut haere socius non sit, nisi fuerit adscitus, verumtamen omne emolumentum societatis ad eum pertineat; simili modo et damnum agnoscat, quod contingit (*h*), sive adhuc vivo socio vectigalis, sive postea. Quod non similiter in voluntaria societate observatur. l. 63. §. 8.

Si in rem certam emendam, conducendamve coita si societas, tunc etiam post alicujus mortem quidquid lucri detrimentive factum sit, commune esse Labeo ait. l. 65. §. 2. (15).

39. Societas solvitur ex personis, ex rebus; ex voluntate ex actione. l. 63. §. ult.

Idioque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit: distrahi videtur societas. Intereunt autem homines quidem maxima aut media capitis deminutione, aut morte. Res vero cum aut nullae relinquantur, aut conditionem mutaverint: neque (enim) ejus rei quae jam nulla sit, quisquam socius est; neque ejus quae consecrata, publicatave sit. Voluntate distrahitur societas

(*) Et inde nulla obligatio per corpus inter associatos.

(h) L. 63 §. 9. Societas non est voluntaria cum haerede socii, sed haereditaria, ut ait Cic. seu potius communio necessaria cum haerede. Gotofr.

(15) Concorda. *Leggi civ. art.* 1740.

renunciatione. Itaque cum separatim socii agere coeperint (*i*), et unusquisque eorum sibi negotietur, sine dubio jus societatis dissolvitur. d. §. ult. et l. 64. (16).

40. Diximus, dissensu solvi societatem: hoc ita est, si omnes dissentiunt. Quid ergo, si unus renuntiet? Cassius scripsit, eum qui renuntiaverit societati, a se quidem liberare socios suos, se autem ab illis non liberare. Quod utique observandum est, si dolo malo (*k*) renunciatio facta sit: veluti si, cum omnium bonorum societatem inissemus, deinde cum obvenisset uni haereditas, propter hoc renunciavit. Ideoque si quidem damnum attulerit haereditas, hoc ad eum qui renunciavit, pertinebit; commodum autem communicare cogetur actione pro socio. Quod si quid post renunciationem adquisierit, non erit communicandum: quia nec dolus admissus est in eo (*l*). l. 65. §. 3.

Item, qui societatem in tempus coit, eam ante tempus renuntiando, socium a se, non se a socio liberat. Itaque, si quid compendii postea factum erit, ejus partem non fert: at si dispendium, aeque praestabit porcionem, nisi renuntiatio ex necessitate (*m*) quadam fa-

(i) Renuntiatio tacita et mutua.

(16) » La società finisce

1. per lo spirare del tempo pel quale fu contratta;

2. per la estinzione della cosa, o pel compimento della negoziazione.;

3. per la morte di alcuno de' socj;

4. per la condanna a pena perpetua, per la interdizione, e per la decozione di alcuno di essi;

5. per la volontà espressa da uno ò più socj di non voler continuare la società. » *Leggi civ. art.* 1737.

(k) Idem licet sine dolo renuntiaverint, sufficit etiamsi absenti. l. 17 §. 1.

(l) Poena non egreditur dolum.

(m) Verbi gratia, si socius promissa non praestet: si sit inju-

-cta sit. Quod si tempus finitum est, liberum est recedere: quia sine dolo malo id fiat. d. l. §. 6.

41. Item, si societatem ineamus ad aliquam rem emendam, deinde solus volueris eam emere, ideoque renunciaveris societati, ut solus emeres; teneberis quanti interest mea. Sed si ideo renuntiaveris, quia emptio tibi displicebat, non teneberis, quamvis ego emero: quia hic nulla fraus est. Eaque et Juliano placent. l. 65. §. 4. (17).

42. Labeo autem Posteriorum libris scripsit: si renunciaverit societati unus ex sociis eo tempore, quo interfuit socii non dirimi societatem, committere eum in pro socio actione. Nam si emimus mancipia, inita societate, deinde renunties mihi eo tempore quo vendere mancipia non expedit; hoc casu, quia deteriorem causam meam facis, teneri te pro socio judicio. l. 65. §. 5.

43. Non id, quod privatim interest unius ex sociis, servari solet, sed quod societati expedit. l. 65. §. 5. in f. l. 21. *communi dividundo* (18).

44. Renunciare societati etiam per alios possumus. Et ideo dictum est, procuratorem quoque posse renunciare societati. Sed utrum de eo dictum sit, cui omnium bonorum administratio concessa est, an de eo cui hoc ipsum nominatim mandatum est, videamus; an vero per utrumque recte renuntietur? Quod est verius, nisi (si) prohibuerit eum dominus specialiter renunciare. l. 65. §. 7.

---

riosus, damnosus l. 14. Si renuntians matrimonium contraxerit, aut pater ei mortuus sit. Bar. Gotofr.

(17) La rinunzia non è di buona fede quando il socio rinunzia per appropriarsi egli solo il guadagno che i socj si avean proposto di ritrarre in comune. » *Leggi civ. art.* 1742.

(18) » La rinunzia è fatta fuori di tempo, quando le cose non sono più nella loro integrità, e l'interesse della società esige che ne venga differito lo scioglimento. » *Leggi civ. art.* 1742, §. 2.

45. Morte unius societas dissolvitur, et si consensu omnium coita sit, plures vero supersint; nisi in coeunda societate aliter convenerit (n): nec haeres socii succedit. Sed quod ex communi postea quaesitum est, item dolus et culpa in eo, quod ex ante gesto pendet, tam ab haerede, quam haeredi praestandum est. l. 65. §. 9. (19).

46. Si alicujus rei societas sit, et finis negotio impositus, finitur societas. l. 65. §. 10. (20)

47. Si quid unus ex sociis necessario de suo impendit (*) in communi negotio, judicio societatis servabit; et usuras. l. 67. §. 2. (21)

48. Nemo ex sociis plus parte sua potest alienare, etsi totorum bonorum socii sint. l. 68.

49. Duo colliberti societatem coierunt *lucri*, *quaestus*, *compendii*: postea unus ex his a patrono haeres institutus est; alteri legatum datum est. Neutrum horum in medium referre debere respondit. l. 71. §. 1. V. l. 3. §. 1. l. 7. 8. 9.

50. Socius socio etiam culpae nomine tenetur: id est desidiae, atque negligentiae. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit etenim talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem rebus suis adhibere solet: quia qui parum diligentem sibi socium adquirit, de se queri debet. l. 72.

(n) Quid enim si is decessit propter cujus operam maxime societas coita sit? l. 59. l. 61. §. 8.

(19) Concorda. *Leggi civ. art.* 1740.

(20) » La società finisce pel compimento della negoziazione » *Leggi civ. art.* 1737, §. 2.

(*) Ratio, quia cum plus contribuerit in fundum communem, plus utilitatis debet percipere. V. s. l. 60. l. 1. §. 1. *de usuris*. V. l. 52. §. 10. eod.

(21) Concorda. *Leggi civ. art.* 1724.

51. Si societatem universarum fortunarum coierint, id est, earum quoque rerum, quae postea cuique acquirentur, haereditatem cuivis eorum delatam, in commune redigendam. l. 73. V. l. 71. §. 1. l. 3. §. 1. l. 7. 8. 9. (22)

52. Si societatem universarum fortunarum ita coierint, *ut quidquid erogaretur vel quaereretur, communis lucri atque impendii esset*: ea quoque, quae in honorem alterius liberorum erogata sint, utrinque imputanda. l. 73. §. 1.

53. Societatem mecum coisti ea conditione, ut *Nerva amicus communis partem societatis constitueret*: Nerva constituit, *ut tu ex triente socius esses, ego ex besse*. Quaeris, utrum ratum id jure societatis sit, an nihilominus ex aequis partibus socii simus? Existimo autem melius te quaesiturum fuisse, utrum ex his partibus socii essemus, quas is constituisset, an ex his, quas virum bonum constituere oportuisset: *Arbitrorum enim genera sunt duo*: unum ejusmodi, ut sive aequum sit, sive iniquum, parere debeamus; quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrum itum est: alterum ejusmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi (o) debeat, etsi nominatim persona sit comprehensa, cujus arbitratu fiat; veluti cum lege locationis comprehensum est, ut opus arbitrio locatoris fiat. In proposita autem quaestione, arbitrium viri boni existimo sequendum esse: eo magis, quod judicium pro socio bonae fidei est.

Unde si Nervae arbitrium ita pravum est (*p*), ut ma-

(22) » Contra » I beni che le parti potranno acquistare per successione, donazione, o legato non entrano in questa società se non per goderne l'usufrutto: ogni stipulazione che tenda a render commune la proprietà di tali beni, è vietata » *Leggi civ. art.* 1709.

(o) V. l. 30. *de operis libertorum.*

(p) V. l. 24. *locati conducti*, et l. 43. 44. *de verborum obligationibus.*

nifesta iniquitas ejus appareat, corrigi potest per judicium bonae fidei. l. 76. 77. 78. et 79. (q). (23)

54. Illud potest conveniens esse viri boni arbitrio, ut non utique ex aequis partibus socii simus: veluti si alter plus operae, industriae, gratiae, pecuniae, in societatem collaturus erat. l. 80. l. 6. l. 29. §. 1. (24)

55. Si convenisset inter socios, ut de communi dos constitueretur, dixi pactum non esse iniquum; utique si non de alterius tantum filia convenit (r): nam si commune hoc pactum fuit, non interesse quod alter solus filiam habuit. l. 81. (s).

56. Jure societatis per socium aere alieno socius non obligatur (*): nisi in communem arcam pecuniae versae sunt. l. 82.

V. l. 14. ff. *de pact.* (t).

(q) V. l. 6. f.

(23) » Se i socj abbiano convenuto di rimettersi all' arbitramento di uno di loro, o di un terzo, per determinare le porzioni, tale arbitramento non potrà impugnarsi, fuorchè nel caso che sia evidentemente contrario alla equità » *Leggi civ. art.* 1726.

(24) » Quando la scrittura di società non determina la parte di ciascun socio ne' guadagni o nelle perdite, tal parte sarà in proporzione di quello che ciascuno ha conferito nel fondo della società.»

» Riguardo a colui che non abbia conferito altro che la propria industria, la sua parte ne' guadagni o nelle perdite sarà regolata come la parte di colui che nella società abbia conferito la somma minore » *Leggi civ. art.* 1725.

(r) Nisi is plus societati conferret. l. 80.

(s) L. 73. §. 3. h.

(*) Quid, *in regionibus, in quibus cognati, qui simul cohabitant per annum et diem sunt communes? Creditores unius possint contra alterum agere? alter ergo alterum evertere poterit?* Cujas ad h. l. 82. ait: secundum socium qui pecunias non accepit, nullo modo teneri creditori, quia cum eo non contraxit. l. 13. Si certum petatur. Licet pecunia in communem arcam versa sit; sed hoc dici in lege secundum non teneri etiam erga primum, si pecunia versa non sit in rem communem.

(t) Quae ait: Item magistro societatum pactum et prodesse et

57. Illud quaerendum est: arbor, quae in confinio nata est; item lapis, qui per utrumque fundum extenditur, an cum succisa arbor est, vel lapis exemptus, (ejus sit,) cujus fundus: pro ea quoque parte singulorum esse debeat, pro qua parte in fundo fuerat? an qua ratione duabus massis duorum dominorum flatis, tota massa communis est, ita arbor hoc ipso, quo separatur a solo, propriamque substantiam in unum corpus redactam accipit, multo magis pro indiviso communis fit, quam massa? Sed naturali convenit ratione, et postea tantam partem utrumque habere, tam in lapide, quam in arbore, quantam et in terra habebat. l. 83. l. 19. *communi dividundo.*

58. Quoties jussu alcicujus, vel cum filio ejus, vel cum extraneo societas coitur: directo cum ilius persona agi posse, cujus persona in contrahenda societate spectata sit. l. ult.

---

obesse constat. Quis autem dicatur magister. V. l. 57. *de verborum significatione.*

LIBER XVIII.

TITULUS I.

De contrahenda emptione, et de pactis inter emptorem et venditorem compositis: et quae res venire non possunt.

SUMMARIA.

1. *Emptio a permutatione coepit. invento nummo.*
2. *In venditione aliud merx, aliud pretium, non in permutatione.*
3. *Consensu perficitur venditio: ea quae sine pretio nulla est.*
4. *Aliud sub conditione distrahere, aliud sub conditione factam venditionem risolvere*
5. *Quorum non est commercium, emi non possunt.*
6. *In contractibus potius quod actum quam quod dictum sequendum est.*
7. *Aliud ignotum, aliud incertum.*
8. *Spei venditio est, ut cum emitur jactus retis.*
9. *Nihil nocet error de nomine, si de re constet.*
10. *Res vendita fit ementis, pretio soluto aut dato satis.*
11. *Si rem cum opera praestet artifex, venditio est; aliud si caementa praestat architectus, quia is non dat fundum.*
12. *Venditoris obscura enuntiatio ipsi nocet.*
13. *Vendentis alterutrum electio est.*
14. *Bona fide emit qui venditorem dominum putat.*
15. *Rei alienae venditio est.*
16. *Tabernarum in solo publico jus in commercio est, non ipsum solum.*

17. *Saepe propter accessione res emuntur.*
18. *Ea solum veneunt quorum commercium fit.*
19. *Non licet tristem exitum expectare.*
20. *Qui metitur jam emit, qui gustat nondum emit.*
21. *Alterutro vendito, si alterum perierit, alterum venditum est.*
22. *Arrhae probant venditionem.*
Arrhas amittit emptor, duplicata reddit venditor, si venditioni non esset.
23. *In custodienda re vendita, dolum et culpam praestat venditor.*
24. *Venditio vini, olei, et similium, si per aversionem fiat, statim consensu perficitur: si ad mensuram, aut pondus, ubi admensa, vel adpensa sint.*
25. *Ante mensuram vel pondus periculum ad venditorem pertinet.*
26. *Interest quid commendandi causa dicat, quid de re affirmet, ne pluris vendat.*
27. *Si vitium appareat, sibi emptor imputet.*
28. *Dolus est vel obscure loqui, vel obscure dissimulare.*
29. *De ipsa re tenetur venditor qui vitium ignoravit, qui scivit, etiam de damno.*
30. *Quae emptiones illicitae his qui provincias administrant.*
31. *Aquae ductus praedio vendito accedit.*
32. *Non ex levi causa solvitur venditio.*
33. *Post emptionem res emptori perit, licet ei tradita non sit.*
34. *Locatio est cum in re non mutata nec alienata quid fit: venditio, cum materia mutatur, et alienatur.*
35. *Quaedam insunt contractibus, etsi non dicantur, quaedam non, nisi dicantur.*
36. *Dolus est fundo debitam servitutem reticere.*

37. *Talis res venditur qualis erat apud venditorem, nisi aliud actum sit.*

38. *Quo pretio quis velit, qua mensura, emit, aut vendit.*

39. *Fundo cohaerentia venditione accedunt.*

40. *Exceptiones et possessiones venditoris ad emptorem transeunt.*

41. *Vim tempestatis qui praestare promisit, praestabit immoderatam.*

42. *Sic vendi potest, ut refuso pretio res empta venditori restituatur.*

43. *Non ejus fit rendita cujus pecunia in pretium venditori numeratur.*

1. Origo emendi vendendique a permutationibus coepit. Olim enim non ita erat nummus; neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat. Quando plerumque evenit, ut, quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles; electa materia est, cujus publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum, aequalitate quantitatis subveniret. Ea (que) materia forma publica percussa, usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate. Nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur. l. 1.

2. Aliud est vendere, aliud emere; alius emptor, alius venditor: sic aliud est pretium, aliud merx; quod in permutatione discerni non potest, uter emptor, uter venditor sit. l. 1. §. 1. in fine.

3. Sine pretio nulla venditio est. Non autem pretii

numeratio, sed conventio perficit sine scriptis habitam emptionem. l. 2 §. 1.

Emptionem rebus fieri non posse pridem placuit. l. pen. C. *de rer. perm.* (1)

4. (a) Si res ita distracta sit; ut, si displicuisset, inempta esset; constat, non esse sub conditione distractam, sed resolvi emptionem sub condizione. l. 3. (2)

5. Sacra et religiosa loca, aut quorum commercium non sit, ut publica, quae non in pecunia populi, sed in publico usu habeantur, ut est Campus Martius, (emi non possunt). l. 6. (3)

6. In emptis et venditis potius id quod actum, quam id, quod dictum sit, sequendum est. l. 6. §. 1.

7. Hujusmodi emptio, *quanti tu eum emisti*, *quantum pretii in arca habeo*, valet. Nec enim incertum est pretium tam evidenti venditione: magis enim ignoratur quanti emptus sit, quam in rei veritate incertum est. l. 7. §. 1.

8. Aliquando et sine re venditio intelligitur, veluti cum quasi alea emitur: quod fit cum captus piscium, vel avium, vel missilium emitur. Emptio enim contrahitur, etiamsi nihil inciderit: quia spei emptio est. Et quod missilium nomine eo casu captum est, si evictum fuerit, nulla eo nomine ex empto obligatio contrahitur, quia id actum intelligitur. l. 8. §. 1.

(a) L. 2. *de in diem addictione*. l. 1. 2. 3. *de lege commissoria*.

(1) » La vendita è perfetta fra le parti, e la proprietà si acquista di diritto dal compratore riguardo al venditore, appena che si è convenuto della cosa e del prezzo, quantunque non sia seguita ancora la tradizione della cosa, nè sia pagato il prezzo « *Leggi civ. art.* 1428.

(2) » La vendita può farsi sotto condizione sospensiva e risolutiva « *Leggi civ. art.* 1429.

(3) Concorda. *Leggi civ. art.* 1443.

9. Si in nomine dissentiamus, verum. de corpore constet, nulla dubitatio est quin valeat emptio et venditio; nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat. l. 9. §. 1.

10. Quod vendidi, non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerimus emptori, sine ulla satisfactione. l. 19. (4)

V. l. 53. *eod.*

11. Sabinus respondit: si quam rem nobis fieri velimus (etiam), veluti statuam, vel vas aliquod, seu vestem, ut nihil aliud, quam pecuniam, daremus; emptionem videri. Nec posse ullam locationem esse, ubi corpus ipsum non detur ab eo, cui id fieret. Aliter atque si aream darem, ubi insulam aedificares; quoniam tunc a me substantia proficiscitur. l. 20. l. 65.

V. l. 2. §. 1. ff. *loc.*

12. Labeo scripsit, obscuritatem pacti (*b*) nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quam emptori; quia potuit, re integra, apertius dicere. l. 21.

Cum in lege venditionis ita sit scriptum, *flumina*, *stillicidia*, *uti nunc sunt*, *ut ita sint*, nec additur quae flumina vel stillicidia: primum spectari oportet, quid acti sit; si non id appareat, tunc id accipitur, quod venditori nocet: ambigua enim oratio est. l. 33 (*c*).

V. l. 39. ff. *de pact.* l. 172. ff. *de reg. jur.* l. 69. §. 5. ff. *de evict.* (5)

---

(4) » La proprietà si acquista di dritto dal compratore, appena che si è convenuto della cosa e del prezzo, quantunque non sià pagato il prezzo. — Se il compratore non paga il prezzo, il venditore può domandare che la vendita sia disciolta » *Leggi civ. art.* 1428, 1500.

(b) V. l. 39. *de actione empti et venditi.*

(c) L. 99. *de verborum obligationibus.*

(5) » Ogni patto oscuro o ambiguo s' interpreta contra il venditore » *Leggi civ. art.* 1448.

13. Si ita distrahatur *illa aut illa res*, utram eliget venditor, haec erit empta. l. 25.

V. l. 109. ff. *de verb. obl.* l. 10. in fine. ff. *de jur. dot.*

14. Qui a quolibet rem emit, quam putat ipsius esse, bona fide emit. l. 27.

15. Rem alienam distrahere (d) quem posse, nulla dubitatio est: nam emptio est et venditio; sed res emptori auferri potest. l. 28. (6)

16. Qui tabernas argentarias, vel caeteras quae in solo publico sunt, vendit, non solum, sed jus vendit (*): cum istae tabernae publicae sunt, quarum usus ad privatos pertinet. l. 32.

17. Plerasque res aliquando propter accessiones emimus: sicut cum domus propter marmora, et statuas, et tabulas pictas ematur. l. 34.

18. Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio recte fit. Quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio est. l. 34. §. 1. (7)

19. Liberum hominem scientes emere non possumus. Sed nec talis emptio, aut stipulatio admittenda est, *cum servus erit*, quamvis dixerimus, futuras res emi posse. Nec enim fas est hujusmodi casus expectare (e). l. 34. §. 2.

20. Alia causa est degustandi, alia metiendi. Gustus

(d) Possessio sufficit ad venditionem contrahendam: nec proprietas requiritur, idque promiscui usus causa.

(6) » La vendita della cosa altrui è nulla » *Leggi civ. art.* 1444.

(*) Idem de scapha quae molendinum fert cum jure se alligandi.

(7) Si può vendere tutto ciò che è in commercio, quando leggi particolari non ne abbiano vietata l' alienazione » *Leggi civ. art.* 1443.

(e) L. 83. §. 5. *de verborum obligationibus.*

enim ad hoc proficit, ut improbare liceat; mensura vero non eo proficit ut aut plus, aut minus veneat, sed ut appareat, quantum ematur. l. 34. §. 5.

21. Si emptio ita facta fuerit, *est mihi emptus Stichus aut Pamphilus*, in potestate est venditori, quem velit dare, sicut in stipulationibus. Sed uno mortuo, qui superest, dandus est: et ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed etsi pariter decesserunt, pretium debebitur; unus enim utique periculo emptoris vixit. Idem dicendum est, etiamsi emptoris fuit arbitrium, quem vellet habere. l. 34. §. 6. l. 22.

22. Quod saepe arrhae nomine pro emptione datur, non eo pertinet, quasi sine arrha conventio nihil proficiat; sed ut evidentius probari possit, convenisse de pretio. l. 35.

Qui vendere pollicitus est, venditionem recusans, in duplum eas reddere cogatur: et qui emere pactus est, ab emptione recedens, datis a se arrhis cadat, repetitione earum deneganda. l. 17. in fine. C. *de fid. inst.* (8).

23. Si res vendita per furtum perierit, prius animadvertendum erit, quid inter eos de custodia rei convenerat: si nihil appareat convenisse, talis custodia desideranda est a venditore, qualem bonus paterfamilias suis rebus adhibet. Quam si praestiterit, et tamen rem perdidit, securus esse debet. l. 35. §. 4.

Custodiam autem venditor talem praestare debet quam

(8) » Se la promessa di vendere siasi fatta con caparra, ciascun de' contraenti è in libertà di recedere dal contratto; quegli che l' ha data, perdendola, e quegli che l' ha ricevuta, restituendo il doppio » *Leggi civ.* art. 1435.

praestant hi quibus res commodata est, ut diligentiam praestet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet. l. 3. ff. *de per. et com. rei vend.*

Si venditor eam diligentiam adhibuisset, in insula custodienda, quam debent homines frugi et diligentes praestare, si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit. l. 11. *eod.*

Dolum et culpam (recipiunt) mandatum, commodatum, venditum. l. 23. ff. *de reg. jur.*

Ubi utriusque utilitas vertitur, ut in empto . . . . et dolus, et culpa praestatur. l. 5. §. 2. ff. *commod.* (9)

24. Si omne vinum, vel oleum, vel frumentum, vel argentum, quantumcumque esset, uno pretio venierit, idem juris est, quod in caeteris rebus. Quod si vinum ita venierit, ut in singulas amphoras: item oleum, ut in singulas metretas: item frumentum, ut in singulos modios: item argentum, ut in singulas libras certum pretium diceretur; quaeritur, quando videatur emptio perfici? Quod similiter scilicet quaeritur et de his, quae numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum. Sabinus et Cassius tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata, admensa, adpensave sint: quia venditio quasi sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos, quasve, admensus eris; aut in singulas libras quas adpenderis; aut in singula corpora quae adnumeraveris. l. 35. §. 5. (10).

---

(9) Concorda. *Leggi civ.* 1470, 1091.

(10) » Quando si vendono delle mercanzie non in massa, ma a peso, numero, o misura, la vendita non è perfetta, inquantochè le cose vendute stanno a rischio del venditore, finchè esse non sieno pesate, numerate o misurate. — Se al contrario le mercanzie sieno state vendute in massa, la vendita è perfetta, quantunque le

25. Si ex doleario pars vini venierit, veluti metretae centum, verissimum est, (quod et constare videtur) antequam admetiatur., omne periculum ad venditorem pertinere. Nec interest, unum pretium omnium centum metretarum an semel dictum sit, an in singulos eos. l. 35. §. 7. (11)

26. Ea quae commendandi causa in venditionibus dicuntur, si palam appareant, venditorem non obligant; veluti si dicat servum speciosum, domum bene aedificatam (*f*). At si dixerit hominem litteratum, vel artificem, praestare debet (*g*): nam hoc ipso pluris vendidit. l. 43. (*h*). (12)

27. Quaedam etiam pollicitationes venditorem non obligant, si ita in promptu res sit, ut eam emptor non ingnoraverit: veluti si quis hominem luminibus effossis emat, et de sanitate stipuletur. Nam de caetera parte corporis potius stipulatus videtur, quam de eo, in quo se ipse decipiebat (*i*). l. 43. §. 1. (*k*). (13)

28. Dolum malum a se abesse prestare venditor debet: qui non tantum in eo est qui fallendi causa obscure loquitur; sed etiam qui insidiose obscure dissimulat. l. 43. §. 2.

---

mercanzie non sieno state ancora pesate, numerate, o misurate » *Leggi civ. art.* 1430, 1431.

(11) Vedi la nota precedente.

(f) V. l. 29. §. 2. *de Ædilitio edicto.*

(g) Quae apparent non cadunt in obligationem venditoris. Idem de servitutibus apparentibus §. 1.

(h) L. 66. §. 1. h.

(12) » Il venditore non è tenuto pe' vizj apparenti che il compratore avrebbe potuto da se stesso conoscere. — E' tenuto pe' vizj occulti » *Leggi civ. art.* 1488, 1489.

(i) Scienti non subvenit praetor, quia se ipse decepit. d. l. 1. §. 6.

(k) L. 1. §. 6. *quod falso tutore.*

(13) Vedi la nota precedente.

29. Labeo scripsit: si vestimenta interpola quis pro novis emerit, Trebatio placere ita emptori praestandum, quod interest, si ignorans interpola emerit: quam sententiam et Pomponius probat; in qua et Julianus est, qui ait, si quidem ignorabat venditor ipsius rei nomine teneri: si sciebat, etiam damni quod ex eo contingit. l. 45. (14)

V. l. 13. ff. *de act. empt. et vend.* l. 1. C. *de aedil. act.*

30. Non licet ex officio quod administrat quis emere quid vel per se, vel per aliam personam; alioquin non tantum rem amittit, sed et in quadruplum convenitur, secundum constitutionem Severi et Antonini: et hoc ad procuratorem quoque Caesaris pertinet. Sed hoc ita se habet, nisi specialiter quibusdam hoc concessum est. l. 46.

Qui officii causa in provincia agit, vel militat, praedia comparare in eadem provincia non potest; praeterquam si paterna ejus a fisco distrahantur. l. 62.

31. Si aquae ductus debeatur praedio (*l*), (et) jus aquae transit ad emptorem, etiamsi nihil dictum sit; sicut et ipsae fistulae per quas aqua ducitur. l. 47. (*m*). Licet extra aedes sint. l. 48. (*n*). (15)

32. Res, bona fide vendita, propter minimam causam inempta fieri non debet. l. 54.

33. Res in aversione empta, si non dolo vendito-

---

(14) » Il venditore è tenuto pe' vizj occulti, quando anche non gli fossero noti » *Leggi civ. art.* 1489.

(l) L. 1. *communia praediorum.*

(m) V. l. ult. §. 1. l. 66. §. 1. h. l. 13. §. ult. l. 14. 15. *de actione emptitia.*

(n) L. 67. l. 76.

(15) » L'obbligo di consegnar la cosa comprende quello di consegnare i suoi accessorj, e tutto ciò che fu destinato al perpetuo uso di essa » *Leggi civ. art.* 1461.

vis factum sit, ad periculum emptoris pertinebit: etiamsi res adsignata non sit. l. 62. §. 2. V. 1. *de per. et comm. r. v. n.* 1. (16)

34. Convenit mihi tecum, *ut certum numerum tegularum mihi dares certo pretio*: quod ut faceres utrum emptio sit, an locatio? Respondit. si ex meo fundo tegulas tibi factas ut darem convenit, emptionem puto esse, non conductionem. Toties enim conductio alicujus rei est, quoties materia, in quo aliquid praestatur, in eodem statu ejusdem manet: quoties vero et immutatur, et alienatur, emptio magis quam locatio intelligi debet. l. 65. l. 20.

35. In venendo fundo quaedam, etiam si non condicantur, praestanda sunt; veluti *ne fundus evincatur*; *aut usufructus ejus*: quaedam ita demum, si dicta sint; veluti vitam, iter, actum, aquaeductum praestatum iri. Idem et in servitutibus urbanorum praediorum. l. 66.

36. (o) Si cum servitus venditis praediis deberetur, nec commemoraverit venditor, sed sciens esse reticuerit, et ob id per ignorantiam rei emptor non utendo per statutum tempus eam servitutem amiserit, quidam recte putant venditorem teneri ex empto ob dolum. l. 66. §. 1. (p).

37. Alienatio cum fit, cum sua causa dominium ad alium trasferimus, quae esset futura, si apud nos ea res mansisset. Idque toto jure civili se habet, praeterquam si aliquid nominatim sit constitutum. l. 67. (q).

(16) Concorda. *Leggi civ. art.* 1470, 1092.

(o) Contra, emptor dicere non potest, se pluris emisse intuitu servitutis, quam non noverat: nec fraus esse potest in venditore. l. 43. h.

(p) L. 47. 48.

(q) V. l. 47. 48. l. ult. §. 1.

38. Imperator Antoninus et Verus Augusti Sextio Vero in haec verba rescripserunt » quibus mensuris, » aut pretiis negotiatores vina compararent, in contrahen» tium potestate esse: neque enim quisquam cogitur ven» dere, si aut pretium aut mensura displiceat; praeser» tim si nihil contra consuetudinem regionis fiat. » l 71.

39. Dolia in horreis defossa (r), si non sint nominatim in venditione excepta, horreorum venditioni cessisse videri. l. 76. (s).

40. Eum qui in locum emptoris successit, iisdem defensionibus uti posse, quibus venditor (ejus) uti potuisset :● sed et longae possessionis praescriptione (t), si utriusque possessio impleat tempora constitutionibus statuta. l. 76. §. 1. (u).

41. Frumenta, quae in herbis erant (*) cum vendidisses, dixisti, te, *si quid vi, aut tempestate factum esset, praestaturum.* Ea frumenta nives corruperunt: si immoderatae fuerunt, et contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex empto poterit (x). l. 78. §. ult.

42. (y) Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, *ut sive ipsi, sive haeredes eorum emptori pretium quandocumque vel intra certa tempora obtulissent, restitue-*

(r) Quia vicem tenent immobilium.
(s) L. 47. 48. l. 76. §. 1. h.
(t) L. 13. *communia praediorum.*
(u) L. 47. 48. 66. §. 1. h.
(*) Permissum erat suas segetes in herbis vendere.
(x) Casus fortuiti non comprehendunt insolitos. V. l. 9. §. 2. *locati conducti.* Gotofr. l. 4. *si quis cautionibus.*
(y) L. 81. §. 1. ait: Lucius Titius promisit de fundo suo centum millia modiorum frumenti praestari praediis Gaii Seii, postea Titius vendidit fundum, additis his verbis: quo jure quaque conditione ea praedia Lucii Titii sunt hodie, ita veneunt, itaque habebuntur. Respondit emptorem. Scio obligatum non esse. l. 12, *de annuis legatis.*

retur; teque parato satisfacere conditioni dictae, haeres emptoris non paret (*); ut fides contractus servetur, actio tibi dabitur, habita ratione eorum, quae post oblatam ex pacto quantitatem ex eo fundo ad adversarium pervenerunt. l. 2. C. *de pact. int. empt. et vend. com.* (17)

43. Qui aliena pecunia comparat, non ei cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei tradita fuerit possessio, quaerit. Cum itaque de rebus communibus fratrem patruelem tuum quaedam comparasse contendas de tua pecunia, hunc conveniendo facies consultius (z). Nam in rebus ab eo comparatis, tibi contra eum petitio non competit. l. 8. C. *si quis alt. vel sibi sub alt.* n. v. al. p. em.

(*) In retractione Conventionali fructus debentur a die oblationum.

(17) » La facoltà di ricomprare è un patto con cui il creditore si riserva di riprendere la cosa venduta, mediante la restituzione del capitale, ed il rimborso delle spese legittime. — Essa non può stipularsi per un tempo maggiore di anni cinque » *Leggi civ. art.* 1505, 1506.

(z) V. Contra l. 89. §. 4. *de legatis.* 20. Secus in re empta ex pecunia dotali, minoris, ecclesiae, et militis. V. *de dote* l. 54. ff. *de jure dotium.* l. 12. C. *eod.* V. l. 18. C. *familiae erciscundae.* l. 3. C. *arbitr.* l. 8. C. *de rei vindicatione.*

TITULUS II.

De in diem addictione.

SUMMARIA.

1. *In diem addicitur, quod ab emptore auferri potest, oblato pretio majori.*
2. *Aliud sub conditione fieri venditionem, aliud sub conditione resolvi.*
3. *Ubi pura venditio est, periculum et lucrum ad emptorem pertinent.*

1. In diem addictio ita fit: *ille fundus centum esto tibi emptus, nisi si quis intra kalendas januaria proximas meliorem conditionem fecerit, quo res a domino abeat:* l. 1.

2. Quoties fundus in diem addicitur, utrum pura emptio est, sed sub conditione resolvitur; an vero conditionalis sit magis emptio, quaestionis est? Et mihi videtur verius interesse, quid actum sit. Nam si quidem hoc actum est, ut meliore allata conditione (*a*), discedatur, erit pura emptio, quae sub conditione resolvitur. Sin autem hoc actum est, ut perficiatur emptio; nisi melior conditio afferatur, erit emptio conditionalis. l. 2.

3. Ubi igitur, secundum quod distiximus, pura venditio est, Julianus scribit, hunc, cui res in diem addicta est, et usucapere posse, et fructus, et accessiones lucrari, et periculum ad eum pertinere, si res interierit. l. 2. §. 1.

(*a*) L. 3. *de contrahenda emptione*. l. 1. 2. 3. *de lege commissoria*.

TITULUS III.

De lege commissoria.

SUMMARIA.

1. *Lex commissoria non facit conditionalem venditionem.*
2. *Pro venditore est lex commissoria, non pro emptore.*

1. Si fundus commissoria lege venierit, magis est ut sub conditione resolvi emptio, quam sub conditione contrahi videatur. l. 1.

2. Cum venditor fundi in lege ita caverit, *si ad diem pecunia soluta non sit (ut) fundus inemptus sit*, ita accipitur inemptus esse fundus, si venditor eum inemptum esse velit (a), quia id venditoris causa caveretur. Nam si aliter acciperetur, exusta villa, in potestate emptoris futurum, ut non dando pecuniam, inemptum faceret fundum, qui ejus periculo fuisset. Nam legem commissoriam, quae in venditionibus adjicitur, si volet, venditor exercebit: non etiam invitus. l. 2. et l. 3.

(a) Quod in alicujus favorem conventum est, adversus eum retorqueri non debet. Arg. l. 25. *de legibus.*

TITULUS IV.

De haereditate, vel actione vendita.

SUMMARIA.

1. *Haereditatis venditor nonnisi de facto suo cavere debet, jus enim suum vendit.*
2. *Lucrum et damnum ad emptorem haereditatis pertinent.*
3. *Emptor haereditatis ex qua quid ejus venditori debebatur et ipse ei debebit.*
4. *Nominis venditor debitorem esse praestat, non etiam eum locupletem.*
5. *Haereditatis venditor esse haereditatem praestat. Fiscus haereditatis venditor de oneribus non tenetur.*
6. *Dominium apud venditorem antequam tradat.*

1. Venditor haereditatis satisdare de evictione non debet: cum (id) inter ementem et vendentem agatur, ut neque amplius, neque minus juris emptor habeat, quam apud haeredem futurum esset. Plane de facto suo venditor satisdare cogendus est. l. 2. (1).

2. Siculi lucrum omne ad emptorem haereditatis respicit, ita damnum quoque debet ad eundem respicere. l. 2. §. 9.

3. Cum quis debitori suo haeres extitit, confusione creditor esse desinit. Sed si vendidit haereditatem, aequissimum videtur, emptorem haereditatis vicem haeredis obtinere; et idcirco teneri venditori haereditatis. l. 2. §. 18. l. 18. *de servitutibus.*

(1) » Colui che vende una eredità senza specificarne particolarmente gli oggetti, non è tenuto a garentire se non la sua qualità di erede » *Leggi civ. art.* 1542.

4. Si nomen sit distractum, Celsus scribit, locupletem esse debitorem, non debere praestare: debitorem autem esse, praestare, nisi aliud convenit. Et quidem sine exceptione quoque, nisi in contrarium actum sit. l. 4. et l. 5. V. l. §. 74. §. 3. *de evictionibus.*

5. Cum haereditatem, aliquis vendidit: esse debet haereditas, ut sit emptio: nec enim alea emitur, ut in venatione et similibus, sed res; quae si non est, (non) contrahitur emptio, et ideo pretium condicetur. l. 7.

Quanta autem haereditas est, nihil interest; nisi de substantia ejus affirmaverit. l. 14. in fin. et l. 15.

Æs alienum haereditate fisci nomine vendita, ad onus emptoris bonorum pertinere, nec fiscum creditoribus haereditariis respondere, certum et absolutum est. l. 1. C. *eod.*

6. Qui tibi haereditatem vendidit, antequam res haereditatis traderet dominus earum perseveravit: et ideo vendendo eas aliis, dominium transferre potuit. Sed quoniam contractus fidem fregit, ex empto actione conventus, quanti tua interest, praestare cogetur. l. 6. C. eod. l. 11. C. *de act. empt. et vend. l. quoties* 15. C. *de rei vindicatione.* l. 31. §. ult. *de actione empti et venditi.*

TITULUS V.

De rescindenda venditione, et quando licet ab emptione discedere.

SUMMARIA.

1. *Pacto non revocatur contractus ob una tantum parte.*
2. *Rebus integris infecta fieri potest emptio, non re secuta.*
3. *Si res minus dimidia veri pretii venierit, rescinditur venditio, nisi emptor quod deest pretio suppleverit.*

1. Quod Aristo dixit, posse ita pacisci, ut unus maneat obligatus, non est verum: quia pro una parte contrahentium abiri pacto ab emptione non possit. Et ideo, si ab una parte revocatus sit contractus, dicitur non valere ejusmodi pactionem (*). l. 1.

2. Potest, dum res integra est, conventione nostra infecta fieri emptio. l. 2.

Emptio et venditio, sicut consensu contrahitur, ita contrario consensu resolvitur, antequam fuerit res secuta. l. 3. l. 5. §. 1. V. l. 7. §. 6. et l. 58. ff. *de pact.*

(*) Quid de conjugata, quae vendit sine auctoritate: nullitas est ne reciproca? utique: nam contractus in se est nullus, et si ex una solum parte obligatorius esset, non esset contractus. V. l. 14. §. 2. *de actione emptitia*, ubi dicitur: Si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus. Nam qui emit obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat. In h. oportet pupillum esse consensus capacem; si enim esset infans et incapax consensus ex nullo latere staret contractus. Stat autem quia pupillus consensus capax obligatur saltem naturaliter: nec valet etiam ut naturalis obligatio.

Re quidem integra, ab emptione et venditione, utriusque partis consensu, recedi potest. Etenim quod consensu contractum est, contrariae voluntatis adminiculo dissolvitur. At enim post traditionem interpositam nuda voluntas non resolvit emptionem si non actus quoque priori similis retro agens venditionem intercesserit. l. 1. C. *quando lic. ab empt. disc.*

Nec enim, licet incontinenti facta poenitentiae contestatio, consensu finita rescindit. l. 12. in f. C. *de cont. empt.*

3. Rem majoris pretii si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est ut, vel pretium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias, auctoritate judicis intercedente; vel, si emptor elegerit (a) quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur; si nec dimidia pars (veri) pretii soluta sit. l. 2. C. *de resc. vend.*

Hoc solum, quod paulo minore pretio fundum venditum significas, ad rescindendam venditionem invalidum est. l. 8. C: *eod.* (1).

(a) Ergo restitutio rei est in actione, supplementum pretii est dumtaxat in facultate. * Necessitas est quae facit ut vendatur infra dimidium justi pretii. Ea judicare rite non potest neque de pretio, neque de rebus. Grande commodum est cum esurientibus pacisci, *ait Cassiodorus.* Abominandae necessitatis amarissimae leges et truculentissima imperia. *Dumeulin dicit*: Res tantum valet quantum vendi potest. *Et Seneca.* Speciei cura constant necessaria. Necessarium parvi valet. In deliciis laboratur. Luxus est malus rerum aestimator. Vir ille insignis qui leges sub Diocletiano componebat et de cujus nomine eruditi certant, dimidium valoris assignavit possessoribus fundi, alterum relinquendo commercio, et partium arbitrio.

(1) » Se il venditore sia stato leso oltre la metà nel prezzo di un immobile, ha il diritto di chiedere la rescissione della vendita, quando anche nel contratto avesse rinunziato espressamente alla facoltà di domandare una tale rescissione, ed avesse dichiarato di donare il di più del valore — Essa non ha luogo a favore del compratore;

TITULUS VI.

De periculo et commodo rei venditae.

SUMMARIA.

1. *Res vendita perit emptori, licet adhuc tradita non sit.*
2. *Periculo venditoris est vinum non degustatum, licet signata sint dolia, nisi aliud convenit.*
3. *Custodiam debet venditor qualem qui commodatum accepit; et de furto tenetur.*
4. *Custodiam debet vini venditor donec avehatur; avehi autem tunc debet cum dictum est, aut denuntiatum.*
5. *Si inter moras emptoris res ei non tradita pereat, ipsi perit.*
6. *Perfecta emptione res emptoris periculo est.*
7. *Idem in conditionali venditione postquam conditio extitit.*
8. *Nullum incendium sine culpa. Diligentiam hominum frugi praestat venditor.*
9. *Si ambo sint in mora, posterior mora ei nocebit, qui posterior erit in mora.*
10. *Emptor in evictionis periculo solvere non tenetur.*
11. *Emptor in mora usuras tantum praestat, non quod ultra intersit venditoris.*
12. *Dolus auctoris non nocet.*

1. Si vinum venditum acuerit, vel quid aliud vitii sustinuerit, emptoris erit damnum: quemadmodum si

---

ma questo ha la scelta o di restituire la cosa, ritirando il prezzo ch' egli ha pagato, o ritenerla pagando il supplimento del giusto prezzo » *Leggi civ. art.* 1520, 1527, 1529.

vinum esset effusum, vel vasis contusis, vel qua alia ex causa. l. 1.

Post perfectam venditionem, omne commodum et incommodum, quod rei venditae contingit (a), ad emptorem pertinet. l. 1. C. *eod.*

Cum inter emptorem et venditorem de pretio convenit, moraque venditoris in traditione non intercessit, periculo emptoris rem distractam esse in dubium non venit. l. 4. C. *de per. et comm.* l. 14. ff. *de furt.* V. *s. de contr. empt.* n. 33. (1).

2. Sed si venditor se periculo subjecit, in id tempus periculum sustinebit, quoad se subjecit. Quod si non designavit tempus, eatenus periculum sustinere debet, quoad degustetur vinum; videlicet quasi tunc plenissime veneat cum fuerit degustatum. Aut igitur convenit, quoad periculum vini sustineat; et eatenus sustinebit: aut non convenit, et usque ad degustationem sustinebit Sed si nondum sunt degustata, signata tamen ab emptore vasa, vel dolia, consequenter dicetur adhuc periculum esse venditoris, nisi (si) aliud convenit. l. 1.

Magis enim ne summutetur, signari solere, quam ut tradere tum videatur. l. 1. §. 2. (2).

3. Custodiam autem venditor talem praestare debet, quam praestant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam praestet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet. l. 3.

(a) V. contra l. 33. *locati conducti.*

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1428, 1493 §. 2.

(2) » Riguardo al vino, all'olio, ed alle altre cose le quali per usanza si assaggiano prima della compra, non vi è contratto di vendita finchè il compratore non le abbia assaggiate ed approvate » *Leggi civ. art.* 1432.

Materia empta si furto (*b*) periisset postquam tradita esset, emptoris esse periculo respondit: si minus, venditoris. l. 14. §. 1.

V. l. 11. eod.

4. Vino per aversionem vendito, finis custodiae est avehendi tempus. Quod ita erit accipiendum, si adjectum tempus est. Caeterum, si non sit adjectum, videndum, ne infinitam custodiam non debeat venditor? Et est verius (secundum ea quae supra ostendimus) aut interesse, quid de tempore actum sit, aut denuntiare ei, ut tollat vinum. l. 4. §. 2.

5. Si per emptorem steterit, quominus ad diem vinum tolleret; postea, nisi quod dolo malo venditoris interceptum esset, non debet ab eo praestari. l. 5.

Lectos emptos aedilis, cum in via publica positi essent, concidit. Si traditi essent emptori, aut per eum stetisset quominus traderentur, emptoris periculum esse placet. l. 12.

Illud sciendum est, cum moram emptor adhibere coepit, jam non culpam, sed dolum (malum) tantum praestandum a venditore. l. 17.

6. Necessario sciendum (est) quando perfecta sit emptio: tunc enim sciemus, cujus periculum sit. Nam, perfecta emptione, periculum ad emptorem respiciet. Et si id, quod venierit appareat quid, quale, quantum sit (sic) et pretium, et pure veniit, perfecta est emptio. l. 8.

Cum universum, quod in horreis erat positum, venisse sine mensura, et claves emptoribus traditas alle-

---

(b) Ratio quia homini diligenti futurum non sit, secus ergo si res aliter perisset sine culpa venditoris.

ges; post perfectam venditionem quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. l. 2. C. *eod*.

7. Si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est empto, sicuti nec stipulatio. Quod si extiterit, Proculus et Octavenus emptoris esse periculum ajunt. l. 8.

8. Si vendita insula combusta esset, cum incendium sine culpa fieri non possit (c), quid juris sit? respondit: quia sine patrisfamilias culpa fieri potest, neque si servorum negligentia factum esset, continuo dominus in culpa erit (d). Quamombrem si venditor eam diligentiam adhibuisset in insula custodienda quam debent homines frugi et diligentes praestare, si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit. l. 11. V. l. 11. ff. *de incendio*. V. l. 3. §. 1. *de offic. Praes. vig.*

9. Quod si per venditorem et emptorem mora fuerit, Labeo quidem scribit, emptori potius nocere quam venditori, moram adhibitam. Sed videndum est, ne posterior mora damnosa et sit (e). Quid enim si interpellavero venditorem, et non dederit id quod emeram; deinde, posteriore offerente illo, ego non acceperim? (Sane hoc casu mihi nocere deberet). Sed si per emptorem mora fuisset; deinde cum omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere; aequum est posteriorem moram venditori nocere. l. 17.

(c) Incendium quod fit culpa servorum non semper domino imputatur.

(d) V. l. 57. *de contrahenda emptione*, et l. 30. §. ult. *locati conducti*.

(e) V. l. 51. *de actionibus empti et venditi*. l. 73. §. ult. *de verborum obligationibus*. In pari moras res recidit in jus commune, et periculum pertinet ad emptorem. Et haec est ratio legis 51. *de actionibus empti et venditi*.

10. Ante pretium solutum dominii quaestione mota (*f*), pretium emptor solvere non cogetur, nisi fidejussores idonei a venditore ejus evictionis offerantur. l. 18. §. 1. (*g*) (3).

11. Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras duntaxat praestabit, non omne omninò quod venditor, mora non facta, consequi potuit, veluti si negotiator fuit, et, pretio soluto (*h*), ex mercibus plus, quam ex usuris, quaerere potuit. l. ult. (4).

12. Dolum auctoris, bonae fidei emptori non nocere, certi juris est. l. 3. C. *eod.*

(f) Idem licet mota nondum sit quaestio, si appareat rem alienam esse. Si in ipso limine contractus immineat evictio, emptor solvere non tenetur, nisi ipse satisdetur. l. 24. C. *de evictionibus.*

(g) Quasi res hypothecata sit, et emptor probet eam hypothecatam esse, an cogatur pretium solvere? An solutum repetere poterit? Videndum utrum venditor sit solvendo et possessor immobilium vel immobilia non possideat. Videndum cujus quantitatis et summae sit aes alienum; unde rem ad arbitrium judicis et varias facti figuras remitto. l. 30. §. 1. *de actionibus empti et venditi.*

(3) » Se il compratore è molestato, o ha giusto motivo da temere di essere molestato per un' azione ipotecaria, o di revindicazione, può sospendere il pagamento del prezzo fino a che il venditore abbia fatto cessar le molestie » *Leggi civ. art.* 1499.

(h) Interesse proximum non remotum. l. 21. §. 3. *de actionibus empti et venditi.*

(4) Concorda. *Leggi civ. art.* 1498. n. 3.

TITULUS VII.

De servis exportandis; vel si ita mancipium venierit ut manumittatur, vel contra.

SUMMARIA.

1. *Quod minor in futurum cavit praesenti consilii ratione aut stat, aut ruit.*
2. *Non est indulgendum malitiis.*
3. *Beneficiis favendum, non duritiae.*

1. Si minor viginti annis servum tibi in hoc vendiderit (et) tradiderit, ut eum manumitteres, nullius momenti est traditio, quamquam ea mente tradiderit, ut cum viginti annos ipse explesset, manumitteres: non enim multum facit, quod distulit libertatis praestationem. Lex quippe consilio ejus quasi parum firmo, restituit (*a*). l. 4.

2. Viro bono non convenit credere venditoris interesse, quod animo saevientis satisfactum non fuisset. l. 6. §. 1.

3. Beneficio affici hominem interest hominis: enimvero poenae non irrogatae indiguatio solam duritiem continet (*b*). l. 7. in fin.

(a) Alienatio a minore facta et dilata in tempus majoris aetatis non valet.

(b) Unde non restituitur minor si actionem injuriarum omiserit, l. 37. *de minoribus*. l. 11. §. 1. *de injuriis*.

LIBER XIX.

TITULUS I.

De actionibus empti et venditi.

SUMMARIA.

1. *Venditor non tradens tenetur de eo quod interest venditoris, quod interdum pretium egreditur.*
2. *Tenetur venditor si servitutem sibi notam celavit.*
3. *Mercis suo die non traditae, ejus diei pretium prae-praestandum, quo dari debuit.*
4. *Mercis suo loco non traditae, ejus loci pretium praestandum, quo dari debuit.*
5. *De his quae insunt contractui, etsi non dicantur tenentur qui contrahunt.*
6. *Venditioni insunt ex parte venditoris traditio, cautio de evictione, et de redhibitione: ex parte emptoris pretii numeratio.*
7. *Animalia sana esse venditor cavet.*
8. *Pro variis de evictione cautionibus venditor aut id praestat quod interest, aut etiam nihil.*
9. *Qui vitiosum ignorans vendit, quanto minoris tenetur: qui sciens, omne detrimentum praestat.*
10. *Qui vitium norit monere debet, qui ignorat, non temere debet de re affermare.*
11. *Pro pretio pignus est res vendita.*
12. *Fructus pendentes emptoris sunt.*
13. *Emptor debet pretium et usuras, si re fruatur.*
14. *Evicto emptiori praestantur quae impendit.*

Ratio fructuum in restitutione impensarum ad meliorandum.

Evincens tenetur de inpensis ad meliorandum.

15. *Interdum in contractibus unus obligatur non alter.*

16. *Ædium sunt quae propter aedes habentur et perpetui usus causa.*

17. *Fundi est quod terra se tenet, aliud in aedibus.*

18. *Detracta ut reponantur aedium sunt, non parata ut imponantur.*

19. *Praedicere debet venditor de tributo, nisi ignoret.*

20. *Re non tradita, damnum praestat venditor quod circa rem consistit, non effusius.*

21. *Quod debetur, integrum debetur et sanum.*

22. *Qui alienam rem vendidisse deprehenditur, ante evictionem conveniri potest.*

23. *Venditor de casu non tenetur.*

24. *Si idem duo emerint, potior est cui tradita res est, nisi alter a domino emerit, hic a non domino.*

25. *Custodiam debet venditor, et in custodiam venit actio damni infecti.*

26. *Si venditor vel reticeat quae debuit renunciare de re vendita, vel ambigue quid proferat, tenebitur.*

27. *Onera fundi debet venditor commemorare.*

28. *Si evictus emptor sumptus immodicos repetat, non audietur.*

29. *Si res deterior apud emptorem facta evincatur, minuetur praestatio.*

30. *Qui evincit, praestat emptori quod in rem impendit.*

31. *Instrumenta fundi ejusque fines debet venditor ostendere emptori.*

32. *Si moretur emptor, de mora venditoris non quaeretur.*

1. Si res vendita non tradatur (a), in id quod interest, agitur: hoc est, rem interest habere emptoris. Hoc autem interdum pretium egreditur, si pluris interest, quam res valet, vel empta est. l. 1. (1).

2. Venditor (b), si cum sciret deberi servitutem, celavit, non evadet ex empto actionem; si modo eam rem emptor ignoravit (c). Omnia enim quae contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem. l. 1. §. 1. (d).

3. Si per venditorem vini mora fuerit, quominus traderet, condemnari eem oportet, utro tempore pluris vinum fuit, vel quo lis in condemnationem deducitur, item quo loco pluris fuit, vel quo veniit, vel ubi agatur. l. 1. §. 1. (e) (2).

Vinum quod mutuum datum erat, per judicem petitum est. Quaesitum est cujus temporis aestimatio fieret;

(a) Si autem venditor rem in potestate habeat, potest ipsi manu militari auferri. V. D. Baudin.

(1) » Se il venditore manchi di far la tradizione nel tempo fra le parti convenuto, potrà il compratore chiedere, a suo arbitrio, o la risoluzione del contratto, o che egli sia posto nel possesso della cosa venduta; — In tutti i casi il venditore debbe esser condannato al risarcimento de' danni ed interessi, qualora dalla tradizione non fatta nel tempo convenuto ne' risulti un pregiudizio al compratore » *Leggi civ. art.* 1456.

(b) V. l. 39. 5.

(c) Alias. Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex. Horat. l. 2. sat. 2.

(d) V. l. 61 *de aedilitio edicto*. l. 21 §. 1.

(e) L. vinum 22 *de rebus creditis*. l. 59. et 60 *de verborum obligationibus*.

(2) » Se il venditore manchi di far la tradizione nel tempo fra le parti convenuto, debbe esser condannato al risarcimento de' danni ed interessi, qualora ne risulti un pregiudizio al compratore » *Leggi civ. art.* 1456, 1457.

utrum cum datum esset, an cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur. Sabinus respondit: si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset: (si, non quanti tunc), quanti petitum esset. l. 22. ff. *de reb. cred.*

Si merx aliqua, quae certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum, oleum, frumentum; tanti litem aestimandam Cassius ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit. Si de die nihil convenit, quanti tunc judicium acciperetur. l. ult. ff. *de cond. trit.*

4. Non oportet ejus loci pretia spectari, in quo agitur; sed ejus ubi vina tradi oportet. l. 3. §. ult.

5. Imprimis sciendum est, in hoc judicio id demum deduci, quod praestari convenit: cum enim sit bonae fidei judicium, nihil magis bonae fidei congruit, quam id praestari quod inter contrahentes actum est. (*f*). Quod si nihil convenit, tunc ea praestabuntur quae naturaliter insunt hujus judicii potestate. l. 11. §. 1. (*g*).

6. In primis ipsam rem praestare venditorem oportet, id est, tradere (*h*): quae res si quidem dominus fuit venditor, facit et emptorem dominum; si non fuit tantum evictionis nomine, venditorem obligat: si modo pretium est numeratum, aut eo nomine satisfactum: emptor autem nummos venditoris facere cogitur. Redhibitionem quoque contineri empti judicio, (et) Labeo et Sabinus putant, et nos probamus. l. 11. §. 2. et 3. (3).

(f) Et grave est fidem fallere. l. 1. *de pecunia constituta.*

(g) Et quod in contrahendo agitur, pro cauto habendum est. l. 3. *de rebus creditis.*

(h) Dare in jure est dominium transferre. Gotofr. V. l. 75 in fine *de verborum obligationibus.*

(3) » Il venditore ha due obbligazioni principali, quella di consegnare, e quella di garentire la cosa che vende. — La principale

7. Animalium quoque venditor cavere debet, ea sana praestari: et qui jumenta vendidit, solet ita promittere, esse bibere (*i*), ut oportet. l. 11. §. 4.

8. Qui *habere licere* vendidit, videamus quid debeat praestare? Et multum interesse arbitror, utrum (hoc) polliceatur, *per se, venientesque a se personas non fieri, quominus habere liceat* : *an vero per omnes*. Nam si per se, non videtur id praestare, ne alius evincat; proinde si evicta res erit, sive stipulatio interposita est, ex stipulatu non tenebitur; sive non est interposita, ex empto non tenebitur. Sed Julianus scribit: etiamsi aperte venditor pronunciet: *per se haeredemque suum non fieri, quominus habere liceat*, posse defendi, ex empto eum in hoc quidem non teneri, quod emptoris interest: verumtamen, ut pretium reddat, teneri. Ibidem ait, idem esse dicendum, et si aperte in venditione comprehendatur, *nihil evictionis nomine praestatum iri*, pretium quidem deberi re evicta, utilitatem non deberi (*k*). Neque enim bonae fidei contractus hac patitur conventione, ut emptor rem amitteret, et pretium venditor retineret: nisi forte (inquit) sic quis omnes istas suprascriptas conventiones recipiet, quemadmodum recipitur, ut venditor nummos accipiat, quamvis merx ad emptorem non pertineat; veluti cum fu-

---

obbligazione del compratore è di pagare il prezzo nel giorno e nel luogo determinati nel contratto di vendita. » *Leggi civ. art.* 1449, 1496.

(i) V. T. *de Ædilitio edicto.*

(k) *Regula.* Venditor debet evictionem. *Exceptio.* Si caverit ne deberet, quo casu tamen debet restituere pretium. *Exceptio.* Non debet pretium si caverit. *Exceptio.* Debet pretium licet caverit se non redditurum si sciens rem alienam vendiderit.

turum jactum retis a piscatore eminus, aut indaginem plagis positis a venatore, vel pantheram (*l*) ab aucupe: nam etiamsi nihil capit, nihilominus emptor pretium praestare necesse habebit. Sed in suprascriptis conventionibus contra erit dicendum, nisi forte sciens alienum vendit: tunc enim secundum supra a nobis relatam Juliani sententiam, dicendum est, ex empto eum teneri, quia dolo fecit. l. 11. §. ult.

9. Julianus inter eum, qui sciens quid, aut ignorans vendidit, differentiam facit in condemnatione ex empto Ait enim: qui pecus morbosum, aut tignum vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione praestaturum (*m*), quanto minoris essem empturus, si id ita esse scissem: si vero sciens reticuit, et emptorem decepit, omnia detrimenta, quae ex ea emptione emptor traxerit, praestaturum ei. Sive igitur aedes vitio tigni corruerunt, aedium aestimationem; sive pecora contagione morbosi pecoris perierunt, quod interfuit idonee veniisse, erit praestandum. l. 13. (4).

10. Non debuit facile (venditor), quae ignorabat, adseverare. Inter hunc igitur, et qui scit (rei vitium), interest. Qui scit, praemonere debuit furem; hic non de-

---

(l) Quidam legunt Panthera in plurali; quod πάνθηρον est genus retis, quod omnes aves concludere solet. Gotofr.

(m) L. 1 §. 2. *de Ædilitio edicto*. l. 19 §. 1. *locati conducti*. l. 21. §. 1. h.

(4) » Se il venditore conosceva i vizj della cosa venduta, è tenuto, oltre alla restituzione del prezzo riccvuto, a tutti i danni, ed interessi verso il compratore. — Se il venditore ignorava i vizi della cosa, non sarà tenuto se non alla restituzione del prezzo, ed a rimborsare al compratore le spese fatte per occasione della vendita. » *Leggi civ. art.* 1491, 1492.

buit facilis esse ad temerariam indicationem. l. 13. §. 3.

11. Venditor, quasi pignus, retinere potest eam rem quam vendidit. l. 13. §. 8. (5).

12. Si fructibus jam maturis, ager distractus sit (*), etiam fructus emptori cedere, nisi aliud convenit, exploratum est. l. 13. §. 10. (6).

13. Veniunt autem in hoc judicium infra scripta: in primis pretium quanti res veniit; item usurae pretii post diem traditionis: nam cum re emptor fruatur (n), aequissimum est eum usuras pretii pendere (o). l. 13. §. 20.

V. l. 5. C. *de act. empt. et vend.*

14. Praeterea, ex vendito agendo, consequetur etiam sumptus qui facti sunt in re distracta, ut puta si quid in aedificia distracta erogatum est. l. 13: §. 22.

Consequeris (a venditore) quanti tua interest: in quo continetur etiam eorum persecutio, quae in rem emptam, a te, ut melior fieret, erogata sunt. l. 9. C. *de evict.*

Super empti agri quaestione disceptabit praeses provinciae: et, si portionem diversae partis esse cognoverit, impensas quas ad meliorandam rem vos erogasse constiterit, habita fructuum ratione, restitui vobis jubebit. l. 16. C. *de evict.*

---

(5) » Il venditore non è tenuto a consegnare la cosa, se il compratore non ne paghi il prezzo, ed il venditore non gli abbia accordato dilazione al pagamento. » *Leggi civ. art.* 1458.

(*) Quid de laudemiis? Nonne aestimatio fructuum deduci debet?

(6) » Dal giorno della vendita tutti i frutti spettano al compratore. » *Leggi civ. art.* 1460, §. 2.

(n) L. 2 C. *de usuris.*

(o) Quod si pretium solvi debeat dumtaxat post tempus, an usurae currere debent ante tempus solutionis, cum emptor censeatur pluris emisse? Putamus non currere, quia venditor debuit stipulari usuras intermedias, et rem apertius dicere.

Illud expeditius videbatur, si mihi alienam aream vendideris, et in eam ego aedificavero, atque ita eam dominus evincit (p): nam quia possim petentem (dominum), nisi impensam aedificiorum solvat, doli mali exceptione summovere, magis est ut ea res ad periculum venditoris non pertineat. l. 45. §. 1. h. tit. (7).

15. Si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus (q): nam qui emit, obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat. l. 13. §. 29.

16. Ædibus distractis, vel legatis, ea esse aedium solemus dicere, quae quasi pars aedium, vel propter aedes habentur; ut puta puteal; id est, quo puteus operitur. Lines (r) (ot) labra (s), salientes (t), fistulae quoque, quae salientibus junguntur, quamvis longe excurrant (u) extra aedificium, aedium sunt. Item canaes: l. 13. §. ult. l. 14. l. 15. (x).

(p) V. l. 3 §. ult. C. communia *de leg.* V. l. ult. *de negotiis gestis.* l. 5 §. 3. *mandati vel contra.* Venditor tenetur saltem in subsidium; et si eminens sit difficilioris conventionis, nec jus retentionis debet retorqueri adversus emptorem.

(7) » Se il compratore ha sofferto l'evizione, ha diritto di domandare dal venditore; 1. le spese fatte in conseguenza della denunzia della lite al suo autore, e quelle fatte dall' autore principale; 2. la restituzione de' frutti, quando sia obbligato di restituirli al proprietario che ha rivendicato la cosa. » *Leggi civ. art.* 1476.

Se la cosa venduta si trovasse aumentata di prezzo, il venditore è tenuto a pagargli ciò che vale più del prezzo della vendita. » *Ivi art.* 1479.

(q) Quid de uxore quae sine viri auctoritate contrahit? l. 1. *de rescindenda venditione.*

(r) Veteres solebant sigillis exornare putealia.

(s) Crateres lapidei.

(t) Lapides vel personae ex quarum rostris aqua salire solet. l. 17 § 9 hic. Veteribus silvani. Gotofr.

(u) V. l. 21 *de instructo vel instrumento.*

(x) L. 41 et 48 *de contrahenda emptione.*

Labeo generaliter scribit, ea quae perpetui usus causa (y) in aedificiis sunt, aedificii esse: quae vero ad praesens, non esse aedificii. l. 17. §. 7.

17. Fundi nihil est, nisi quod terra se tenet. Ædium autem multa esse, quae aedibus adfixa non sunt, ignorari non oportet: ut puta seras, claves, claustra (*). l. 17.

18. Ea quae ex aedificio detracta sunt, ut reponantur, aedificii sunt. At quae parata sunt ut imponantur, non sunt aedificii. l. 17. §. 10. d. l. §. 5.

19. Si praedii venditor non dicat de tributo sciens (z), tenetur ex empto; quod si ignorans non praedixerit, quod forte haereditarium praedium erat; non tenetur (a). l. 21. §. 1. V. l. 39.

20. Cum per venditorem steterit, quominus rem tradat, omnis utilitas emptoris in aestimationem venit; quae modo circa rem ipsam consistit (b). Neque enim, si potuit ex vino (puta) negotiari, et lucrum facere, id aestimandum est, non magis, quam si triticum emerit, et ob eam rem quod non sit traditum, familia ejus fame laboraverit: nam pretium tritici non servorum fame necatorum consequitur. l. 21 §. 3.

21. Quidquid venditor accessurum dixerit, id inte-

(y) L. 242 §. 2, et 4. l. 245 *de verborum significatione*.

(*) Sic judicatum per arresta gallica ad sciendum an materialia sint mobilia an immobilia.

(z) L. 39 §. 5. *de legatis* 10.

(a) L. 1. §. 1 l. 7 *de publicanis*. Quia justam habet ignorantiae causam. l. 42 *de re judicata*. l. 41 V. l. 9 e. h. t. *de minori capitatione fundi*. l. 1 §. 1 h. l. 13 eod. * Venditor boni ecclesiastici tenetur de cautione pro tributo, nisi emptor sciverit commune ςp quod instrumenta sibi sint tradita.

(b) Interesse proximum. l. ult. *de periculo et commodo*.

grum ac sanum tradi oportet: veluti si fundo dolia accessura dixisset; non quassa, sed integra dare debet. l. 27.

22. Si sciens alienam rem ignoranti mihi vendideris, etiam prius quam evincatur, utiliter me ex empto acturum putavit in id quanti mea intersit meam esse factam. Quamvis enim alioquin verum sit, venditorem hactenus teneri, ut rem emptori habere liceat, non etiam, ut ejus faciat: quia tamen dolum malum abesse praestare debeat, teneri eum, qui sciens (alienam) non suam ignoranti vendidit (c). l. 30. §. 1.

23. Si ea res, quam empto praestare debebam, vi mihi adempta fuerit, quamvis eam custodire debuerim, tamen propius est ut nihil amplius quam actiones persequendae ejus praestari a me emptori oporteat: quia custodia adversus vim parum proficit (d). l 31. (8).

24. Uterque nostrum eandem rem emit a non domino, cum emptio venditioque sine dolo malo fieret, traditaque est: sive ab eodem emimus sive ab alio atque alio, is ex nobis tuendus est, qui prior jus ejus apprehendit, hoc est, cui primum tradita est (e). Si alter ex nobis a domino emisset, is omnimodo tuendus est. l. 31. §. ult.

V. l. 9. §. 4. ff. de publ. in rem act. l. 15. C. *de rei vind.* (9).

(c) V. infra *de evictionibus*. n. 18 l. 18. §. 1. *de periculo et commodo*. l. 24 C. *de evictionibus*.

(d) Quae enim custodia consequetur ne damnum injuriae ab alio dari possit? l. 40 41. *locati conducti* V. l. 51 in fine, *de peculio*.

(8) » La perdita avvenuta per caso fortuito è a carico del compratore. » *Leggi civ. art.* 1493, §. 2.

(g) V. *de haereditate vel actione vendita*. n. ult.

(9) » Se taluno venda a due persone lo stesso fondo in tempi

25. Venditor domus, antequam eam tradat, damni infecti stipulationem interponere debet: quia antequam vacuam possessionem tradat, custodiam, et diligentiam praestare debet; et pars est custodiae diligentiaeque, hanc interponere stipulationem. Et ideo, si id neglexerit, tenebitur emptori. l. 36.

26. Quaero: si quis fundum ita vendiderit, *uti venundatum esse videatur, quod intra terminos ipse possedit*: sciens tamen aliquam partem certam se non possidere, non certioraverit emptorem; an ex empto judicio teneatur; cum haec generalis adjectio ad ea (f), quae specialiter novit, qui vendidit, nec excepit, pertinere non debeat, ne alioquin emptor capiatur, qui fortasse, si hoc cognovisset, vel empturus non esset, vel minoris empturus esset, si certioratus de loco certo fuisset. Cum et hoc apud veteres sit relatum in ejus persona, qui sic exceperat, *servitutes, si quae debentur, debebuntur*: etenim juris auctores responderunt, si certus venditor quibusdam personis certas servitutes debere non admonuisset (g) emptorem, ex empto eum teneri debere, quando haec generalis exceptio non ad ea pertinere debeat, quae venditor novit, quae (quo) specialiter excipere et potuit et debuit; sed ad ea, quae ignoravit, et de quibus emptorem certiorare nequivit? Herennius Modestinus respondit: si quid circumveniendi emptoris causa venditor in specie de qua

diversi, il primo compratore sarà sempre preferito al secondo, tuttochè questi sia stato più sollecito a trascrivere il suo titolo. » *Leggi civ. art.* 2081.

(f) V. l. 21 *de contrahenda venditione.*

(g) V. l. 1 § 1 h

quaeritur, fecit, ex empto actione, conveniri posse. l. 39. (10).

27. In venditione supra annua pensitatione pro aquae ductu infra domum Romae constitutam, nihil commemoratum est: deceptus ob eam rem ex empto actionem habebit. Itaque, si conveniatur ob pretium ex vendito, ratio improvisi oneris habetur. l. 41.

28. De de sumptibus quos in erudiendum hominem emptor fecit, videndum est: nam empti judicium ad eam quoque speciem sufficere existimo: non enim pretium continet tantum, sed omne quod interest emptoris, servum non evinci. Plane si in tantum pretium excidisse proponas, ut non sit cogitatum a venditore de tanta summa (*h*); veluti si ponas agitatorem postea factum, vel pantomimum, evictum esse eum qui minimo veniit pretio: iniquum videtur, in magnam quantitatem obligari venditorem. Cum (et) forte idem mediocrium facultatum sit. l. 43. in fin. et l. 44.

V. l. 38. ff. *de rei vindic.*

29. Minuitur praestatio (*i*), si servus deterior apud emptorem effectus sit, cum evincitur. l. 45. (11).

30. Illud expeditius videbatur, si mihi alienam aream vendideris, et in eam ego aedificavero, atque ita

---

(10) » Il venditore é tenuto a spiegar chiaramente quello a cui si obbliga. Ogni patto oscuro o ambiguo s' interpreta contra il venditore. » *Leggi civ. art.* 1448.

(h) De his tantum sumptibus tenetur venditor, si sciens alienum vendidit, quia sibi debet imputare.

(i) V. l. 70. *de evictionibus*, et l. 66 §. ult. eodem, vide ibi quae dixi.

(11) » Quando nell' epoca dell' evizione la cosa venduta si trova diminuita di valore, o notabilmente deteriorata, il venditore é tenuto a restituire l' intero prezzo. » *Leggi civ. art.* 1477.

eam dominus evincit: nam quia possum petentem (dominum) nisi impensam aedificiorum solvat, doli mali exceptione summovere, magis est ut ea res ad periculum venditoris non pertineat. l. 45. §. 1. V. sup. n. 14. in f. (12).

31. Debet venditor et instrumenta fundi (*k*) et fines ostendere: hoc etenim contractui bonae fidei consonat. l. 48. in fin.

32. (*l*) Si et per emptorem et venditorem mora fuisset, quominus vinum praeberetur et traderetur, perinde esse ait, quasi si per emptorem solum stetisset: non enim potest videri mora per venditorem emptori facta esse, ipso moram faciente emptore. l. 51.

---

(12) » Corcorda. *Leggi civ. art.* 1480.

(k) V. l. 24 C. *de fideicommissis.* Acquirentis interest instrumenta ad evictionem cavendam habere potius, quam pro cautione recurrere. Conficere expedit inventarium instrumentorum, et emptorem obligare ut illud exhibeat, cum recurrere contra venditorem perget.

(l) *Lex* 49 §. 1 *habet.* Pretii, forte licet post moram soluta, usurae peti non possunt, cum haec non sint in obligatione, sed officio judicis praestentur. V. l. 4 C. *depositi vel contra.* l. 2. C. *de usuris.* l. 5. C. *de actionibus empti et venditi.* Verum ultima mora nocet, nam purgat priorem. l. 17 *de periculo et commodo.* V. l. 73. §. ult. *de verborum obligationibus.*

TITULUS II.

Locati conducti.

SUMMARIA.

1. *Locatio consensu contrahitur.*
2. *Affinis venditioni locatio.*
3. *Qui materiam simul dat et operam, non conducit, sed vendit.*
4. *Cum quid aestimatum datur, venditio est.*
5. *Locatio quoad velit qui locat, ejus morte finitur ut precarium.*
6. *Evicta domo locata, si parem locator offerat conductori, absolvendus est.*
7. *Vim majorem feret colonus, si ita convenerit.*
8. *Si non convenerit, non feret.*
   Colonus partiarius damnum partitur.
   Sterilitas cum ubertate compensatur.
9. *Reconduxisse videtur qui consentiente domino manet in conductione tempore elapso.*
10. *Exiguitatis fructuum ratio non habetur: nec vinearum vetustatis.*
11. *Ex supradictis causis non quòd sua interest, sed mercedis exonerationem colonus consequitur.*
12. *Qui dolia vitiosa licet ignorans locat, tenebitur.*
    Qui mala pascua locat, de pecore mortuo tenetur, si sciebat: si ignoravit, pensionem tantum non petet.
13. *Praegnantis vectura nato infante non augetur.*
14. *Locatio sub conditione fieri potest.*
15. *Locat qui dat aliquid faciendum.*
16. *Si aedificium impensa conductoris fiat, locatio est, non venditio.*

17. *Impune vel pluris, vel minoris venditur, emitur, locatur, si absit dolus.*

18. *Collata in alterius arbitrium perinde habentur, ac si viri boni arbitrium comprehensum fuisset.*

19. *Si primus conductor secundo fundum locaverit, fructus domino pignori sunt.*

Potest conductor alteri locare.

20. *Si colonus vel inquilinus deseruerit, statim tenetur ex locato.*

21. *Colonus expulsus ante tempus, totius temporis nomine aget.*

Poenitere licet rebus integris.

Idem si ea ei non praestentur quae convenerant.

22. *Venditio solvit locationem.*

23. *Potest relinquere conductionem inquilinus, si vicinus lumina obscuret: item si dominus corrupta non restituat.*

24. *Colonus fundum colere suis temporibus tenetur.*

25. *Si culpa coloni ejus nocuerit, tenebitur colonus.*

26. *Vis majoris damnum modicum ferre debet colonus, non immodicum.*

27. *Qui transportandum quid conduxit, eam curam praestat, quam diligentissimus quisque fuisset adhibiturus.*

28. *Leve incommodum pati debet inquilinus, veluti si quid erit demoliendum.*

29. *Qui metu migrat ex justa causa, mercedem non debet: secus si justa non fuisset causa timoris.*

30. *Soluta ex causa necessaria domus locatione, mercede liberatur conductor: si ex causa non necessaria, in id quod ejus interest tenetur dominus.*

31. *Colonus factum domesticorum praestat, non vim majorem.*

In locato conducto praestantur dolus et custodia, non casus.

32. *Legatarius non tenetur stare colono.*

33. *Si colonus vi majore frui prohibeutur, mercede tantum exoneratur. Si ea ex causa quae domini periculo sit, ts id quod interest colono praestabit.*

34. *Conductoris periculo est opus non approbutum: nisi si vi perierit, cum tale esset, ut probari deberet.*

35. *Debetur merces operarum in certum tempus, si per conductorem non stetit ut praestarentur.*

36. *Qui mercedem accepit pro custodia, custodiam praestat, non casum cui obsisti non possit.*

37. *Fundo servit fundus, non persona.*

38. *Correi conductioni tenentur in solidum, si singulorum personam locator intuitus sit.*

39. *Pensionis usurae post morum debentur.*

40. *Necessarias et utiles impensas recipit conductor.*

41. *Non apparentibus conductoribus, horreis vel insulis apertis, quae ibi sunt describuntur.*

42. *Praestitutum operi tempus profertur, si id non sufficiat.*

43. *Qui indefinite hominem petenti, certum hominem locavit, tenetur de ejus culpa quem elegit.*

44. *Qui vehendum quid suscepit portorium praestat, si illud non ignoravit.*

45. *Inquilinum expellit dominus ut ipse habitet, aut reficiat, aut si inquilinus male versetur in re locata.*

46. *Conductio transit ad haeredes.*

1. Locatio et conductio, cum naturalis sit, et omnium gentium, non verbis, sed consensu contrahitur, sicut emptio et venditio. l. 1.

2. Locatio et conductio proxima et emptioni et ven-

ditioni, iisdemque juris regulis consistit. Nam ut emptio et venditio (ita) contrahitur, si de pretio convenerit; sic et locatio et conductio contrahi intelligitur, si de mercede convenerit. l. 1.

3. Adeo autem familiaritatem aliquam habere videntur emptio et venditio, item locatio et conductio ut in quibusdam quaeri soleat utrum emptio et venditio sit, an locatio et conductio: ut ecce, si cum aurifice (mihi) convenerit, ut is ex auro suo annulos mihi faceret certi ponderis certaeque formae, et accepit (verbi gratia) trecenta; utrum emptio et venditio sit, an locatio et conductio? sed placet unum esse negotium, et magis emptionem et venditionem esse. Quod si ego aurumt dedero, mercede pro opera constituta, dubium non es quin locatio et conductio sit. l. 2. §. 1.

4. Cum fundus locetur, et aestimatum instrumentum colonus accipiat, Proculus ait id agi ut instrumentum emptum habeat colonus, sicuti fieret, cum quid aestimatum in dotem daretur. l. 3.

5. Locatio precariive rogatio ita facta, quoad is qui eam locasset, dedissetve vellet, morte ejus qui locavit tollitur. l. 4.

6. Si quis domum bona fide emptam vel fundum locaverit mihi, isque sit evictus sine dolo malo culpaque ejus; Pomponius ait, nihilominus eum teneri ex conducto ei qui conduxit, *ut ei praestetur frui, quod conduxit, licere.* Plane, si dominus non patitur, et locator paratus sit aliam habitationem non minus commodam praestare, aequissimum esse ait, absolvi locatorem. l. 9.

7. Si quis fundum locaverit, ut etiam si quid vi majore accidisset, hoc ei praestaretur, pacto standum esse (a). l. 9. §. 2.

(a) Putant doctores colonum, qui casus fortuitos suscepit, tene-

8. Si vis tempestatis calamitosae contigerit, an locator conductori aliquid praestare debeat, videamus. Servius omnem vim cui resisti non potest, dominum colono praestare debere, ait: ut puta fluminum, graculorum, sturnorum, et si quid simile acciderit; aut si incursus hostium fiat. Si qua tamen vitia ex ipsa re oriantur, haec damno coloni esse: veluti si vinum coacuerit; si raucis aut herbis segetes corruptae sint (*b*). Sed et si labes facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse, ne supra damnum, seminis (*c*) (omissi) mercedes agri praestare cogatur. Sed etsi uredo fructum oleae corruperit, aut solis fervore non adsueto id acciderit, damnum domini futurum. Si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse. Idemque dicendum, si exercitus praeteriens per lasciviam aliquid abstulit. Sed (et) si ager terrae motu ita corruerit, ut nusquam sit, damno domini esse: oportere enim agrum praestari conductori ut frui possit. l. 15. §. 2.

V. l. 78. in f. ff. *de contr. empt.*

Vis major, quam Graeci Θεῦ βίαν, id est, *vim divinam* appellant, non debet conductori damnosa esse, si, plus quam tolerabile est, laesi fuerint fructus. Alioquin modicum damnum aequo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur (1). Appa-

ri tamen de insolitis: Teneri quidem de iis qui vi coelorum et terrae, id est, vi divina proveniunt, non autem de iis qui vi humana; verbi gratia per latrones aut exercitus; quia isti sunt omnino insoliti, et de iis cogitatum non est. V. l. 78 §. ult. *de contrahenda emptione.*

(b) Ratio quia colonus debuit undam herbis expurgare. Gotofr.

(c). V. h. 10.

(1) » Se l' affitto non oltrepassa un anno; e sia occorsa la perdita o della totalità, o almeno della metà de' frutti, il fittajuo-

ret autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit; alioquin partiarius colonus, quasi societatis jure, et damnum et lucrum cum domino fundi partitur. l. 25. 6. (2).

Si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem, etiam ejus anni quo remisit exigendam. l. 15. §. 4.

Licet certis annui quantitatibus fundum conduxeris, si tamen expressum non est in locatione (ut mos regionis postulabat) ut si qua lue tempestatis, vel alio coeli vitio damna accidissent, ad onus tuum pertineret, et quae evenerunt sterilitates ubertate aliorum annorum repensatae non probabuntur, rationem tui juxta bonam fidem habere recte postulabis, eamque formam, qui ex appellatione cognoscere sequetur. l. 8. C. *de locato.* (3).

9. Qui, impleto tempore conductionis, remansit in conductione, non solum recondixisse videbitur, sed etiam pignora (*) videntur durare obligata. Sed hoc

---

lo sarà liberato di una parte proporzionata del fitto. — Non potrà pretendere alcuna riduzione, se la perdita è minore della metà. » *Leggi civ. art.* 1616.

(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 1617.

(3) » Se l' affitto sia fatto per più anni, e durante l' affitto una ricolta intera, o almeno la metà venga a perire per casi fortuiti, il fittajuolo può domandare una riduzione della mercede, sempre che non sia rinfrancato dalle precedenti ricolte. » *Leggi civ. art.* 1615.

(*) Secus de hypoteca, tacita reconductio hypothecam non inducit: nam tacitus consensus, non plus privilegii habet quam expressus. *Quid* stipuletur in locatione pro hoc casu tacitae reconductionis? ipsa valebit a die reconductionis, nam conditio haec est potestativa, et a locatario pendet non fruendi ex tacita reconductione: hinc non debet ab ipso pendere ut frustret suos intermediarios creditores. *l. 9. qui potiores in pignore. Idem* de locatione per

ita verum est, si non alius pro eo in priore conductione res obligaverat; hujus enim novus consensus erit necessarius. l. 13. §. 11. (b).

Si tempus in quo locatus fundus fuerat sit exactum, et in eadem locatione conductor permanserit, tacito consensu eamdem locationem una cum vinculo pignoris renovare videtur. l. 16. C. *de locato.* (4).

10. Cum quidam de fructuum exiguitate quereretur, non esse rationem ejus habendam rescripto divi Antonini continetur. Item alio rescripto ita continetur: *Novam rem desideras, ut propter vetustatem* (c) *vinearum remissio tibi detur.* l. 15. §. 5.

11. Ubicumque tamen remissionis ratio habetur ex causis supra relatis, non id quod sua interest conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata. Supra denique damnum seminis (d) ad colonum (pertinere) declaratur. l. 15. §. 7.

12. Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id quod interest (e): nec ignorantiam ejus erit excusata; et ita Cassius scripsit. Aliter atque si saltum pascuum locasti, in quo herba

---

tres annos, sex, novem, ad conducentis arbitrium: at potest in locatione stipulari, ut parem habeat exequutionem pro tacita reconductione. *Loyseau. Quid*, coactio per corpus locum habebit sine stipulatione? nequaquam.

(b) *V. l. 46. §. 4. de administr. et peric. tutorum; idem in fidejussore tutoris.*

(4) » Se allo spirare degli affitti di fondi rustici, il colono continui, e sia lasciato in possesso, ne risulta un nuovo affitto. » *Leggi civ. art.* 1622.

(c) Quia debuit vites veteres nova propagine supplere. Menag. *Amaenitatis juris*, cap. 9. Secus si demortuae sint. l. 4. §. 1. *de censibus.*

(d) V. l. 15. §. 2. n. 7.

(e) V. l. 13 *de actionibus empti et venditi.*

mala nascebatur : hic enim si pecora vel demortua sunt, vel etiam deteriora facta, quod interest praestabitur, si scisti: si ignorasti (*f*) pensionem non petres, et ita Servio, Labeoni, Sabio placuit. l. 19. §. 1.

13. Si quis mulierem vehendam navi conduxisset, deinde in navi infans natus fuisset, probandum est pro infante nihil deberi (*g*): cum neque vectura ejus magna sit, neque his omnibus utatur, quae ad navigantium usum parantur. l. 19. §. 7.

14. Sicut emptio, ita et locatio, sub conditione fieri potest. l. 20.

15. Quoties faciendum aliquid datur, locatio est. l. 22. §. 1.

16. Cum insulam aedificandam loco, ut sua impensa conductor omnia faciat, proprietatem quidem eorum ad me transfert, et tamen locatio est: locat enim artifex operam suam, id est, faciendi necessitatem. l. 22. §. 2. V. 36. et 37.

17. Quemadmodum in emendo et vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere; quod minoris sit, pluris vendere; et (ita) invicem se circumscribere (*h*): ita in locationibus quoque et conductionibus juris ets. Et ideo, praetextu minoris pensionis (*), locatione facta, si nullus dolus (*b*) adversarii probari possit, rescindi locatio non potest. l. 22. §. ult. et l. 23.

(f) V. l. 49. *de Ædilitio edicto*, et l. 1 §. 2 eod

(g) Nec minuitur morte alicujus. l. 10 *Rhodia de jactu.* * *Quid*, de nutrice, quae infantem portat?

(h) L. 16. §. 4 *de minoribus.*

(*) Dolus est primus dissolvens omnium contractuum.

(b) Secus si pensio sit infra dimidiam; tunc debetur nulla pensio, non vero minor. Gotofr.

18. Si in lege locationis comprehensum sit, ut arbitratu domini opus adprobetur, perinde habetur ac si viri boni arbitrium comprehensum fuisset (c). Idemque servatur, si alterius cujuslibet arbitrium comprehensum sit: nam fides bona exigit ut arbitrium tale praestetur, quale viro bono convenit (d). l. 24.

19. Si colonus locaverit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur: sed fructus in causa pignoris (e) manent, quemadmodum esset, si primus colonus eos percepisset. l. 24. §. 1.

Nemo prohibetur rem quam conduxit, fruendam alii locare, si nihil aliud convenit (f). l. 6. C. *de locato*. (5).

20. Si domus vel fundus in *quinquennium pensionibus locatus sit*, potest dominus, si deseruerit habitationem vel fundi culturam colonus vel inquilinus, cum eis statim agere (*). Sed et de his quae praesenti die praestare debuerint, (velut opus aliquod efficerent, propagationes facerent) agere similiter potest. l. 24. §. 2. et 3.

21. Colonus, si ei frui non liceat, totius quinquennii nomine statim recte aget, etsi reliquis annis fundi

---

(c) V. l. 30 *de operibus libertorum*. V. l. 76 77 78 79 *pro socio*. V. l. 43 44 *de verborum obligationibus*. l. 22 §. 1. *de re judicata*.

(d) Contra in l. ult. *de contrahenda emptione*, ubi dicitur omnino standum esse arbitrio Titii.

(e) V. l. 11 §. 5 *de pigneratitia actione*.

(f) Imo potest quis domum ablocare, licet contra convenerit, modo aeque commodum inquilinum in ea constituat, et sic vivitur.

(5) » Il fittajuolo ha il diritto di sublocare, ed anche di cedere il suo affitto ad un altro, quando tal facoltà non gli sia stata interdetta. » *Leggi civ. art.* 1563.

(*) Ob argentariam dissolutionem omnes pecuniae quae ad terminum debentur, censentur perjisse. L. 14 *de pignoribus et hypothecis*. l. 55 §. 2. n. 28.

dominus frui patiatur. Nec enim semper liberabitur dominus eo quod vel secundo vel tertio anno patietur fundo frui. Nam et qui expulsus a conductione in aliam se coloniam contulit, non suffecturus duabus, neque ipse pensionum nomine obligatus erit: et quantum per singulos annos compendii facturus erat, consequetur.

Sera est enim patientia fruendi, quae offertur eo tempore quo frui colonus aliis rebus illigatus, non potest. Quod si paucis diebus prohibuit, deinde poenitentiam agit, omniaque colono in integro sunt, nihil ex obligatione paucorum dierum mora minuet (*h*). Item utiliter ex conducto agit is, cui secundum conventionem non praestantur quae convenerant: sive prohibeatur frui a domino, vel ab extraneo quem dominus prohibere potest. l. 24. §. 4. (6).

22. Qui fundum fruendum vel habitationem alicui locavit, si aliqua ex causa fundum vel aedes vendat, curare debet ut apud emptorem quoque eadem pactione et colono frui et inquilino habitare liceat: alioquin prohibitus is aget cum eo ex conducto. l. 25. §. 1. (*i*).

Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior dominus locavit; nisi ea lege emit (*k*). l. 9. C. *de locato*. (7).

(h) L. 21 §. 1 *de pecunia constituta*.

(6) Concorda. *Leggi civ. art.* 1572, 1573.

(i) V. l. 120 §. 2 *de legatis* 1o.

(k) Verum etsi ea lege emisset, posset adhuc inquilinum expellere in vim legis tertiae. C. *de locato*, nisi quondam dominus huic ee privilegio renunciasset.

(7) « Contra. » Se il locatore vende la cosa locata, il compratore non può espellere il colono o l' inquilino. » *Leggi civ. art.* 1589.

23. Si, vicino aedificante, obscurentur lumina coenaculi (l), teneri locatorem inquilino. Certe, quin liceat colono vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio est. De mercedibus quoque si cum eo agatur, reputationis ratio habenda est. Eadem intelligemus, si ostia fenestrasve nimium corruptas locator non restituat. l. 25. §. 2. (8).

24. Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet. Et ante omnia colonus curare debet, ut opera rustica suo quoque tempore faciat, ne intempestiva cultura deteriorem fundum faceret (*). Praeterea villarum curam agere debet, ut eas incorruptas habeat. l. 25. §. 3. (9).

25. Culpae conductoris et illud adnumeratur, si propter inimicitias ejus, vicinus arbores exciderit (b). l. 25. §. 4. V. 1. *solut matr.* l. 66.

26. Vis major, quam Greci Θεῖ βίαν, *i. e. vim divinam* appellant, non debet conductori damnosa esse, si plus quam tolerabile est, laesi fuerint fructus; alioquin modicum damnum aequo animo ferre debet colo-

---

(l) V. l. 8 §. 5. *si servitus vindicetur.*

(8) » Se, durante l' affitto, la cosa locata è distrutta in parte, il fittajuolo può, a norma delle circostanze, domandare o la diminuzione del prezzo, o anche lo scioglimento del contratto. » *Leggi civ. art.* 1568.

(*) Non potest redemptor seu villicus terrae culturam mutare.

(9) » Se il fittajuolo di un fondo rustico ne abbandona la coltivazione; se non coltiva da buon padre di famiglia; se impiega la cosa locata ad altro uso diverso da quello cui è destinata; o generalmente se non esegue i patti dell' affitto, e ne risulti danno al locatore, questi potrà, secondo le circostanze, far disciogliere il contratto. » *Leggi civ. art.* 1612.

(b) V. l. 40 41. Quid., si conductor nihil peccavit, sed forte inimicum habet, quia adversus eum veritatem is testimonio dixit? An domino, an conductori delictum nocebit?

nus, cui immodicum lucrum non aufertur. Apparet autem nos de eo colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioquin partiarius colonus, quasi societatis jure, et damnum et lucrum cum domino fundi partitur. l. 25. §. 6. (10).

27. Qui columnam trasportandam conduxit, si ea dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum praestat, si qua ipsius, eorumque quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quae diligentissimus quisque observaturus fuisset. Idem scilicet intelligimus, et si dolia vel tignum transportandum aliquis conduxerit. Idemque etiam ad caeteras res transferri potest. l. 25. §. 7. (11).

28. Habitatores non, si paulo minus commode aliqua parte coenaculi uterentur, statim deductionem ex mercede facere oportet: ea enim conditione habitatorem esse, ut, si quid transversarium incidisset, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret, aliquam partem parvulam incommodi sustineret; non ita tamen, ut eam partem coenaculi dominus aperuisset, in qua magnam partem usus habitator haberet. l. 27. (12).

29. Iterum interrogatus (est), si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem, necne? Respondit, si

(10) Concorda. *Leggi civ. art.* 1615, 1616.

(11) Concorda. *Leggi civ. art.* 1630.

(12) » Se, durante l' affitto, la cosa locata abbisogni di riparazioni urgenti che non possono differirsi sino al termine del contratto, il fittajuolo dee soffrirle, qualunque sia l' incomodo che gli arrecano, quantunque nel tempo che si fanno, resti privato di una parte della cosa locata. — Ma se tali riparazioni durano oltre a quaranta giorni, verrà diminuito il prezzo dell' affitto a proporzione del tempo, e della parte della cosa locata, di cui sarà restato privo. » *Leggi civ. art.* 1570.

causa fuisset cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris justa non fuisset (c), nihilominus debere. l. 27. §. 1.

Qui contra legem conductionis fundum ante tempus, sine justa ac probabili causa, deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, quatenus locatori in id quod ejus interest, indemnitas servetur. l 55. §. 2. l. 24. §. 2. 3.

30. Qui insulam triginta conduxerat, singula coenacula ita conduxit, ut quadraginta ex omnibus colligerentur, dominus insulae, quia aedificia vitium facere diceret, demolierat ea: quaesitum est, quanti lis aestimari deberet, si is qui totam conduxerat, ex conducto ageret? Respondit, si vitiatum aedificium necessario demolitus esset, pro portione, quanti dominus praediorum locasset, quod ejus temporis habitatores habitare non potuissent, rationem duci, et tanti litem aestimari: sin autem non fuisset necesse demoliri (d), sed quia melius aedificare vellet, id fecisset, quanti conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportet. l. 30. l. 33. h.

31. Colonus villam hac lege acceperat, ut incorruptam redderet, praeter vim et vetustatem. Coloni servus villam incendit, non fortuito casu (a). Non vide-

---

(c) Le Pretre, cent. 1. ch. 2. Gotofr. Hic refert arrestum quo remissio mercedis facta est inquilino conquerendi se propter spectra, idola, seu φαντασματα, domui conductae infesta, frui non posse.

(d) Verum hoc casu non debet licere domino demoliri: sed tempus expletae locationis expectandum.

(a) Non praestat casus fortuitos domesticorum. V. l. 11. *de periculo et commodo*.

ri eam vim exceptam respondit; nec id pactum esse, ut si aliquis domesticus eam incendisset, ne praestaret; sed extrariam vim utrosque excipere voluisse. l. 30. §. ult. (13).

In judicio tam locati quam conducti dolum et custodiam, non etiam casum cui resisti non potest, venire constat. l. 28. C. *de locato.*

31. Qui fundum colendum in plures annos locaverat, decessit, et eum fundum legavit: Cassius negavit posse cogi colonum, ut eum fundum coleret, quia nihil haeredis interesset (*b*). Quod si colonus vellet colere, et ab eo cui legatus esset fundus, prohiberetur; cum haerede actionem colonum habere, et hoc detrimentum ad haeredem pertinere: sicuti si quis rem quam vendidisset, necdum tradidisset, alii legasset, haeres ejus emptori et legatario esset obligatus. l. 32. (c). (14).

33. Si colonus tuus fundo frui a te, aut ab eo prohiberetur quem tu prohibere ne id faciat possis, tantum ei praestabis, quanti ejus interfuerit frui: in quo.

---

(13) » Il fittajuolo è tenuto pei deterioramenti e per le perdite cagionate per fatto delle persone della sua famiglia. » *Leggi civ. art.* 1581.

(b) Colonus non tenetur stare successori singulari, nec vice versa V. l. 9. C. eod. l. 120 §. 2 *de legatis* 10. Si colonus expellitur a legatario, regressum habet adversus haeredem. Si autem fundum ipse dederit, non tenetur. Ratio, dominus non potuit conditionem ejus mutare dum fundum extraneo legavit. Tribus modis non tenetur stare successori singulari: 1. Quia obligationes potentiales potentiam non exeunt; 2. Colonus contraxit cum domino intuitu alicujus commodi; 3. Qui emit a fisco, tenetur stare colono ne fiscus teneatur regressus nomine. l. ult. *de jure fisci. Vide sex casus apud Guidonem Papam*, q. 480.

(c) Contra, si legasset, deinde vendidisset, legatum censeretur revocatum.

(14) Concorda. *Leggi civ. art.* 1572.

etiam lucrum (*d*) ejus continebitur. Sin vero ab eo interpellabitur quem tu prohibere propter vim majorem, aut potentiam ejus non poteris, nihil amplius ei quam mercedem remittere, aut reddere debebis (*e*). l. 33. in fin.

34. Opus, quod aversione locatum est, donec adprobetur, conductoris periculum est. Quod vero ita conductum sit, *ut in pedes mensurasve praestetur*, eatenus conductoris periculo est, quatenus admensum non sit; et in utraque causa nociturum locatori, si per eum steterit quominus opus adprobetur vel admetiatur (*f*). Si tamen vi majore opus prius interciderit, quam adprobaretur, locatoris periculo est; nisi aliud actum sit. Non enim amplius praestari locatori oporteat, quam quod sua cura atque opera consecutus esset. Si prius quam locatori opus probaretur, vi aliqua consumptum est, detrimentum ad locatorem ita pertinet, si tale opus fuit ut probari deberet. l. 36. et l. 37.

Marcius domum faciendam a Flacco conduxerat: deinde operis parte effecta, terrae motu concussum erat aedificium. Massurius Sabinus, si vi naturali, veluti terrae motu hoc acciderit, Flacci esse periculum. l. 59.

Si rivum quem faciendum conduxeras, et feceras, antequam eum probares, labes corrumpit, tuum periculum est. *Paulus*; imo, si soli vitio id accidit, lo-

---

(d) V. l. 13. *rem ratam haberi*.

(e) Casus fortuitus et vis major spectant dominum, id est, locatorem.

(f) Artifex vocatur conductor, contra dicitur locator in l. 22 §. 2, et in l. 59. et ult. h. contra in l. 38 §. h. h.

catoris erit periculum: si operis vitio id accidit, tuum erit detrimentum. l. ult. (15).

35. Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit quominus operas praestet. Advocati (a) quoque, si per eos non steterit quominus causam agant, honoraria reddere non debent. l. 38. d. l. §. 5.

36 Qui mercedem accipit pro custodia alicujus rei, is hujus periculum custodiae praestat.

Sed de damno ab alio dato agi cum eo non posse, Julianus ait. Qua enim custodia consequi potuit, ne damnum injuria ab alio dari possit (b)? Sed Marcellus interdum esse posse ait; sive custodiri potuit, ne damnum daretur, sive ipse custos damnum dedit. Quae sententia Marcelli probanda est, l. 40. et 41. (c).

37. Locare servitutem nemo potest. l. 44.

38. Cum apparebit emptorem conductoremve pluribus vendentem, vel locantem, singulorum in solidum intuitum personam (d); ita demum ad prestationem

---

(15) » Nel caso che l'artefice somministri la materia, se la cosa venga a perire in qualsivoglia modo prima di essere consegnata, la perdita resta a danno dell'artefice; purchè il padrone non fosse in mora nel riceverla. »

» Nel caso che l'artefice impieghi solamente il suo lavoro o l'industria, se la cosa venga a perire, l'artefice è tenuto soltanto per la sua colpa. » *Leggi civ. art.* 1634; 1635.

(a) *Avocat.* L. ult. C. *de condictione ob causam datorum.* l. 1 §. 13. *de extraordinariis cognitionibus.* Nota, honoraria in antecessum dabantur advocatis V. l. 1 §. 5, et §. 10. *de extraordinariis cognitionibus.*

(b) Custodia adversus vim parum proficit. l. 31 de actionibus empti et venditi. V. l. 19. *commodati vel contra.*

(c) L. 25. §. 4 h. l. 17 §. 4 et 20 §. 1 *de praescriptis verbis.*

(d) V. l. 5. §. ult. *commodati, vel contra.* l. 60 §. 2. *mandati, vel contra.*

partis singuli sunt compellendi, si constabit omnes esse solvendo. Quamquam fortasse justus sit, etiamsi solvendo omnes erunt, electionem conveniendi quem velit, non auferendam actori, si actiones suas adversus caeteros praestare non recuset. l. 47.

Sublata est haec electio, novella 99. v. 1. *de duob. reis*. n. 13.

39. Paulus respondit, si in omnem causam conductionis etiam fidejussor se obligavit (e), eum quoque exemplo coloni tardius illatarum per moram coloni pensionum praestare debere usuras. l. 54.

40. In conducto fundo, si conductor sua opera aliquid necessario, vel utiliter auxerit, vel aedificaverit, vel instituerit, cum id non convenisset; ad recipienda ea quae impendit, ex conducto cum domino fundi experiri potest. l. 55. §. 1. (*).

Colonus; cum lege locationis non esset comprehensum, ut vineas poneret, nihilominus in fundum vineas instituit, et propter earum fructum, denis amplius aureis annuis ager locari cœperat. Quaesitum est, si dominus istum colonum fundi ejectum pensionum debitarum nomine conveniat, an sumptus utiliter factos in vineis instituendis reputare possit, opposita doli mali

---

(e) V. l. 88. *de verborum obligationibus* l. 68 *de fidejussoribus*. l. 2. §. 12 *de administratione rerum ad civitates pertinentium*. Quid, si specialiter quis fidejussit? Placentinus putat usuras non ex mora, sed ex stipulatione tantum deberi. Joannes putat teneri in sortem et in usuras. Azo censet teneri tantum in praeteritas. Sed Joannis sententia communiter recepta est. Gotofr

(*) Errat qui credit, proprietarium acquirere augmenta a locatario facta, cum agitur de ferro, clavis, calice, et cocmentis, ipsa enim non ponuntur ut perpetuo maneant a locatario.

exceptione (*g*)? Respondit, vel expensas consecuturum, vel nihil amplius praestaturum. l. 61.

41. Cum domini horreorum insularumque desiderant, diu non apparentibus, nec ejus temporis pensiones exolventibus conductoribus, aperire, et ea quae ibi sunt, describere a publicis personis, quorum interest audiendi sunt. l. 56.

42. In operis locatione erat dictum, *antequam diem effici deberet*: deinde *si ita factum non esset, quanti locatoris interfuisset, tantam pecuniam conductor promiserat.*

Eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de spatio temporis aestimasset; quia id actum apparet esse, ut eo spatio absolveretur, sine quo fieri non possit. l. 58. §. 1.

43. Si sine definitione personae (*) mulionem a me conduxisti, et ego eum tibi dedissem, cujus negligentia jumentum perierit; illam culpam me tibi praestaturum aio, quod eum elegissem qui ejusmodi damno te adficeret. l. 60. §. 7. (*).

44. Vehiculum conduxisti *ut onus tuum portaret, et secum iter faceret*: id cum pontem transiret, redemptor ejus pontis portorium ab eo exigebat. Quaerebatur an etiam pro ipsa (sola) rheda portorium daturus fuerit? Puto, si mulio non ignoravit ea se transiturum,

---

(g) Verum cuinam electio dabitur?

(*) *Lex* 60 §. 2 *ait*: Vestimenta tua fullo perdidit, et habet unde petas, nec repetere vis. Agis nihilominus ex locato fullone, sed judicem aestimaturum an posses adversus furem magis agere et ab eo tuas res consequi, fullonis videlicet sumptibus.

(*) Si auriga currus publici aliquid subvertat; dominus de damno tenetur: ignarum nempe delegit, *sic judicatum Parisiis au chatelet.*

cum vehiculum locaret, mulionem praestare debere. l. 60. §. 8.

45. Æde, quam te conductam habere dicis, si pensionem domino in solidum solvisti, invitam te repelli non oportet, nisi propriis usibus dominus eam necessariam esse probaverit (16), aut corrigere domum maluerit, aut tu male in re locata versatus es. l. 3. C. *de locato.*

46. Viam veritatis ignoras in conductionibus non succedere haeredes existimans (*): cum sive perpetua conductio est, etiam ad haeredes trasmittatur; sive temporalis intra tempora locationis haeredi quoque contractus incubat. l. 10. C. *eod.* (17).

(16) » Il locatore non può sciogliere il contratto, ancorchè dichiari di volere abitare egli stesso la casa locata. » *Leggi civ. art.* 1607.

(*) *Vide dans les institute de Loysel, par Lauriere,* explicationem veteris adagii: *Mort et mariage rompent louage.*

(17) » Il contratto di locazione non si scioglie per la morte del locatore, nè per quella del fittajuolo. » *Leggi civ. art.* 1588.

TITULUS III.

De aestimatoria.

SUMMARIA.

1. *Aestimatio periculum facit suscipientis.*

1. Aestimatio periculum facit ejus qui suscepit. Aut igitur ipsam rem debebit incorruptam reddere, aut aestimationem de qua convenit. l. 1. §. 1.

V. l. 5. §. ff. *commod.*

TITULUS IV.

De rerum permutatione.

SUMMARIA.

1. *In permutatione neuter venditor, neuter emptor.*
2. *Affinis emptioni permutatio.*

1. Sicut aliud est vendere, aliud emere, alius emptor, alius venditor; ita pretium aliud, aliud merx. At in permutatione discerni non potest uter emptor, vel uter venditor sit. l. 1.

Nec ratio patitur ut una eademque res et veneat, et pretium sit emptionis. d. l. 1. (*).

Permutatio vicina est emptioni. l. 2. (1).

(*) *Lex* §. 4 *ait*: Igitur ex altera parte, traditione facta, si alter rem nolit tradere, non in hoc agemus, ut interest nostra illam rem accepisse de qua convenit, sed ut res contra nobis reddatur, condictioni locus est, quasi re non secuta. Contra Cujas ad hunc lo-

TITULUS V.

De praescriptis verbis, et in factum actionibus.

SUMMARIA.

1. *Plura negotia quam negotiorum vocabula.*
2. *Aut uterque dat; aut uterque facit; aut alter dat, alter facit.*
3. *Legi supplet praetor, scilicet ex mente legis.*
4. *Si tradita res aestimata ut venderetur perierit, ei perit cujus res agebatur: nisi alterius culpa perierit.*
5. *Si res vendita apud emptorem intra tempus experimenti perierit, venditori perit.*

1. Natura rerum conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula. l. 4.

2. In his competit speciebus totius ob rem dati tractatus; aut enim do tibi ut des; aut do ut facias; aut facio ut des (*a*); aut facio ut facias. l. 5.

---

tum quem explicat in l. 1 *de contrahenda empione*. l. 33. Pauli ad Edictum ait, liberum esse aut agere praescriptis verbis quasi ex permutatione, quanti interest rem de qua convenit accipere, vel si rem suam recipere malit condictione uti. Idem in eo cui res quam acceperat evicta est, potest aut suam repetere, aut agere quid sua interest. l. 29. C. *de evictionibus*. Ratio: Quando stipulatione contractus vallatus erat, dabatur actio in id quod interest. Apud nos autem semper stipulatio inesse creditur.

(1) » La permuta è un contratto col quale le parti si danno rispettivamente una cosa per un' altra; e si effettua col solo consenso, come la vendita. » *Leggi civ. art.* 1548, 1549.

(*a*) Do ut facias, et facio ut des, non sunt diversi contractus, sed unus et idem; unde reponendum est: Do aut facio, ut neque des neque facias.

*3. Supplet praetor in eo quod legi deest. l. 11. l. 13. *de legibus.*

4. Si margarita tibi aestimata dedero, *ut aut eadem mihi adferres, aut pretium eorum*; deinde haec perierint ante venditionem; cujus periculum sit? Et ait Labeo, quod et Pomponius scripsit, si quidem ego te venditor rogavi, meum esse periculum: si tu me, tuum: si neuter nostrum, sed duntaxat consensimus, teneri te hactenus ut dolum et culpam mihi praestes. l. 17. §. 1.

5. Si cum mihi vestimenta venderes, rogavero ut ea apud me relinquas, ut peritioribus ostenderem: mox haec perierint vi ignis, aut alia majore, periculum me minime praestaturum: ex quo apparet utique custodiam ad me pertinere (b). l. 17. §. 4.

Item apud Melam quaeritur: si mulas tibi dedero, ut experiaris; et si placuissent emeres: si displicuissent, ut in dies singulos aliquid praestares: deinde mulae a grassatoribus fuerint ablatae intra dies experimenti, quid esset praestandum? Utrum pretium et merces, an merces tantum? Et ait Mela, interesse utrum emptio jam erat contracta, an futura; ut si facta, pretium petatur; si futura, merces petatur. l. 20. §. 1.

(b) Et proinde levem culpam, non levissimam nec casus fortuitos. Gotofr. Qui autem pro custodia mercedem accepit, praestat levissimam culpam. l. 40. *locati conducti.*

LIBER VIGESIMUS

TITULUS I.

De pignoribus et hypothecis; (et) qualiter ea contrahantur; et de pactis eorum.

SUMMARIA.

1. *Pignori dantur futura bona.*
2. *Id in pignoris causa est quod habet debitor.*
3. *Omni obligationi pignus accedit, etiam naturali.*
4. *Idem est pignus ac hypotheca.*
5. *Rem nostram pro aliena obligatione pignori damus.*
6. *Vestis et similia generali pignoris obligatione non continentur.*
7. *Quae vendi possunt, pignori dari possunt.*
8. *Si duobus in solidum res pignori data sit, potior est possessor, nisi pro partibus abligatam habeant.*
9. *Quia aliena administrat, pignori dare potest ex causa administrationis.*
10. *Duobus res eadem pignori data, secundo obligatur post causam primi.*
11. *Stat hypotheca, sive ipsa, sive debitum conditionale sit.*
12. *Pro pensione pignus persequi possumus ante diem solutionis.*
13. *Qui solam habet specialem hypothecam, non omnium postea quaerendorum, docere debet rem fuisse in bonis debitoris, cum obligaretur.*
14. *Hypothecae accedit quod accedit pignori.*

15. *Retro recurrit ratihabitio pignoris.*
16. *Fundi mutatio, non mutat causam pignoris.*
17. *Si pluribus simul res una pignori detur, partes habebunt non pro numero; sed pro rata debiti.*
18. *Singula pignora pro tota causa debiti obligantur: etiam divisa inter haeredes.*
19. *Quae casu pignori contingunt, ad debitorem pertinent.*
20. *Non prohibetur pignus accipere is cui emere non licet.*
21. *Si filius rei suae pignori a patre datae instrumentum perscripserit, pignori consensit.*
22. *Haeredis bona, creditoribus defuncti pignori non sunt.*
23. *Pignori sunt quae ex pignore nascuntur.*
24. *Inaedificata a tertio possessore pignori sunt, is vero sumptus recipit.*
25. *Dominus fundi vectigalis potior est omni pignore pro vectigali.*
26. *Creditor possessionem pignoris autore praeside adipisci debet.*
27. *Custodiam pignoris praestat creditor, non vin majorem.*
28. *Obligatio bonorum, futura continet:*
29. *Illicita lex commissoria in pignoribus.*
30. *Pignoris praetorii persecutio ad actiones debitoris pertinet.*

1. Conventio generalis in pignore dando (*a*), bonorum vel postea quaesitorum recepta est. l. 1.

Et quae nondum sunt, futura tamen sunt, hypothecae dari possunt. l. 15. (1).

(a) V. l. 15 §. 1, et l. ult. C. *quae res pignori.*
(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1962.

2. Non plus habere creditor potest, quam habet qui pignus dedit. l. 3. §. 1.

Quid in eâ re quae pignori data est, debitor habuerit, considerandum est. d. §. in f.

3. Res hypotecae dari posse sciendum est pro quacumque obligatione: sive mutua pecunia datur, sive dos, sive emptio vel venditio contrahatur, vel etiam locatio et conductio, vel mandatum: et sive pura est obligatio, vel in diem, vel sub condictione; et sive in praesenti contractu, sive etiam praecedat; sed et futurae obligationis nomine dari possunt: sed et non solvendae omnis pecuniae causa, verum etiam de parte ejus: et vel pro civili obligatione, vel honoraria, vel tantum naturali. Sed et in conditionali obligatione non alias obligantur, nisi conditio extiterit. l. 5.

Ex quibus causibus naturalis obligatio consistit, pignus perseverare constitit. l. 14. §. 1.

4. Inter pignus autem et hypothecam tantum nominis sonus differt. l. 5. §. 1. (2).

5. Dare autem quis hypotecam potest sive pro sua obligatione, sive pro aliena l. 5. §. 2. (3).

6. Obligatione generali rerum quas quis habuit, habiturusve sit, ea non continebuntur, quae verisimile est quemquam specialiter obligaturum non fuisse: ut puta suppellex: item vestis relinquenda est debitori (*) l. 6.

---

(2) Vi è la sola differenza, che nel pegno, la cosa pignorata passa in mano del creditore o di un terzo; nell' Ipoteca, resta in mano del debitore. L.

(3) » Il pegno può esser dato da un terzo pel debitore. » *Leggi civ. art.* 1947.

(*) Proprietarius domus privilegium non habet in pecuniam numeratam, quam supra locatarium forte habeat: nam illa securitatem locatarii non facit, neque in ea se fundavit.

7. Quod emptionem venditionemque cecipit, etiam pignorationem recipere potest. l. 9. §. 1.

8. Si debitor res suas duobus simul pignori (*b*) obligaverit, ita ut utrique in solidum obligatae essent; singuli in solidum adversus extraneos Serviana utentur. Inter ipsos autem si quaestio moveatur, possidentis meliorem esse conditionem (*c*): dabitur enim possidenti haec exceptio, *si non convenit ut eadem res mihi quoque pignori esset*. Si autem id actum fuerit, ut pro partibus res obligarentur, utilem actionem competere et inter ipsos, et adversus extraneos; per quam dimidiam partis possessionem apprehendant singuli. l. 10.

9. Si is qui bona republicae jure administrat, mutuam pecuniam pro ea accipiat (*d*), potest rem ejus obligare. l. 11.

10. Cum pignori rem pignoratam accipi posse placuerit (*), quatenus utraque pecunia debetur, pignus secundo creditori tenetur, et tam exceptio quam actio utilis ei danda est (*e*). Quod si dominus solverit pecuniam, pignus quoque perimitur. l. 13. §. 2.

(b) V. l. 19 *de re judicata.*
(c) L. 16. §. 8. h.
(d) V. l. 27 *de rebus creditis.* l. ult. *de exercitoria actione.* l. 78 §. 2 *de legatis* 20.
(*) Opponens subordinatus ad persequentem potest petere susabuitionem actionibus contra occupatos? Lavinius ingens pragmaticam putat affirmative, nam simplex opponens, titulo carens evidenejt, potest subrogationem obtinere, licet realiter occupare non possit; ergo opponens subordinatus potest occupare et sistere in manibus occupati, et deinde facere ut bona occupentur. At mihi non satis id probatur; nam opponens subordinatus non est creditor occupati, priusquam illum condemnare fecerit. Potest is, ut fertur, jus sui debitoris exercere, at non potest sua acta de plena jurisdictione exercere: opus ergo is habet condemnatione personali.
(e) V. l. 31. hic.

Qui res suas jam obligaverint, et alii secundo obligant creditori, ut effugiant periculum quod solent pati, qui saepius easdem res obligant, praedicere solent, *alii nulli rem obligatam esse, quum forte Lucio Titio* (*f*), *ut in id quod excedit priorem obligationem, res sit obligata* (ut sit pignori hypothecaeve, id quod pluris est), aut solidum, cum primo debito liberata res fuerit. De quo videndum est, utrum hoc ita se habeat, si et conveniat: an et si simpliciter convenerit de eo quod excedit, ut sit hypotecae? Et solida res inesse conventioni videtur, cum a primo creditore fuerit liberata. An aduc pars? Sed illud magis est, quod prius diximus. l. 15. §. 2.

11. Si sub conditione debiti nomine, obligata sit hypotheca, dicendum est ante conditionem non recte agi, cum nihil interim debeatur: sed si sub conditione debiti condictio venerit, rursus agere poterit. Sed si praesens sit debitum (*g*), hypotheca vero sub conditione, et agatur ante conditione hypothecaria, verum quidem est, pecuniam solutam non esse (*h*), sed auferri hypothecam iniquum est. Ideoque arbitrio judicis cautiones interponendae sunt, *si conditio extiterit, nec pecuniam solvatur, restituti hypothecam, si in rerum natura sit.* l. 13. §. 5.

(f) V. l. 36. in fin. *de pignoratitia actione.*

(g) L. 54. *de verborum significationibus.*

(h) Scilicet creditori. Revera creditor est adhuc creditor, cum pecunia ei reddita non sit; id est ante eventum conditionis sub qua hypotheca constituta est, non potest agere actione hypothecaria. Verum potest vigilare ad conservandam hypothecam quae ei obveniet post conditionem impletam.

Aliena res utiliter potest obligari sub conditione *si debitoris facta fuerit*. l. 16. §. 7.

12. Quaesitum est, nisi nondum dies pensionis veni (*i*), an et medio tempore persequi pignora permittendum sit? Et puto, dandam pignoris persecutionem, quia interest mea (*k*). l. 14.

13. Quod dicitur, creditorem probare debere (*l*), *cum conveniebat, rem in bonis debitoris fuisse*: ad eam conventionem pertinet, quae specialiter facta est (*m*), non ad illam quae quotidie inseri solet cautionibus, *ut specialiter rebus hypothecae nomine datis, caetera etiam bona teneantur debitoris, quae nunc habet, et quae postea acquisierit, perinde atque si specialiter hae res fuissent obligatae* (*n*). l. 15. §. 1.

14. Si fundus hypothecae datus sit, deinde alluvione major factus est, totus obligabitur. l. 16.

Grege pignore obligato, quae postea nascuntur, tenentur. Sed et si prioribus capitibus decedentibus, totus grex fuerit renovatus, pignori tenebitur (*o*). l. 13. v. 1. n. 23.

15. Si nesciente domino res ejus hypothecae data sit, deinde postea dominus ratum habuerit, dicendum est, hoc ipsum, quod ratum habet, voluisse eum retro re-

(i) V. l. 24. §. 2. 3. *locati conducti*.

(k) Scilicet si debitor suspectus est. Gotofr. Secus ante conditionem, quia omnino incerta est.

(l) V. l. 1. hic.

(m) V. l. ult. C. *quae res pignori*, infra. n. 28.

(n) Quae autem moris sunt et consuetudinis tacite insunt. l. 31 §. 20, *de aedilitio edicto*.

(o) L. 76. *de judiciis*.

currere ratihabitionem ad illud tempus quo convenit (p). l. 16. §. 1.

16. Si res hypothecae data, postea mutata fuerit, aeque hypothecaria actio competit: veluti de domo data hypothecae, et horto facta. Item si de loco convenit, et domus facta sit. Item si de loco dato, deinde vineis in eo positis. l. 16. §. 2.

17. Si duo pariter (q) de hypotheca paciscantur; in quantum quisque obligatam hypothecam habeat, utrum pro quantitate debiti, an pro partibus dimidiis, quaeritur.? Et magis est, ut pro quantitate debiti pignus habeant obligatum (r). Sed uterque; si cum possessore agat (s), quemadmodum? utrum de parte quisque, an de toto, quasi utrique in solidum res obligata sit? Quod erit dicendum, si eodem die pignus utrique datum est separatim: sed si simul illi et illi, si hoc actum est (t), uterque recte in solidum aget; si minus, unusquisque pro parte. l. 16. §. 8. (4).

18. Qui pignori plures res accepit, non cogitur unam liberare, nisi accepto universo, quantum debetur. l. 19.

(p) Non tamen in prejudicium tertii cujus inter ea quaesitum foret.

(q) Id est eadem *ait.* Gotofr. l. 10 hic.

(r) Scilicet in solidum, non autem pró parte.

(s) Id est, si cum alterutro eorum agat: sed opponitur legi 10 cod. Quidquid fit uno die, praesumitur factum eodem momento, nec distinguitur tempus ante vel post meridiem. V. l. 8. *de feriis.*

(t) Contradicitur in l. 20. §. 1. de pigneratitia actione. Si pluribus res simul pignori detur, aequalis omnium causa est (item in dubio res praesumitur in solidum obligata). l. 10 hic.

(4) « I beni del debitore sono la comune garantia de' suoi creditori; ed il prezzo si ripartisce fra essi per contributo. » *Leggi civ. art.* 1936.

Actio quidem personalis, inter heredes (u) pro singulis portionibus quaesita, scinditur: pignoris autem jure multis obligatis rebus quas diversi possident, cum ejus vindicatio non personam obliget, sed rem sequatur: qui possident, tenentes non pro modo singularum rerum substantiae conveniuntur, sed in solidum, ut vel totum debitum reddant, vel eo quod detinent, cedant (*). l. 2. C. *si unus ex plur. haered. cred.* (x) (5).

19. Quidquid pignori commodi sive incommodi fortuito accessit, id ad debitorem pertinet. l. 21. §. 2. (6).

20. In quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere non prohibetur. l. 24.

21. Pater Seio emancipato filio facile persuasit, ut, quia mutuam quantitatem acciperet a Septicio creditore, chirographum perscriberet sua manu filius (ejus) quod ipse impeditus esset scribere, sub commemoratione domus ad filium pertinentis pignori dandae (y). Quaerebatur, an Seius inter caetera bona, etiam hanc domum jure optimo possidere, possit cum patris se hae-

(u) Debitoris scilicet. Gotofr.

(*) Stipulari potest, ut haeredes debitoris teneantur pariter in solidum, at non possunt obbligari per corpus.

(x) *Paris art.* 333.

(5) « Il pegno è indivisibile non ostante la divisibilità del debito tra gli eredi del debitore o fra quelli del creditore. — L'erede del debitore che ha pagato la sua parte del debito, non può domandare la restituzione della sua parte del pegno sino a che non sia interamente soddisfatto il debito — Vicendevolmente, l'erede del creditore, che ha esatto la sua parte del credito, non può restituire il pegno in pregiudizio de' suoi coeredi non ancora soddisfatti « *Leggi civ. art.* 1953.

(6) Concorda. *Leggi civ. art.* 1951

(y) V. l. 39. *de pignoratitia actione*. Le Pretre, *cent.* 1. C. 29. l. 34. §. 6. Lucianus, *de legatis* 29 *l.* 9. §. 1; *quibus modis pignus vel hypotheca solvitur*.

reditate abstinuerit; nec metuiri ex hoc solò quod, mandante patre, manu sua perscripsit instrumentum chirographi, cum neque consensum suum accommodaverat patri, aut signo suo, aut alia scriptura? Modestinus respondit, cum sua manu pignori domum suam futuram Seius scripserat, consensum ei obligationi dedisse manifestum est. l. 26. §. 1.

22. Paulus respondit, generalem quidem conventionem sufficere ad obligationem pignorum; sed ea, quae ex bonis defuncti non fuerunt, sed postea ab haerede ejus ex alia causa acquisita sunt (z), vindicari non posse a creditore testatoris (a). l. 29.

23. Si mancipia in causam pignoris ceciderunt, ea quoque, quae ex his nata sunt, eodem jure habenda sunt. l. 29. §. 1. v. s. n. 14. (7).

24. Domus pignori data exusta est, eamque aream emit Lucius Titius et extruxit: quaesitum est de jure pignoris. Paulus respondit, pignoris persecutionem perseverare (*); et ideo jus soli superficiem secutam videri, id est, cum jure pignoris; sed bona fide possessores non aliter cogendos creditoribus aedificium restituere,

---

(z) V. l. 1. *communia de legatis.* Contra.

(a) *Qui potiores in pignore.*

(7) Concorda. *Leggi civ. art.* 1971.

(*) Fit distractio fundorum et superficiei in favorem diversorum creditorum. V. tamen l. 15. *qui potiores in pignore.* Non ergo opus distractionem superficiei dare in commodum simplicis hypothecarii contra fundi locatores: nec nisi privilegia distractionem obtinent. Contra dicitur in lege 44. §. 1. *de damno infecto.* Verum in hac lege 44 agitur de sumptibus refectionis, quos creditor non tenetur agnoscere, secutus de sumptibus aedificationis quos agnoscit. Cujas ad l. 29. §. 2. *de pignoribus et hypothecis.* V. l. 6. *qui potiores in pignore.*

quam sumptus in extructione erogatos, quatenus pretiosior res facta est, reciperent. l. 29. §. 2.

25. (*) Lex vectigali fundo erat dicta, (ut) *si post certum tempus vectigal (b) solutum non esset, is fundus ad dominum redeat*: postea is fundus a possessore pignori datus est: quaesitum est an recte pignori datus est? Respondit, si pecunia intercessit, pignus esse. Item quaesiit: si, cum in exsolutione vectigalis tam debitor, quam creditor (**) cessassent, et propterea pronunciatum esset, *fundum secundum legem, domini esse*, cujus potior causa esset? Respondit, si (ut proponeretur) vectigali non soluto, jure suo dominus usus esset, etiam pignoris jus evanuisse. l. 31. V. 1. *qui potior* n. 11.

26. Creditores, qui, non reddita sibi pecunia, conventionis legem, ingressi possessionem, exercent, vim quidem facere non videntur: attamen auctoritate praesidis possessionem adipisci debent. l. 3. C. *de pign. et hyp.* (8).

27. Sicut vim majorem pignorum creditor praestare non habet necesse; ita dolum et culpam, sed et custodiam exhibere cogitur. l. 19. C. *de pign. et hyp.*

28. Si res suas supponere debitor dixerit, non adje-

(*) Resolutio hypothecae non hac in lege accidit ex facto emphyteutae, sed solum ex sua omissione. Ejus creditores debent eam supplere uti solvitur jus pauletanum pro suo debitore.

(b) Hoc vectigal dicitur solatium. l. 15. *potiores in pignore.* l. 2. §. 17. *ne quid in loco publico.*

(**) Creditores solvunt jus Pauletanum pro suo debitore.

(8) « Il creditore non può in mancanza del pagamento disporre del pegno: gli è però salvo il diritto di far ordinare giudizialmente che il pegno gli rimanga in luogo di pagamento, e fino alla concorrenza del debito « *Leggi civ. art.* 1948.

cto, *tam praesentes quam futuras* (c); jus tamen generalis hypothecae etiam ad futuras res producatur. l. ult. C. *quae res pign. obl.* (9)

29. Quoniam inter alias captiones praecipue commissoriae (pignorum) legis crescit asperitas, placet infirmari eam, et in posterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis agitur tali contractu laborat, hac sanctione respiret, quae cum praeteritis praesentia quoque repellit, et futura prohibet. Creditores enim re amissa jubemus recuperare quod dederunt. l. ult. C. *de pactis pign.*

30. Si praetorium pignus quicumque judices dandum alicui perspexerint, non solum super mobilibus rebus, et immobilibus, et se moventibus, sed etiam super actionibus quae debitori competunt, praecipimus et de eis licere decernere (d). l. 1. C. *de praetor. pign.*

(c) Contra in donatione universali, quae bona futura non continet, nisi expressa sint. Arg. l. 7. ff. *de auro legato.* l. 86 *de legatis.* 20. et Perezi *de donat.* C. n. 20. V. Fernand. ad Morga. p. 1. C. 5. n. 3 4.

9) « I beni futuri non possono essere ipotecati (*Leggi civ. art.* 2015); dunque neppure per induzione.

(d) Pignoris praetorii et judicialis discrimen, vide apud Zoes. *de pignoribus.* n. 8 9.

TITULUS II.

In quibus causis pignus vel hypoteca tacitè contrahitur.

SUMMARIA.

1. *Pignus habet qui redemptori, aedificii domino mandante, credidit.*
2. *Invectatum pro pensionibus cum pro damno, quod dederit inquilinus, obligata sunt.*
3. *Illata in praedia urbana pignori sunt, non quae rustica.*
4. *In praediis rusticis fructus domino pignori sunt.*
5. *Pignori sunt omnia bona pro tributis, et debitis fiscalibus.*
6. *Vitrici bona pupillo pro tutela matris obligantur.*

1. Senatusconsulto, quod sub Marco imperatore factum est, pignus insulae creditori datum, qui pecuniam ob restitutionem aedificii (*a*) extruendi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit, qui redemptori (*b*), domino mandante, nummos ministravit (*). l. 1. V. 1. *qui potior* n. 3. (1).

2. Non solum pro pensionibus, sed et si deteriorem habitationem fecerit culpa sua inquilinus (*c*), quo no-

(a) V. l. 1 *de cessione bonorum.*

(b) V. l. 24 §. 1 *de rebus auctoritate judicis possidendis vel vendendis.* V. l. 25 *de rebus creditis.*

(*) *Opus ne est enumeratione rerum, et expensarum?* V. ad l. ult. *de exercitoria actione.*

(1) Concorda. *Leggi civ. art.* 1972.

(c) Fidejussor pensionis tenetur-ne de ruinis, si non in omnem

mine ex locato cum eo erit actio, invecta et illata pignori erunt obligata. l. 2.

3. Si horreum fuit conductum, vel diversorium, vel area; tacitam conventionem de invectis illatis, etiam in his locum habere, putat Neratius: quod verius est. Eo jure utimur, ut quae in praedia urbana *inducta illata* sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite convenerit (d). In rusticis praediis contra observatur. Stabula quae non sunt in continentibus aedificiis, quorum praediorum ea numero habenda sint, dubitari potest? Et quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum a caeteris aedificiis separata sint. Quod ad causam tamen (talis) taciti pignoris pertinet, non multum ab urbanis praediis differunt. l. 3. l. 4. d. l. §. 1. (2).

4. In praediis rusticis fructus qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiamsi nominatim id non convenerit. l. 7. (3).

5. Universa bona eorum qui censentur vice pignorum tributis obligata sunt. l. 1. C. *eod.* V., Bouguier. h. c.

Certum est ejus, qui cum fisco contrahit, bona veluti pignoris titulo obligari, quamvis specialiter id non exprimatur. l. 2. C. *eod.* l. 28. *de jure fisci.*

6. Si mater legitime liberorum tutela suscepta, ad

---

causam fidejussit? Non distinguimus apud nos. V. ad l. *locati conducti.*

(d) Quia quae moris sunt et consuetudinis tacite insunt. l. 1. 3. §. 20 *de aedilitio edicto.*

(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 1971.

(3) Concorda. *Ivi.*

secundas . . . . aspiraverit nuptias antequam eis tutorem alium fecerit ordinari, eisque quod debetur ex ratione tutelae gestae, persolverit, mariti quoque ejus praeteritae tutelae gestee ratiociniis, bona jure pignoris tenebuntur obnoxia. l. 6. c. *eod.* Bona ejus primitus qui tutelam gerentis affectaverit nuptias, in obligationem venire, et teneri obnoxia rationibus parvulorum praecipimus, ne quid incuria, ne quid fraude depereat. l. 2. C. *quand. mul. tut. off. fung. pot.*

TITULUS III.

Quae res pignori vel hipothecae datae, obligari non possunt.

SUMMARIA.

1. *Non succedit in jus pignoris qui non convenit. Saepe per alios possumus quod non ex nostra persona possumus.*
2. *Pro futuro mutuo destinatum pignus non nisi numeratione contrahitur.*
3. *Pro debito civili, quae ad culturam agri pertinent, non auferuntur jure pignoris.*

1. Etiamsi ita contractum sit (*a*), ut *antecedens dimitteretur*, non aliter in jus pignoris succedet, nisi convencrit (*b*), *ut sibi eadem res esset obligata.* Neque enim in jus primi succedere debet, qui ipse nihil con.

(*c*) V. l. 2 *de cessione bonorum.* V. infra *qui potiores in pignore.* n. 15.

(*d*) V. *Qui potiores in pignore.* n. 4, et 17.

venit de pignore: quo casu emptoris causa melior efficietur (*). Denique si antiquior creditor *de pignore vendendo* cum debitore pactum interposuit, posterior autem creditor de distrahendo omisit, non per oblivionem, sed cum hoc ageretur, *ne posset vendere*; videamus an dici possit, huc usque transire ad eum jus prioris, ut distrahere pignus huic liceat? Quod admittendum existimo: saepe enim quod quis ex sua persona non habet, hoc per extraneum petere potest. l. 3. in fin. l. 3. ff. *quemad. serv. amittit.*

2. Titius, cum mutuam pecuniam accipere vellet a Maevio, cavit ei, et quasdam res hypothecae nomine dare destinavit: deinde postquam quasdam ex his rebus vendidisset, accepit pecuniam. Quaesitum est, an et prius res venditae creditori tenerentur? Respondit, cum in potestate fuerit debitoris post cautionem interpositam, pecuniam non accipere (*a*), eo tempore pignoris obligationem contractam videri, quo pecunia numerata est: et ideo inspiciendum, quas res in bonis debitor numeratae pecuniae tempore habuerit. l. 4. V. l. 1. §. 1. tit. seq. l. 11. *qui potior.*

3. Executores a quocumque judice dati ad exigenda debita ea, quae civiliter poscuntur, servos aratores, aut boves aratorios, (aut instrumentum aratorium)

(*) Hinc datur subrogatio legalis emptori, qui in judicium citatus in declarationem hypothecae damnatur ad solvendum veteri creditori. V. l. 17. *qui potiores in pignore.* l. 1. C. *de his qui in priorum creditorum locum succedunt.* V. l. 3. Nihilominus lex non loquitur nisi de eo cui prior creditor vendidit rem hypothecatam. Emptor subrogatur pleno jure hypothecis illius cui ille solvit l. 17. *qui potiores in pignore.* l. 3. C. *de his qui in priorum creditorum locum succedunt.*

(*a*) L. 3. *quibus modis pignus vel hypotheca solvitur.*

pignoris causa de possessionibus non abstrahant, ex quo tributorum illatio retardetur (*). Si quis igitur intercessor, aut creditor, vel praefectus pagi (vel vici), vel decurio in hac re fuerit detectus, aestimando a judice supplicio subjugetur. l. 7. C. *eod.*

Pignorum gratia liquid [quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit. l. 8. C. eod.

TITULUS IV.

Qui (a) potiores in pignore vel hypothoca habeantur, et de his qui in priorum creditorum locum succedunt.

SUMMARIA.

1. *Obligatur pignus pro restituenda dote, et si nondum numerata sit.*
2. *Generalis unius creditoris hypotheca speciali alterius postea quaesita potior.*

Prius exercenda specialis hypotheca prioris creditoris, quam ad generalem veniatur contra secundum creditorem.

Creditor prius specialem hypothecam exerceat adversus debitorem, quam veniat ad generalem.

3. *Potior est priori, cujus pecunia rem servavit.*
4. *Item is cujus pecunia res comparata est, si ex contractu appareat pignori obligatam.*

(*) Haec Imperatoris ratio est, non Jurisconsulti: hic enim humaniorem attulisset rationem, nempe ne homini media auferantur ad vitam alendam.

(a) Vide plura privilegia in tit. *de rebus auctoritate judicis possidendis vel vendendis.*

5. *Fisco praefertur prior tempore.*

6. *Pignus ob debitum conditionale, post conditionis eventum retrotrahitur ad diem obligationis.*

7. *Posterior creditor priori solvens in ejus locum succedit.*

Non idem in extero non creditore.

8. *Aliud alienum negotium gerere, aliud suum.*

Usuras usurarum quas priori creditori solvit secundus non repetat.

9. *Prior posteriori (etiam pignus possidenti) potior.*

10. *Si venditori prioris anni pensio, emptori posterioris, utique sub eadem hypotheca debeatur, potior erit venditoris causa, nisi aliud actum sit.*

11. *Dominus soli pro solario, omni hypotheca potior.*

12. *Pro usuris quae accedant jus pignoris a die obligationis quaesitum est.*

13. *Potior jure qui praevenit tempore.*

14. *Privilegiis personalibus pignus antefertur.*

15. *Qui hypothecarium creditorem sua pecunia dimittit, non ei succedit nisi id actum sit.*

16. *Fisco solvens, ejus privilegio succedit, si mandatas habet actiones.*

17. *Potiori succedit emptor cujus pecunia is dimissus est.*

1. Qui dotem pro muliere promisit, pignus sive hypothecam de restituenda sibi dote accepit, subsecuta deinde pro parte numeratione, maritus eandem rem pignori alii dedit: mox residuae quantitatis numeratio impleta est. Quaerebatur de pignore. Cum ex causa promissionis ad universae quantitatis exsolutionem qui dotem promisit compellitur, non utique solutionum

observanda sunt tempora, sed dies contractae obligationis. Nec (probe) dici, in potestate ejus esse, ut pecuniam residuam redderet (*b*), ut minus dotata mulier esse videatur. Alia causa est ejus, qui pignus accepit, ad eam summam, quam intra diem certum numerasset, ac forte prius quam numeraret, alii res pignori data est. l. 1. d. l. §. 1. (1).

2. Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea predium ex his bonis datur: quamvis ex caeteris pecuniam suam redigere possit. Quod si ea conventio prioris fuit, *ut ita demum caetera bona pignori haberentur, si pecunia de his quae generalitèr accepit, servari non potuisset*: deficiente secunda conventione, secundus creditor in pignore postea dato non tam potior, quam solus invenietur. l. 2.

Quamvis constet specialiter quedam et universa bona generaliter adversarium tuum pignori accepisse, et equale jus in omnibus habere, jurisdictio tamen temperanda est (c). Ideoque, si certum est posse eum ex his que nominatim ei pignori obligata sunt universum redigere debitum: ea que postea ex eisdem bonis pignori accepisti, interim tibi non auferri preases (provinciae) jubebit. l. 2. C. *de pig. et hyp.*

Que specialiter vobis obligata sunt, debitoribus detrectantibus solutionem, bona fide debetis et solemni-

---

(b) l. 4. *quae res pignori.* l. 3. *quibus modis pignus vel hypocheca solvitur.* V. infra n. 6.

(1) » Esiste l'ipoteca, indipendentemente da qualunque inscrizione; a beneficio delle mogli, per ragione della loro dote e convenzioni matrimoniali, sopra gl' immobili de' loro mariti dal giorno del loro matrimonio » *Leggi civ. art.* 2021. n. 2.

(c) Hoc non servatur apud nos. Specialis enim hypotheca non derogat generali? nec vice versa.

ter vendere. Ita enim apparebit, an ex pretio pignoris debito satisfieri possit. Quod si quid deerit, non prohibemini caetera etiam bona jure conventionis consequi l.. 9. C. *de distract. pig.*

3. Interdum posterior potior est priori: ut puta, si in rem istam conservandam impensum est quod sequens credidit; veluti si navis fuit obligata, et ad armandam eam (rem) vel reficiendam eam ego credidero (*d*), l. 5. hujus enim pecunia salvam facit totius pignoris causam (*). Quod poterit quis admittere, etsi in in cibaria nautarum fuerit creditum; sine quibus navis salva pervenire non poterat. Item, si quis in merces (sibi) obligatas crediderit, vel ut salvae fiant, vel ut naulum exolvatur, potentior erit, licet posterior sit: nam, et ipsum naulum potentius est. Tantumdem dicetur, et si merces horreorum vel areae, vel vecturae jumentorum debetur: nam, et hic potentior erit. l. 6. d. l. §. 1. et 2. (*e*) (2).

4. Idemque est, si ex nummis pupuilli fuerit res comparata: quare, si duorum pupillorum nummis res fuerit comparata, ambo in pignus concurrent pro his portionibus, quae in pretium rei fuerint expensae. l. 17. V. l. ult. §. 1.

Quamvis ea pecunia (**), quam a te mutuo fra-

(d) L. 1 *de cessione bonorum*. L. 1. *in quibus causis pignus.*

(*) In materia privilegiorum ultima sunt meliora ut ait Oliverius Stephanus. Unde qui credidit ad rem conservandam, prefertur venditori, quia pecunia creditoris salvam fecit totius pignoris causam.

(e) L. 29. §. *de pignoribus.*

(2) Concorda. *Leggi civ. art.* 1972, n. 4 e 5.

(**) Opus est, ut fiat mentio in apocha solutionis, quod pecunia proveniat a creditore: secus nulla ei probatio suppetet; opus quoque est stipulatione de pecunia in lucrum locanda.

ter tuus accepit, comparaverit praedium, tamen nisi specialiter vel generaliter hoc tibi obligaverit, tuae pecuniae numeratio in causam pignoris non deduxit. l. 17. C. *de pig. et hyp.* l. 6. C. *qui pot.* (*f*) (3).

5. Si pignus specialiter respublica acceperit, dicendum est praeferri eam fisco debere, si postea fisco debitor obligatus est, quia et privati preferuntur. l. 8. v. 1. *de jure fisci.* n. 14.

Titius Seiae ob summam qua ex tutela ei condemnatus erat, obligavit pignori omnia bona sua quae habebat, quaeque habiturus esset (***): postea mutuatus a fisco pecuniam; pignori ei res suas omnes obligavit, et intulit Seiae partem debiti, et reliquam summam novatione facta eidem promisit (*g*), in qua obligatione similiter, ut supra de' pignore convenit. Quaesitum est, an Seia praeferenda sit fisco, et in aliis rebus quas Titius tempore prioris obligationis habuit, item in his rebus quas post priorem (*h*) obligationem adquisivit, donec universum suum debitum consequatur? Respondit nihil proponi cur non sit praeferenda (*i*).

(f) L. 3. *quae res pignori.*

(3) « Sono creditori privilegiati sopra un immobile quelli che hanno somministrato danaro per l'acquisto di esso; purchè sia comprovato autenticamente coll'atto dell'imprestito, che la somma era destinata a tale impiego « *Leggi civ. art.* 1972, n. 2.

(***) Nota. Judicia hypothecam non ferunt in jure.

(g) Nota, non fuisse animum novandae obligationis, ut in l. 2 *de novationibus et delegationibus*, alioquin periisset hypotheca. L. 18. et 30 *eodem.*

(h) Cujacius ait, antequam cum fisco Titius contraxerit. Sed nulla foret dubitandi ratio. Cuj. 10. ob. 22. Sed dicendum, pupillam tempore privilegiatam praeferri fisco postea contrahentem etiam in rebus postea quaesitis.

(i) Contra in l. 28. *de jure fisci.* Ubi fiscus praefertur in postea quaesitis.

l. ult. V. l. 4. C. *eod.* l. 2. in f. C. *de privil. fisci.* (4).

6. Si haeres ob ea legata quae sub conditione data erant, de pignore rei suae convenisset (k), et postea eadem ipsa pignora ob pecuniam creditam pignori dedit, ac post conditio legatorum extitit: hic quoque tuendum eum, cui prius pignus datum esset, existimavit. l. 9. §. 2.

Videamus, an idem dicendum sit, si, sub conditione stipulatione facta, hypotheca data sit, qua pendente alius credidit pure, accepit eandem hypothecam; tunc deinde prioris stipulationis exsistat conditio, ut potior sit, qui postea credidisset? Sed vereor, num hic aliud sit dicendum: cum enim semel conditio exstitit, perinde habetur ac si illo tempore quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset; quod et melius est. l. 11. §. 1.

Amplius etiam sub conditione creditorem tuendum putabat adversus eum, cui postea quicquam deberi coeperit; si modo non ea conditio sit (l), quae invito debitore impleri non possit. l. 9. §. 1.

7. Si paratus est posterior creditor priori creditori solvere quod ei debetur (*m*), videndum est, an competat ei hypothecaria actio, nolente priore creditore

(4) » Il privilegio del tesoro pubblico non vale in pregiudizio de' diritti acquistati antecedentemente da' terzi » *Leggi civ. art.* 1976.

(k) Nota, bona haeredis non esse ipso jure obligata legataria. Conditio causalis vel mixta facile retrotrahitur, secus potestativi. Gotofr. Vulgo tamen dicitur in legatis conditionem non retrotrahi. Verum ea regula respicit duntaxat trasmissionem legati; aut potius hic non agitur de bonis testatoris. Conditio hic retrahitur et in legatis et in contractibus. V. l. 1 hic l. 5. *quae res pignori.*

(l) Ne debitor possit creditorem quem libuerit praeferre.

(m) Jus offerendi.

pecuniam accipere? Et dicimus, priori creditori inutilem esse actionem, cum per eum fiat, ne ei pecunia solvatur l. 11. §. ult.

Plane, cum tertius creditor primum de sua pecunia demisit, in locum ejus substituitur in ea quantitate, quam superiori exolvit. l. 16.

Si tertius creditor pignora sua distrahi permittit, ad hoc, ut priori pecunia soluta, in aliud, pignus priori succedat, successurum eum Papinianus scripsit. Et omnio secundus creditor nihil aliud juris habet, nisi ut solvat priori, et loco ejus succedat. l. 12. §. 9.

Eum qui a debitore suo praedium obligatum comparavit, eatenus tuendum, quatenus ad priorem creditorem ex tertio pecunia pervenit. l. 17. (b).

Qui pignus secundo loco accepit, ita jus suum confirmare potest, si priori creditori debitam pecuniam solverit (c): aut cum obtulisset, isque accipere noluisset, eam obsignavit et deposuit, nec in usus suos convertit. l. 1. C. *eod.*

Res obligatas exterus debito soluto liberando, datum petere, non earum dominium adipisci potest. l. 21. C. *de pig.* (5).

8. Sciendum est, secundo creditori rem teneri, etiam invito debitore, tam in suum debitum, quam in primi creditoris, et in usuras suas, et quas primo

(b) Ipso jure absque stipulatione. V. l. 3 in fine *quae res pignori*. V. infra. n. 15. et n. 17.

(c) Jus offerendi: fine quo secundus creditor non potest sibi et primo hypotecam distrahere.

(5) Al contrario se il creditore è il fisco, poichè chiunque soddisfa ciò che al tesoro è dovuto, subentra ne' dritti e privilegj del medesimo contra il debitore moroso, senza bisogno di cessione. *Leggi civ. art.* 1985.

creditori *solvit*: Sed tamen usurarum, quas creditori primo solvit, usuras non consequetur, non enim alterius negotium gessit (d), sed magis suum. l. 12. §. 6. l. 22. C. *de pig. et hyp.* V. 1. n. 12. (*).

9. Si priori hypotheca obligata sit, nihil vero de venditione convenerit, posterior vero de hypotheca vendenda convenerit; verius est, priorem potiorem esse. Nam et in pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem. l. 12. §. ult.

10. Insulam tibi vendidi, et dixi: *prioris anni pensionem mihi, sequentium tibi accessuram, pignorumque ab inquilino datorum jus utrum que secuturum*: Nerva Proculus, nisi ad utramque pensionem pignora sufficerent, jus omnium pignorum primum ad me pertinere (f), quia nihil aperte dictum esset, ap communiter ex omnibus pignoribus summa pro rata servetur: si quid superesset, ad te. *Paulus*: facti quaestio est; sed verisimile est id actum, ut primam quamque pensionem (**) pignorum causa sequatur. l. 13.

(d) V. l. 18. C. *de negotiis gestis*. s. n. 18. *de pignoris gestis*.

(*) Usure usurarum neque in judicio locum haberent, conditio enim debitoris deterior fieri nequit quod secundus creditor priori solvit; eadem ratione secundus creditor petere non posset redhibitionem redditus constituti, quam ipse solvit primo creditori: secus in quibuscumque his casibus respectu fidejussoris, *qui alterius negotium gerit, non suum.* Unde usurae usurarum decurrunt pleno jure in ejus utilitatem; et potest quoque redhibitionem petere, cum ipsemet redditum persolvit debitum pro debitore principali.

(f) Ordo scripturae servatur. L. 34. *de usufructu.*

(**) Quid de eo qui cessit partem sui crediti? concurrit ne his in hypotheca cum suo cessionario?

11. Etiam superficies in alieno solo posita, pignori dari potest: ita tamen, ut prior sit causa domini soli, si non solvatur ei salarium (*h*). l. 15.

12. Lucius Titius mutuam pecuniam dedit sub usuris, acceptis pignoribus: eidemque debitori Maevius sub iisdem pignoribus pecuniam dedit. Quaero, an Titius non tantum sortis, et earum usurarum nomine quae accesserunt, antequam Maevius crederet, sed etiam earum quae postea accesserunt, potior esset? Respondit, Lucium Titium in omne quod ei debetur, priorem esse. l. 18.

13. Cum de pignore utraque pars contendit, praevalet jure qui praevenit tempore. l. 2. in f. C. *qui potior.* (6).

14. Eos qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus quae personalibus actionibus competunt, preferri constat (*i*). l. 9. C. *qui potior.*

15. Non omnino succedunt in locum hypothecarii creditoris hi quorum pecunia ad creditorem transit. Hoc enim tunc observatur, cum is qui pecuniam postea dat, sub hoc pacto credat, ut idem pignus ei obligetur (*k*), et in locum ejus succedat. Quod cum

---

(g) Si is qu partem cenit sui crediti, dedit se cautionem de solvendi capacitate debitoris, debet praelationem suo cessionario concedere. *Secus ergo* cum ipse recipit partem sui debiti de pecunia tertii, et debitor vult subrogare eum qui eam praestat, id discrimen est cessionis et subrogationis. *Quid* cum non adest cautio?

(h) Quid sit solarium. V. l. 2. §. 17. *ne quid in loco publico.* Nulla ventilatio in jure.

(i) Exceptis sumptibus justitiae et funerum.

(6) « L'ipoteca non prende il grado se non dal giorno della inscrizione. » *Leggi civ. art.* 2020.

(k) V. l. 17. hoc titulo. l. 3. *quae res pignori*, et l. 2. *de cessione bonorum.*

in persona tua factum non sit (judicatum est enim te pignora non accepisse) frustra putas tibi auxilio opus esse constitutionis nostrae ad eam pertinentis. l. 1. C. *de his qui in pr. cr. loc. suc.*

16. Cum pro patre in cujus potestate non eras, pecuniam fisco intuleris, et jure (*l*) privilegio ejus successisti, et ejus locum, cui pecuniam numerasti, consecutus es. l. 2. C. *de his qui in prior. cred. loc. suc.*

Si cum pecuniam pro marito solveres, neque jus fisci in te transferri impetrasti, neque pignoris causa domum vel aliud quid ab eo accepisti, habes personalem actionem. l. 3. C. *de privil. fisci.*

Si in te jus fisci, cum reliqua solveres debitoris pro quo satisfaciebas, tibi competens judex adscripsit (*) et transtulit, ab his creditoribus quibus fiscus potior habetur, res quas eo nomine tenes, non possunt inquietari. l. ult. C. *eod.* (7).

17. Si potiores creditores pecunia tua dimissi sunt, quibus obligata fuit possessio quam emisse te dicis, ita ut pretium perveniret ad eosdem priores creditores, (*m*) in jus eorum successisti: et contra eos qui illis inferiores fuerunt, justa defensione te tueri potes. l. 3. C. *de his qui in prior.* (8).

(l) Ergo, qui solvit fisco non succedit ipso jure in ejus privilegio, * neque vim habet per corpus.

(*) *Subrogatio judiciaria.*

(7) » Chiunque soddisfa ciò che al tesoro è dovuto, subentra ne' dritti e privilegj del medesimo contra il debitore in ritardo, senza bisogno di cessione » *Leggi civ. art.* 1985.

(m) V. l. 3. *quae res pignori.*

(8) Concorda. *Leggi civ. art.* 1985, 1998.

TITULUS V.

De distractione pignorum, et hypothecarum.

SUMMARIA.

1. *Si plura sint pignora, quae volet creditor distrahet.*
2. *Si pignus debito non sufficiat, non solvitur obligatio residui.*
3. *Eligit creditor an hypothecam exerceat, an personalem actionem adversus debitorem.*
4. *Sed in tertium non agit hypothecaria, nisi prius egerit personalia in reum et fidejussores.*
5. *Stat pignus pro parte crediti.*
Praetor jubet distrahi pignus quod a debitore possidetur.
6. *Haeres non liberat hypothecam partem solvendo.*

1. Creditoris arbitrio permittitur, ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit distractis, ad suum commodum pervenire. l. 8.

2. Quaesitum est, si creditor ab emptore pignoris pretium servare non potuisset, an debitor liberatus esset? Putavi, si nulla culpa imputari creditori possit, manere debitorem obligatum. l. 9.

3. Persecutione pignoris omissa, debitores actione personali convenire creditor urgeri non potest. l. 24. C. *de pign.*

Prius in personam debitoris et fidejussorum agere debet creditor, quam in tertium pignoris possessorem; et prius in pignus debitoris, quam fidejussoris. Nov. 4. cap. 2.

4. Quamdiu non est integra pecunia creditori numerata, etiamsi pro parte majore eam consecutus sit, distrahendi rem obligatam non amittit facultatem. l. 6. C. *eod.*

5. Si in hoc quod jure tibi debetur, satisfactum non fueris, debitoribus res obligatas tenentibus, aditus praeses provinciae, tibi distrahendi facultatem jubebit fieri. l. 14. C. *eod.*

6. Unus ex multis debitoris, qui pignora tradiderat, haeredibus, quod ab eo personali actione peti potuit, solvendo, res obligatas distrahendi creditori facultatem non adimit. l. 16. C. *de distr. pig.*

Qui pro parte haeres extitit, nisi totum debitum exolvat, suam portionem ex pignoribus recipere non potest. l. 1. C. *de luit. pig.* l. 2. C. *si unus ex plurib.*

TITULUS VI.

Quibus modis pignus vel hypotheca solvitur.

SUMMARIA.

1. *Soluto jure debitoris, solvitur pignus, aliud si ipse volens jus suum dimittat.*
2. *Redhibitio non solvit pignus, nisi creditor consentiat.*
3. *Liberatur pignus solutione, satisdatione. tempore, tum denique cum obligatio finita est.*
4. *Alienatione etiam cui creditor consentit.*
5. *Remittit pignus creditor qui cum alteri illud obligatur, consentit.*
6. *Venditioni consentit, et pignus amittit qui venditionis instrumento subscribit, non deceptus.*

7. *Non celebrata, vel soluta venditione, cui consenserat creditor, pignus reviviscit.*

8. *Idem si venditio fuerit irrita, vel secuta non sit.*

1. Si res distracta fuerit sic, *nisi intra certum diem meliorem conditionem invenisset*, fueritque tradita, et forte emptor, antequam melior conditio offerretur, hanc rem pignori dedisset: Marcellus ait finiri pignus (*a*), si melior conditio fuerit allata. Quamquam ubi sic res distracta est, *nisi emptori displicuisset*, pignus finiri non putet (*b*). l. 3.

2. (*c*) Si debitor cujus res pignori obligatae erant, servum quem emerat redhibuerit (*), an desinat Servianae locus esse? Et magis est ne desinat: nisi ex voluntate creditoris hoc factum est (*d*). l. 4.

3. Liberatur pignus, sive solutum est debitum, sive eo nomine satisfactum (est): sed etsi tempore finitum pignus est, idem dicere debemus, vel si qua ratione obligatio ejus finita est. l. 6.

Si deferente creditore, juravit debitor se dare non

(a) V. l. 4. *quae res pignori.* L. 1 §. 1. *qui potiores in pignore.*

(b) Ne sit in potestate emptoris fraudare creditorem. * Item in abdicatione haereditatis, ad reditum acceptae, hypothecae primi subsistent, ait Loyseau, ob rationem majoris valoris quem haereditas habet.

(c) Sibi imputet venditor qui rem vitiosam vendidit. Satius est eum teneri actione hypothecaria, quam creditores creditoris decipi. * Quid de redhibitione? L. 49. *de aedilitio edicto.* L. 60 eod.

(*) Quid de eo qui accipit rescriptum rectum? Respectu venditoris, qui agit, ex l. 2. C. *de rescindenda venditione*, hypothecae constitutae ab emptore sunt rescissae. Quid de lege commissoria, et de in diem additione.

(d) V. l. 13 §. 2 *de acquirenda vel amittenda possessione.*

oportere, pignus liberatur: quia perinde habetur atque si judicio absolutus esset. Nam etsi a judice, quamvis per injuriam (e) absolutus sit debitor, tamen pignus liberatur. l. 13.

(*) Si consensit venditioni creditor, liberatur hypotheca. l. 7. l. 12. V. l. 10. (1).

4. Si in venditione pignoris consenserit creditor, vel ut debitor hanc rem permutet, vel donet, vel in dotem det, dicendum erit, pignus liberari: nisi salvâ causa pignoris sui consensit. l. 4. §. 1. (2).

Si probaveris, te fundum mercatum, possessionemque ejus tibi traditam, *sciente et consentiente* ea quae sibi eum a venditore obligatum dicit, exceptione eam removebit. Nam obligatio pignoris consensu et contrahitur et dissolvitur. l. 2. C. *de rem pign.*

5. Paulus respondit, Sempronium antiquiorem creditorem consentientem, cum debitor eamdem rem tertio creditori obligaret, jus suum pignoris remisisse videri (*f*). l. 12.

6. Non videtur consensisse creditor, si, sciente eo, debitor rem vendiderit, cum ideo passus est venire,

---

(e) Propter auctoritatem rerum judicatarum.

(*) Quid de femina, quae in contractu nuptiali acceptat donationem dimidii bonorum sui mariti pro uno e suis filiis ad libitum, habet ne hypothecam pro suis conventionibus nuptialibus super hoc dimidium? V. l. 11. h.

(1) » Le ipoteche si estinguono 1. coll' estinzione dell' obbligo principale; 2. colla rinunzia del creditore all' ipoteca; 3. coll' adempimento delle formalità e condizioni prescritte a' terzi possessori per render liberi i beni da essi acquistati; 4. colla risoluzione del dritto di colui che ha costituito l' ipoteca; 5. colla prescrizione » *Leggi civ. art.* 2074.

(2) Vedi la notte antecedente.

(f) Remittit duntaxat jus praelationis, non vero omne pignus.

quod sciebat ubique pignus sibi durare. Sed si subscripserit forte in tabulis emptionis, consensisse videtur, nisi manifeste appareat deceptum esse. l. 8. §. 15.

Titius Scio pecuniam sub pignore fundi dederat, qui fundus cum esset reipublicae ante obligatus, secundus creditor pecuniam reipublicae (eam) solvit: sed Maevius extitit qui dicebat, ante rempublicam sibi fundum obligatum fuisse. Inveniebatur autem Maevius instrumento cautionis cum republica facto a Seio, interfuisse, et subscripsisse, quo caverat Seius „ fundum nulli alii esse obligatum. Quaero an actio aliqua in rem Maevio competere potest (*)? Modestinus respondit: pignus cui is de quo quaeritur consensit, minime eum retinere posse. l. 9. §. 1. V. s. *de pig. act.* n. 20. *j. de reg. jur.* n. 134. (*g*).

7. Voluntate creditoris pignus debitor vendidit, et postea placuit inter eum et emptorem, ut a venditione discederent: jus pignorum salvum erit creditori: nam sicut debitori, ita et creditori pristinum jus restituitur: neque omnimodo creditor pignus remittit, sed ita demum si emptor rem retineat, nec reddat venditori. Et ideo, si judicio quoque accepto venditor absolutus sit, vel, quia non tradebat, in id quod interest condemnatus (*h*), salvum fore pignus creditori dicendum est. Haec enim accipere potuissent, etiamsi non voluntate creditoris vendidisset. l. 10.

(*) Hinc est ut tabellio suam amittat hypothecam cum actum recipit, in quo suus debitor sua bona declarat libera, et soluta. M. Bougier. L. N.

(g) Le Pretre, cent. 2 chap. 29.

(h) Verum tenetur omnino tradere, si possideat: alioquin manu militari res ei aufertur, nisi emptor contentus sit eo quod interest.

8. Belle quaeritur, si forte venditio rei specialiter obligatae non valeat, an nocere haec res creditori debeat, quod consentit: utputa si qua ratio juris venditionem impediat? Dicendum est, pignus valere. l. 4. §. 2.

Si voluntate creditoris fundus alienatus est, inverecunde applicari sibi eum creditor desiderat; si tamen effectus sit secutus venditionis. Nam si non venierit, non est satis ad repellendum creditorem, quod voluit venire l. 8. §. 6.

Venditionis autem appellationem generaliter accipere debemus: ut etsi legare permisit, valeat quod concessit. Quod ita intelligemus, ut etsi legatum repudiatum fuerit, convalescat pignus. d. l. 8. §. 11.

LIBER XXI.

TITULUS I.

De aedilitio edicto, et redhibitione, et quanti minoris.

SUMMARIA.

1. *Etiam immobilium est redhibitio.*
2. *Vitia rei venditae pronuntiare debet venditor.*
3. *Etsi ignoret venditor rei vitium, locus est redhibitioni.*
4. *Non est redhibitio in conditione fiscali.*
5. *Si vitium appareat, non est redhibitioni locus.*
6. *Non quodlibet vitium, sed quod rei usum impedit, dat redhibitioni locum.*
7. *Quae adfirmat venditor praestat.*
8. *Aliud rem venditam laudare, aliud aliquid de re promittere.*
9. *Redhibitione res venditori redditur.*
10. *Redhibitione omnia utriusque sic restituuntur, quasi venditio facta non esset.*
11. *Eorum quae in judicio versantur officium judici incumbit.*
12. *Mora ex justa causa excusationem recipit.*
13. *Si plures simul veneant quas simul habere intersit, propter unius vitium, tota venditio solvitur.*
14. *Ornamenta quae vendendi causa jumentis accedunt, emptorem sequuntur.*
15. *Sic habendae ferae ne noceant.*
16. *In fundis procedere potest redhibitio.*

17. *Pretii diminutio propter servitutem emptore incognitam.*
18. *Donator de dolo tenetur.*

1. Labeo scribit, edictum aedilium curulium de venditionibus rerum, esse tam earum quae soli sint, quam (earum) quae mobiles aut se moventes. l. 1. V. 1. n. 16.

2. *Qui (jumenta) vendunt, certiores faciant emptores quid morbi vitiive cuique sit. Eademque omnia, cum ea (jumenta) venibunt* (*), *palam recte pronuntianto. Quod si (jumenta) adversus ea venisset, sive adversus quod dictum promissumve fuerit, cum veniret, fuisset; quod ejus praestari oportere dicetur emptori, omnibusque, ad quos ea res pertinet, judicium dabimus, ut id (jumentum) redhibeatur.* l. 1. §. 1.

Qui jumenta vendunt, palam recte dicunto quid in quoque eqrum morbi vitiique sit. l. 38. (*a*).

3. Causa hujus edicti proponendi est, ut occurratur fallaciis vendentium, et emptoribus succurratur, quicumque decepti a venditoribus fuerint: dummodo sciamus, venditorem, etiamsi ignoraverit (*) ea quae aediles praestari jubent, tamen teneri debere. Nec est hoc iniquum: potuit enim ea nota habere venditor: neque enim interest emptoris cur fallatur ignorantia venditoris, an calliditate. l. 1. §. 2. (*b*).

(*) Quid de venditione facta in judicio, per apparitorem. V. l. 1. §. 3.

(a) V. l. 13. §. 4. *De emptione empti et venditi.*

(*) Parum differt ignarus judex a maligno, et relate ad eum qui injuria est damno affectus parum refert, quod id provenerit a judice qui decipit, aut qui deceptus est. *Lex* 51 de evictionibus, *ait.* Nam quid interest sordibus judicis an stultitia res perierit?

(b) V. l. 13 §. 4. *de actionibus empti et venditi.* L. 19. §. 1. *locati conducti.*

4. Illud sciendum est, edictum hoc non pertinere ad venditiones fiscales. l. 1. §. 3.

Si intelligatur vitium, morbusque (jumenti) ut plerumque signis quibusdam solent demonstrare vitia, potest dici, edictum cessare: hoc enim tantum intuendum est, ne emptor decipiatur (c). l. 1. §. 6. (1).

6. Proinde, si quid tale fuerit vitii, sive morbi, quod usum (jumenti) impediat (*), id dabit redhibitioni locum: dummodo meminerimus, non utique quodlibet quam levissimum efficere, ut morbosum vitiosumve habeatur. l. 1. §. 8. (2).

7. Si quid venditor de (jumento) affirmaverit, idque non ita esse emptor queratur; aut redhibitorio, aut aestimatorio, id est, quanto minoris, judicio agere potest. (*) l. 18.

8. Sciendum est, quaedam etsi dixerit, praestare eum non debere: scilicet ea quae ad nudam laudem pertinent (*): ut enim Pedius scribit, multum interest,

---

(c) Quia emptor ipse se decepit. L. 43. §. 1. *de contrahenda emptione*. L. 1 §. 6. *Quod falso tutore gestum esse dicatur*.

(1) « Il venditore non è tenuto pei vizj apparenti che il compratore avrebbe potuto da se stesso conoscere. » *Leggi civ. art.* 1488.

(*) *Lex* 14 §. 9 *habet*: Si venditor de aliquo morbo exceperit, standum est eo quod convenit: remittentibus enim actiones suas non est regressus dandus. V. l. 20 in fine et 21 *de minoribus*. Gotofr. ait. Hinc renuntiari posse beneficio legis 2. C. *de rescindenda venditione*. Nisi specie id factum sit.

(2) » Il venditore è tenuto a garentire la cosa venduta da' vizj occulti che la rendono non atta all' uso cui è destinata » *Leggi civ. art.* 1487.

(*) *Lex addit*. Quod affirmaverit venditor non amare ab eo exigatur, sed quodam temperamento.

(*) *Lex* 14 §. 7. *addit*: Mulierem ita arctam ut mulier fieri non possit, sanam non videri constat. Gotofr. ait: hic elegans fuerit τλοκον Prima vox *mulier*, sexum ipsum, posterior demonstrat integram. Addit autem difficile semel mulier fit quae timet fieri.

commendandi causa quid dixerit, an vero praestaturum se promiserit quod dixit. l. 19. d. l. §. 2. V. l. 43. *de contrahenda emptione*.

Ea autem sola dicta sive promissa admittenda sunt, quaecumque sic dicuntur, ut praestentur non ut jactentur. d. l. §. 3. V. l. 7.

9. Redhibere, est facere ut rursus habeat venditor quod habuerit; et quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio. l. 21. (3).

10. Jubent Ædiles restitui et quod venditioni accessit, et si quas accessiones ipse praestiterit: ut uterque resoluta emptione nihil amplius consequatur, quam (non) haberet si venditio facta non esset (*d*). l. 23. §. 1. d. l. §. 7. l. 60.

Indemnis emptor debet discedere. l. 27. in fin. (*e*).

11. Judici, statim atque judex factus est, omnium rerum officium incumbit, quaecumque in judicio versan-

---

(3) » Il compratore (avendo luogo l'azione redibitoria) ha la scelta o di restituire la cosa e farsi rendere il prezzo, o di ritenerla e di farsi rendere una parte del prezzo, a giudizio de' periti » *Leggi civ. art.* 1490.

(d) Non tamen solvitur pignus in redhibitione. l. 4. *quibus modis pignus solvitur.* * *Lex 27 habet*: Debet emptor recipere pecuniam quam dedit, modo non sua sponte dederit. Quid ergo si forte quid vectigalis nomine datum est, quod emptorem forte sequeretur, hoc quoque restituendum. Indemnis enim emptor debet discedere. *Baldus ait*: Fiscus secuta redhibitione non restituit gabellam. *Dumoulin ait*, locum esse restitutioni jurium dominicalium: quia gabella non debetur ex speciali actu venditionis, sed jura dominicalia respiciunt mutationem proprietarii et translationem dominii. §. 79. Consuet. Paris. *Loiseau de abdicatione*. L. 6. c. 5. n. 5. *ait*, *ex hac lege venditorem teneri reddere emptori impositionem fisco persolutam, nam tenetur eum indemnem reddere: at quod emptor possit illam a fisco repetere: et quod si venditor emptorem compensaet, poterit contra fiscum agere.*

(e) Idem in retractione gentilitia.

tur. Ea autem, quae ante judicium contingunt, non valde ad eum pertinent, nisi fuerint ei nominatim injuncta. l. 25. §. 8. in fin.

12. In causae cognitione hoc versabitur, si aut mora fuit per venditorem, aut non fuit praesens, cui redderetur; aut aliqua justa causa intercessit, cur intra diem redhibitum (jumentum) non est, quod (ei) magis displicuerat (*). l. 31. §. 23.

13. Interdum etsi in singula capita pretium constitutum sit, tamen una emptio est, ut propter unius vitium (*) omnes redhiberi (possint) vel debeant: scilicet cum manifestum erit (non) nisi omnes quem empturum, vel venditurum fuisse, ut plerumque circa quadrigas, vel mulas pares accidere solet, ut neutri nonnisi omnes habere expediat (*). l. 34. §. 1. v. l. 38. §. 14.

14. (Jumenta) quae optime ornata vendendi causa fuerint, ita emptoribus tradentur. l. 38.

Vendendi autem causa ornatum jumentum videri Coelius ait, non si sub tempus venditionis, hoc est biduo ante venditionem (ornatum) sit; sed si in ipsa venditione ornatum sit: aut ideo (inquit) venale cum esset, sic ornatum inspiceretur: semperque cum de ornamentis agitur, (et) in actione, et in edicto adjectum

(*) *Lex* §. 20. *habet*: Quia assidua est duplae stipulatio, idcirco placuit etiam ex empto agi posse, si duplam venditor mancipii non caveat; ea enim quae sunt moris et consuetudinis, in bonae fidei judiciis debent venire.

(*) *Lex* §. 21 *habet*: Qui mancipia vendunt, nationem cujusque in venditione pronuntiare debent, quia natio servi aut provocat aut deterret emptorem. V. l. 35 §. ult. *de contrahenda emptione*. L. 32 §. 1. *ad legem Aquiliam*.

(*) Idem in retractione gentilitia: secus in feudali.

est, *vendendi causa ornata ducta esse* : poterit enim jumentum ornatum itineris causa duci, deinde venire. d. l. 38. §. 11. (4).

15. Ajunt aediles : *ne quis canem, verrem, (vel minorem aprum), lupum, ursum, pantheram, leonem*, et generaliter *aliudve, quod noceret animal, sive soluta sint, sive alligata, ut contineri vinculis, quominus damnum inferant, non possint. Qua vulgo iter fiet (f), ita habuisse velit, ut cuiquam nocere, damnumve dare non possit.* l. 40. §. 1. l. 41. l. 42.

16. Etiam in fundo vendito redhibitionem procedere, nequaquam incertum est; veluti si pestilens fundus distractus sit : nam redhibendus erit (g). l. 49.

Si pestibilis fundus, id est pestibiles herbas vel lethiferas habens, ignorante emptore distractus sit, eum quoque redhibendum esse constat. l. 4. C. *de aedil. act.*

17. Quoties de servitute agitur (h), victus tantum debet praestare, quanti minoris emisset emptor, si scisset hanc servitutem impositam. l. 61. (i).

18. De dolo donator obligare se et debet et solet, ne, quod benigne contulerit, fraudis consilio revocet (k). l. 62. in fin.

---

(4) » La cosa dee consegnarsi nello stato in cui si trova nel tempo della vendita » *Leggi civ. art.* 1460.

(f) V. tit. *Si quadrupes.*

(g) V. l. 19 §. 1. *locati conducti.*

(h) Verum servitus adeo videri potest onerosa emptori, ut rem malit derelinquere quam servitutem pati. *Vide* Duperier. L. 4.

(i) V. l. 1 §. 1 *de actionibus empti et venditi.*

(k) V. l. 18 in fine. *de donationibus.* V. *de evictionibus.* n. 17. Adjuvari quippe beneficio, non decipi oportet. L. 17 §. 3 *commodati vel contra.*

TITULUS II.

De evictionibus, et duplae stipulatione.

SUMMARIA.

1. *Pro modo bonitatis vel loci, vel partis evictae, regressum habet emptor.*
2. *Mos regionis servandus.*
3. *Casus ad emptorem pertinent.*
4. *Evicta re praestat venditor quae accesserunt.*
5. *Tutus propria exceptione emptor non habet regressum.*
6. *Mature denuntiare debet emptor, non prope condemnationem.*
7. *Si prius servitus, deinde totus fundus evincatur, ex totius praestatione deducetur, quod ex causa servitutis venditor praestiterat.*
8. *Si pluribus vendiderit et certo singula pretio venierint, evicto uno, non bonitatis, sed quanti venierit ratio habebitur.*
9. *Aliud si totum uno pretio venierit, emptor qui se non defendit, non habet regressum.*
10. *Ex suo compromisso damnatus emptor non habet regressum.*
11. *In id quod interest emptoris evicti tenetur venditor.*
12. *Singuli haeredes conveniendi sunt.*
13. *Emptori perit quod casus aufert.*
14. *In evictione praesenti pretio res aestimatur.*
15. *Nominis venditor id praestat ut sit debitor, non ut exigi possit.*
16. *In venditione haereditatis evictio non praestatur in singulis rebus.*

17. *Donator qui de evictione cavit tenetur.*
18. *Venditor rei alienae non convenitur, nisi evincatur emptor.*
19. *Tenetur venditor de evictione, etsi non promiserit.*

1. Sive tota res evincatur, sive pars, habet regressum emptor in venditorem; sed cum pars evincatur, si quidem pro indiviso (evincatur), regressum habet pro quantitate evictae partis: quod si certus locus sit evictus, non pro indiviso portio fundi, pro bonitate loci erit regressus. Quid enim, si quod fuit in agro pretiosissimum, hoc evictum est? aut quod fuit in agro vilissimum? aestimabitur loci quantitas, et sic erit regressus (*a*). l. 1. (1).

2. Si fundus venierit, ex consuetudine ejus regionis in qua negotium gestum est, pro evictione caveri oportet. l. 6.

3. Lucius Titius praedia in Germania trans rhenum emit, et partem pretii intulit: cum in residuam quantitatem haeres emptoris conveniretur (*), quaestionem retulit, dicens, has possessiones ex praecepto principali partim distractas, partim veteranis in praemia adsigna-

(a). V. l. 47. *de minoribus*.

(1) « Se il compratore ha sofferto l'evizione per una parte soltanto della cosa, e questa parte sia di tale importanza, relativamente al tutto, che l'acquirente non avrebbe comprato senza di essa, potrà far rescindere la vendita. — E quando non siasi rescissa la vendita, il valore della parte evitta sarà dal venditore rimborsato al compratore secondo la stima che avrà nell'epoca dell'evizione, e non a proporzione del prezzo totale della vendita, o che sia aumentata, o che sia diminuita di valore la cosa venduta » *Leggi civ. art.* 1482 1483.

(*) Nonnulli in hac lege originem feudorum reperiunt. Gotofr.

7. Cum (fundus) *uti optimus maximusque (est)*, emptus est, et alicujus servitutis evictae nomine aliquid emptor a venditore consecutus est, deinde totus fundus evincitur; ob eam evictionem id praestari debet, quod ex duplo reliquum est: nam si aliud observabimus, servitutibus aliquibus, et mox proprietate evicta, amplius duplo emptor, quam (quanti) emit, consequeretur (*). l. 48.

8. Si fundo tradito, pars evincatur, si singula jugera venierint certo pretio, tunc non pro bonitate, sed quanti singula venierint, quae evicta fuerint, prestandum; etiam si ea quae meliora fuerunt evicta sint. l. 53. §. 1.

Caeterum, cum pro diviso pars aliqua fundi evincitur, tametsi certus numerus jugerum traditus sit, tamen non pro modo sed pro bonitate regionis praestatur evictio. l. 64. §. 3.

9. (*e*) Si ideo contra emptorem judicatum est quod defuit, non committitur stipulatio: magis enim propter absentiam victus videtur, quam quod malam causam habuit. l. 55 (*f*).

10. (*g*) Si compromisero, et contra me data fuerit

---

erano sufficienti motivi per far rigettare la domanda » *Feggi cir. art.* 1487.

(*) *Lex* 51 *habet*: Si per imprudentiam judicis aut errorem emptor rei victus est, negamus auctoris damnum esse debere: nam quid refert sordibus judicis an stultitia res perierit? Injuria enim quae fit emptori auctorem non debet contingere. V. l. 5. C. cod. l. 8. et 15. Cod. cod. l. 52 §. ult. ff. *pro socio*. V. l. 1 §. 2. *de aedilitio edicto*. L. 3 §. 5. *de carboniano edicto*

(e) V. l. 20. *communi dividundo*. L. 52 §. ult. *pro socio*.

(f) Ratio quia jus non videtur, tunc ex sententia judicis fieri. L. 17 §. 1. *de inofficioso testamento*.

(g) Ratio quia evictio videtur venire ex conventione, sicut etiam tutor non potest pro pupillo compromittere. l. 34 §. 2. *de minoribus*.

sententia, nulla mihi actio de evictione danda est adversus venditorem: nulla enim necessitate cogente id feci. l. 56. §. 1. (3).

11. Si in venditione dictum non sit quantum venditorem pro evictione praestare oporteat, nihil venditor praestabit praeter simplum, evictionis nomine, et ex natura ex empto actionis, hoc quod interest l. 60. v. l. 9. et l. 16. v. s.] *de act. empt. et vend.* l. 13. §. 22. (*h*).

Si evictum fuerit (*quod venditum est*) a venditore, successoreve ejus, consequeris, quanti tua interest. In quo continetur etiam eorum persecutio, quae in rem emptam a te, ut melior fieret, erogata sunt. l. 9. C. eod.

Impensas quas ad meliorandam rem vos erogasse constiterit, habita fructuum ratione, restitui vobis (Praeses) jubebit (*i*). l. 16 C. eod. (4).

12. Si ei qui mihi vendidit, plures haeredes extiterunt, una de evictione obligatio est, omnibusque denuntiari (*k*), et omnes defendere debent: si de industria non venerint in judicium, unus tamen ex his liti substitit; propter denunciationis vigorem, et praedictam absentiam, omnibus vincit, aut vincitur; recteque cum cae-

---

(3) » Le parti possono convenire che il venditore non sia sottoposto ad alcuna garentia » *Leggi civ. art.* 1473.

(h) V. contra l. 3 §. 20. *de aedilitio edicto.*

(4) » Quando nulla siasi stipulato sulla garanzia, se il compratore ha sofferto l'evizione, ha diritto di domandare dal venditore.

1. La restituzione del prezzo;

2. quella de' frutti, quando sia obbligato di restituirli al proprietario che ha rivendicato la cosa;

3. le spese fatte in conseguenza della denunzia della lite al suo autore; e quelle fatte dall' attore principale;

4. finalmente i danni ed interessi, come pure le spese legittime del contratto » *Leggi civ. art.* 1476.

(i) V. l. 48. *de rei vindicatione.* Ubi fit compensatio sumptuum cum fructibus.

(k) L. 10. §. ult. *de appellationibus.*

teris agam quod evictionis nomine victi sint. l. 62. §. 1.

13. Ex mille jugeribus traditis ducenta flumen abstulit: si postea pro indiviso ducenta evincantur (*), duplae stipulatio pro parte quinta, non quarta, praestabitur: nam quod periit, damnum emptori, non venditori attulit. l. 64. (5).

14. Divisione inter cohaeredes facta, si procuratori absentis interfuit, et dominus ratam habuit, evictis praediis, in dominum actio dabitur, quae daretur in eum (*) qui negotium absentis gessit, ut, quanti sua interest actor, consequatur; scilicet ut melioris aut deterioris agri facti causa, finem pretii quo fuerat tempore divisionis aestimatus, deminuat vel excedat. l. 66. §. ult. (l).

Evicta re, ex empto actio non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id quod interest competit.

(*) V. vers. *Si totus in principio legis.* Hunc versiculum recte non addidit D. Domat, qui pugnat cum lege 70, et cum lege 66 §. ult. Cuj. eas leges conciliat, quia in lege 66 agitur de stipulatione duplae, et in caeteris legibus agitur de actione ex empto in simplum. In actione ex empto vel prescriptis verbis inspicitur aestimatio praesens seu tempore evictionis, quia haec actio est bonae fidei; at in actione ex stipulatu in duplum, quae est stricti juris, inspicitur aestimatio tempore contractus.

(5) » Contra — Quando nell' epoca dell' evizione la cosa venduta si trova diminuita di valore, o notabilmente deteriorata, sia per negligenza del compratore, sia per l' accidente di una forza irresistibile, il venditore è egualmente tenuto a restituire l'intero prezzo. *Leggi civ. art.* 1477.

(*) *Emptor maximi emit pro suo libito vel commodo, idest 20 pro 10. Fundus etiam pro dimidio est imminutus, nec valet, nisi 5. Emptor est evictus: is vero recurret pro 10, nam aestimandum hoc in casu quod fundus ab initio valebat.*

(l) Ad l. 66. §. ult. Quid si fundus unius melior factus sit, et evictus: fundus vero alterius diminutus et evictus? valde injustum foret primum cohaeredem prius petere, secundum vero minus. Unde satius est dicere, secundum cohaeredem posse offerre novam divisionem, et primum cogendum esse ad hanc divisionem de novo faciendam. *Millena insunt absurda in pretio rei attendendo tempore evictionis. Usus est, ut pro regula fit pretium originarium contractus.*

Ergo, et si minor esse coepit, damnum emptoris erit. l. 70. v. s. n. 11. (*m*).

15. Qui nomen *quale fuit* vendidit (*n*), duntaxat ut sit, non ut exigi aliquid etiam possit, et dolum praestare cogitur. l. 74. §. 3. V. l. 4. ff. *de haered. vel rel. vend.*

16. Emptor haereditatis rem a possessoribus, sumptu ac periculo suo persequi debet. Evictio quoque non praestatur in singulis (rebus) cum haereditatem jure venisse constet; nisi aliud nominatim inter contrahentes convenit. l. 1. C. *de evict.* (*o*).

17. Quoniam avus tuus, cum praedia tibi donaret, de evictione eorum cavit, potes adversus cohaeredes tuos ex causa stipulationis consistere ob evictionem praediorum, pro portione scilicet haereditaria. l. 2. C. *de evict.*

18. Qui rem emit, et post possidet quandiu evicta non est, autorem suum propterea quod aliena, vel obligata res dicatur, convenire non potest. l. 3. C. *de evict.* V. l. 24. C. eod. v. s. *de act. emp. et vend.* n. 22.

19. Non dubitatur, etsi specialiter venditor evictionem non promiserit, re evicta ex empto competere actionem l. 6. C. *de evict.* (6).

TITULUS III. *De exceptione rei venditae (et traditae)*.

(m) Contra venditor tenetur etiam de his quae fundo accesserunt. L. 16. Quia hoc bonae fidei convenit. Idem vice versa, sive major, sive minor res fuerit tempore evictionis in actione scilicet ex empto. V. l. 45. *de actionibus empti et venditi.*

(n) L. 4. *de haered. vel act vend.*

(o) L. 62. *de aedilitio edicto.* L. 17. §. 3. *commodati vel contra.* 18. §. 3. *de donationibus.*

(6) » Quantunque nel contratto di vendita non siasi stipulata la garentia, il venditore è tenuto per legge a garantire il compratore dalla evizione che soffre di tutte o di parte delle cose vendute. » *Leggi civ.* 1472.

LIBER XXII.

TITULUS I.

De usuris, et fructibus, et causis, et omnibus accessionibus, et more.

SUMMARIA.

1. *Socius usuras praestat rei communis quam in usus suos convertit.*
2. *Tutor usuras praestat pecunia pupillari.*
3. *Omnis causa post litem contestatam praestanda.*
4. *Rogatus omnia restituere, quo lubricum tutelae vitaretur, etiam fructus restituit.*
5. *Usuris liberatur debitor, oblata et deposita pecunia.*
6. *Usurae fructuum non praestantur.*
7. *Usurae propter moram debentur.*
8. *Usuras debet administrator reipublicae et curator operis publici.*
9. *Pro rerum natura ex causis fructus, aut debentur, aut non debentur.*
10. *Ex mora rei tenetur fidejussor.*
11. *Fructus jure soli percipiuntur.*
12. *Bonae fidei possessor loco domini est, quoad fructus percipiendos.*
13. *Foetus, lac, pilus, lana in fructu sunt.*
14. *Moram facit qui rite interpellatus non solvit.*
15. *Usurae ex mora et fructus.*
16. *Alterius rei mora alteri rei non nocet.*
17. *Moderatio cum efficacia praesidem decent.*
18. *Pensiones pro fructibus sunt.*

19. *Indebitum fundum repetens fructus repetit.*
20. *Alienatorum in fraudem creditoris fructus restituuntur.*
21. *Impensae in fructus, eos minuunt.*
22. *Pignori dare fructus rei est.*
23. *Emptor possidens pretii debet usuras.*
24. *Praescriptione principalis actionis extinguitur actio de fructibus et usuris etiam medii temporis.*
25. *Usurae usurarum illicitae.*
26. *Usurae sortem non excedant.*

1. Socius, si ideo condemnandus erit, quod pecuniam communem invaserit (*), vel in suos usus converterit, omnimodo etiam mora non interveniente, praestabuntur usurae. l. 1. §. 1. (*a*). (1).

2. Circa tutelae restitutionem, pro favore pupillorum latior interpretatio facta est: nemo enim ambigit hodie, sive judex accipiatur in diem sententiae, sive sine judice tutela restituatur, in eum diem quo restituit, usuras praestari. Plane, si tutelae judicio nolentem experiri, tutor ultro convenerit, et pecuniam obtulerit, eamque obsignatam deposuerit, ex eo tempore non praestabit usuras. l. 1. §. 3. (*b*). (2).

(*) *Lex* 1 in p. *habet*: Cum judicio bonae fidei disceptatur arbitrio judicis usurarum modus ex more regionis ubi contractum est, constituitur, ita tamen ut legi non offendat.

(1) » Il socio che ha preso delle somme dalla cassa sociale, resta *ipso jure*, e senza bisogno d' istanza, debitore degl' interessi di tal somma dal giorno che le ha ritirate per suo particolare vantaggio » *Leggi civ.* 1718.

(a) V. l. 60. *pro socio* et 67 §. 2. l. 25 §. 10 eod. l. 24. *depositi vel contra.* l. 19 §. 4. De negotiis gestis. l. 25 §. 1. *depositi vel contra.* l. 6 §. 1. *de pigneratitia actione.* l. 10 §. 3. *mandati vel contra.*

(b) Cujac. ad l. 19. C. hic, et Molin. *de usur.* L. 7 h.

(2) Quando il tutore non impiega fra sei mesi il denaro del pupillo, restano di suo carico gl'interessi. *Leggi civ. art.* 378, 379.

3. In his quoque judiciis quae non sunt arbitraria, nec bonae fidei, post litem contestatam, actori causa praestanda est. l. 3. §. 1.

Lite contestata usurae currunt. l. 35. (c) (3).

4. Cum Pollidius (*) a propinqua sua haeres institutus rogatus fuisset, filiae mulieris *quidquid ex bonis ejus ad se pervenisset, cum certam aetatem puella complesset, restituere*; idque sibi (mater) ideo placuisse testamento comprehendisset, *ne filiae tutoribus sed potius necessitudini res committerentur* (d): eundemque Pollidium, fundum retinere jussisset, Praefectis pretorii suasi, fructus, qui bona fide a Pollidio ex bonis defunctae percepti essent, restitui debere: sive quod fundum ei tantum praelegaverat, sive quod lubrico tutelae fideicommissi remedium (e) mater praetulerat. l. 3. §. 3.

5. Debitor usurarius creditori pecuniam obtulit, et eam cum accipere noluisset, obsignavit ac deposuit: ex eo die ratio non habebitur usurarum. l. 7. (4).

---

(3) Dal giorno della domanda, ed anche dalla chiamata in conciliazione. (*Leggi civ.* 1107 e 1108 — *di proc. civ.* 40)

(c) Id est, non desinunt currere, licet novatio sistat usuras et fiat novatio judicialis per litem contestatam. Imo post litem contestatam usurae incipiunt currere in actionibus stricti juris, ut ait Gotofr. ad dictam legem. 3 §. 1. Usurae tamen non veniunt ex officio judicis in actionibus stricti juris. Dic ergo venire si petantur, secus si non petantur.

(*) *Lex 4. habet*: Si stipulatum sit rem dari vacuamque possessionem tradi, fructus postea captos actione incerti ex stipulatu, propter inferiora verba consecuturum re ratio suadet. Unde colligunt nihil inutile relinqui debere in contracto.

(d) Pollidius erat duntaxat haeres fiduciarius.

(e) Et ita tempus haeredis causa prorogatum erat, ut commodum medii temporis filia sentiret l. 15 *de annuis legatis*.

(4) » L' offerta reale seguita da un deposito, libera il debitore: gl' interessi cessano dal giorno in cui è effettuato il deposito » (*Leggi civ. art.* 1210 — *di proc. civ.* 899)

6. Neque eorum fructuum, qui post litem contestatam officio judicis restituendi sunt, usuras praestari oportere: neque eorum, qui prius percepti quasi malae fidei possessori condicuntur. l. 15. (*f*) (5).

7. Usurae non propter lucrum petentium (g), sed propter moram solventium infliguntur. l. 17. §. in fin. (6).

8. Eos qui administratione rerum civitatium (*h*) conveniuntur, usuris obnoxios esse, satis notum est. Idem observatur in operum curatoribus, si pecunia apud eos remansit. l. 17. §. 7. (*i*).

9. Videamus an in omnibus rebus petitis in fructus quoque condemnatur possessor. Quid enim si argentum, aut vestimentum, aliamve similem rem: quid praetera si usumfructum, aut nudam proprietatem, cum alienus ususfructus sit, petierit? Neque enim nudae proprietatis, quod ad proprietatis nomen attinet, fructus ullus intelligi potest. (*) Neque ususfructus rursus fructus eleganter

---

(f) Agitur hic de judicio singulari, secus ergo in universali. V. l. 51. §. 1. *de haereditatis petitione. Nihilominus potest fundi restitutio peti et fructuum maturatorum cum horum fructuum usuris; secus de fructibus nondum maturatis.*

(5) Contra — I frutti, e gl'interessi pagati da un terzo, producono interessi dal giorno della domanda o della convenzione (*Leggi civ. art.* 1108)

(g) Scilicet usurae punitoriae: secus de lucratoriis, quae dicuntur foenus, et de compensatoriis.

(6) „ I danni e gl'interessi risultanti dal ritardo di eseguirle non consistono giammai se non nella condanna a pagare gl'interessi correnti al tempo della mora „ (*Leggi civ. art.* 1107)

(h) Civitates tamen loco privatorum habentur. L. 16. *de verborum significationibus.*

(i) V. l. 78 §. 2. *de legatis* 2.

(*) *Lex* 17 §. 5 *habet*: Fiscus ex suis contractibus usuras non dat sed ipse accipit, ut solet a foricariis qui tardius pecuniam inferunt, item ex vectigalibus. Cum autem in loco privati successit, etiam dare solet.

computabitur. Quid igitur si nuda proprietas petita sit? Ex quo perdiderit fructuarius usumfructum, aestimabuntur in petitione fructus. Item si ususfructus petitus sit, Proculus ait, in fructus perceptos condemnari. Praeterea Gallus Ælius putat, si vestimenta, aut scyphus petita sint (k), in fructu haec numeranda esse, quod locata ea re, mercedis nomine capi potuerit. l. 19.

10. Cum reus moram facit, et fidejussor tenetur. l. 24. §. 1. (l).

11. Omnis fructus non jure seminis, sed jure soli percipitur. l. 25.

12 Bonae fidei possessor (*) in percipiendis fructibus id juris habet, quod dominis praediorum tributum est. l. 25. §. 1. (m).

13. In pecudum fructu etiam faetus est, sicut lac, et pilus, et lana. Itaque agni, et haedi, et vituli statim pleno jure sunt bonae fidei possessoris et fructuarii. l. 28.

14. Mora fieri intelligitur non ex re (n), sed ex persona: id est, si interpellatus opportuno loco non solverit. l. 32. (7).

15. In bonae fidei contractibus ex mora usurae debentur. l. 32. §. 2. V. l. 3. §. 2.

(k) L. 33 *de rei vendicatione.*

(l) V. l. 32. §. 4. hic l. 54. *locati conducti.* l. 68 *de fidejussoribus.* l. 88 *de verborum obligationibus.* Quare ergo correus non tenetur. l. 32 §. 4.

(*) Bona fides veritatem repraesentat.

(m) V. l. 48. *de acquirendo rerum dominio.* §. 1. cum l. 25 §. 3. *de usuris.*

(n) Excipe casum. l. 87 §. 1. *de legatis.*

(7) „ E' in mora il debitore, anche senza l' interpellazione, se la cosa che si è obbligato di dare o di fare, non possa essere data o fatta se non in un determinato tempo, che egli ha lasciato trascorrere „ (*Leggi civ. art.* 1100)

In bonae fidei judiciis fructus omni modo praestantur. l. 38. §. 15.

16. Si duo rei promittendi sint (o), alterius mora alteri non nocet. l. 32. §. 4. (p).

17. Prospicere reipublicae securitati debet praeses provinciae, dummodo non acerbum se exactorem (q), nec contumeliosum praebeat, sed moderatum et cum efficacia benignum, et cum instantia humanum: nam inter insolentiam iucuriosam, et diligentiam non ambitiosam multum interest. l. 33.

18. Praediorum urbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur. l. 36.

19. Si indebitum fundum solvi, et repeto, fructus quoque repetere debeo. l. 38. §. 2.

20. In Faviana quoque actione, et Pauliana, per quam quae in fraudem creditorum alienata sunt, revocantur, fructus (quoque) restituuntur. Nam praetor id agit, ut perinde sint omnia atque si nihil alienatum esset: quod non est iniquum. Nam et verbum *restituas*, quod in hae re praetor dixit, plenam habet significazionem, ut fructus quoque restituantur. l. 38. §. 4.

21. Quod in fructus redigendos impensum est (r), non ambigitur ipsos fructus deminuere debere. l. 46.

Hoc fructuum nomine continetur, quod justis sum-

(o) Qui de fidejussore. V. l. 88. *de verborum obligationibus*, et l. 68 *de fidejussoribus.*

(p) Quare ergo nocet fidejussori? l. 24. §. 1.

(q) V. supra. l. 24. §. 1. Contra mora unius è correis debet alteri nocere: quia alter alterius est procurator, et ita sese invicem constituerunt: praeterea correus in omnem causam fide jubet respectu correi. l. 54. *locati conducti*

(r) Ne ullus est casus qui hanc deductionem impedire posit. l. 61. *familiae erciscundae.*

ptibus deductis superest. l. 1. C. *de fruct. et lit. exp.*

22. Fructus rei est vel pignori dare licere. l. ult.

23 Usuras emptor, cui possessio rei tradita est, si pretium venditori non obtulerit quamvis pecuniam obsignatam in depositi causam habuerit, aequitatis ratione praestare cogitur. l. 2. C. *de usur.* (s).

24. Eos qui principali actione per exceptionem triginta, vel quadraginta annorum, sive personali, sive hypothecaria ceciderunt, jubemus non posse super usuris vel fructibus praeteriti temporis movere aliquam quaestionem, dicendo ex iisdem temporibus eas velle sibi persolvi quae non ad triginta vel quadraginta praeteritos annos referuntur, asserendo singulis annis earum actiones nasci: principali enim actione: non subsistente, satis supervacuum est super usuris vel fructibus adhuc judicem cognoscere. l. 26. C. *de usuris.* (t).

25 Ut nullo modo *usurae usurarum* a debitoribus axigantur et veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum: si enim usuras in in sortem redigere fuerat concessum, et totius summae usuras stipulari, quae differentia erat debitoribus, a quibus revera usurarum usurae exigebantur? Hoc certe erat *non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere.* Quapropter hoc apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras praeteriti temporis vel futuri in sortem redigere, et earum iterum usuras stipulari. Sed etsi hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere et

(s) L. 13 §. 20 *de actionibus empti et venditi.*

(t) Per hanc legem quae est Justiniani, abrogatur paragraphus ultimus legis est novissimi. 7. Cod. *de praescriptione triginta annorum* quae cum Justini. V. *de usurpationibus.* n. 38.

nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquae tantummodo incrementum usurarum accedere. l. 28. C. *de usuris.*

26. Duplicatis ad sortis summam usuris, sive una solutione, sive pluribus, evanescit omne debitum: ita ut creditor nihil amplius quam sortem, et tantumdem pro omnibus usuris exigat. N. 121. et Nov. 138. V. l. 10. et l. 27. § 1. C. *de usur.*

Titulus II. *De nautico foenore.*

TITULUS III.

De probationibus, et praesumptionibus.

SUMMARIA.

1. *De suo genere docere quis debet.*
2. *Probare debet qui dicit.*
3. *Praesumitur repetitum ab eodem haerede in secundo testamento tacitum fideicommissum, nisi mutata voluntas probetur.*
4. *Status mutatio probari debet.*
5. *Haeredi cavit qui sibi cavit.*
6. *Census et monumenta potiora testibus.*
7. *Idoneos fuisse fidejussores, docere debet qui accepit.*
8. *Matris et avi professio liberos probat.*
9. *Reus in exceptione petitoris partes substinet, et probare debet quae allegat.*
10. *Cancellato chirographo praesumitur debitor liberatus.*
11. *Non praesumitur indebitum quod solutum est.*
12. *Debitum potest praesumi aut solutum, aut remissum, post obitum debitoris cum quo creditor frequenter rationes habuerat.*

13. *Ex taciti fideicommissi praesumptione onus probandi fidem vere ei incumbit cui legatum est.*
14. *Statum filii iratae matris possessio non immutat.*
15. *Commemoratio debiti in instrumento non habet vim obbligationis.*
16. *Petitor contra possessorem debet probare se dominum.*
17. *Actoris est probare, non rei.*
18. *Accusatores sine apertissimis probationibus non audiuntur.*
19. *Indicia certa idem faciunt.*

1. Quoties quaereretur genus vel gentem (*) quis haberet, necne, eum probare oportere. l. 1.

2. Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat l. 2. Semper necessitas probandi incumbit illi qui agit. l. 21. in fin. V. l. 4. l. 5.

3. Cum tacitum fideicommissum (a) ab eo datur qui tam in primo, quam in secundo testamento, pro eadem parte, vel postea pro majore haeres scribitur; probatio mutatae voluntatis ei debet incumbere, qui convenitur; cum secreti suscepti ratio plerumque dominis rerum persuadeat, eos ita haeredes scribere, quorum fidem elegerunt. l. 3. v. l. 22.

4. Si filius in potestate patris se essa neget, praetor cognoscit, ut prior doceat filius: quia et pro pietate quam patri debet (praestare) hoc statuendum est, et quia se liberum esse quodammodo contendit. l. 8.

(*) Istud est dominii axioma: non praesumitur, quod quo in Gallia obiit fit Gallus, sed id probare est opus; secus in Aula.

(a) Tacitum fideicommissum in uno testamento relictum praesumitur in altero repetitum, nisi conjecturae contrariae sint. Gotofr.

5. Si pactum factum sit, in quo haeredis mentio non fiat, quaeritur an id factum sit, ut ipsius duntaxat persona eo statueretur? Sed quamvis verum est quod qui excipit, probare debeat quod excipitur, attamen de ipso duntaxat, ac non de haerede ejus quoque convenisse petitor, non qui axcipit, probare debet: quia plerumque tam haeredibus nostris quam nobismetipsis cavemus (*b*) l. 9.

6. Census et monumenta publica potiora testibus esse, senatus censuit. l. 10.

7. Non est necesse pupillo probare fidejussores pro tutores datos, cum accipiebatur, idoneos non fuisse: nam probatio exigenda est ab his, quorum officii fuit providere ut pupillo caveretur. l. 11. (*).

8. Etiam matris professio filiorum recipitur; sed et avi recipienda est. l. 16.

9. In exceptionibus dicendum est, reum partibus actoris fungi oportere, ipsamque exceptionem, velut intentionem, implere; ut puta, si pacti conventi exceptione utatur, docere debet pactum conventum factum esse. l. 19.

Ut creditor qui pecuniam petit numeratam implere cogitur, ita rursum debitor qui solutam affirmat, ejus rei probationem praestare debet. l. i. C. *de probat.*

(b) Et ista praesumptio rejicit onus probandi in adversarium, si out in l. ult *quod metus causa gestum erit.*

(*) *Lex 12 habet.* Quinquaginta tibi legata sunt. Idem scriptum est in codicillis postea scriptis. Refert duplicare legatum voluerit an repetere, et, oblitus se in testamento legasse, id fecerit. Cum autem petitor duas scripturas ostendat, haeres posteriorem inanem esse adprobare judici debet. V. l 47 *de legatis.* 2. Ubi non debetur utrumque legatum, sed unum duntaxat. V. l. 29. *de jure dotium.* l. 11. C. *de legatis.* Mornac. ad l. 12. b.

10. Si chirographum cancellatum fuerit, licet praesumptione debitor liberatus esse videtur, in eam tamen quantitatem (c), quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostenderit, recte debitor convenitur. l. 24.

11. Praesumptionem pro eo esse qui accepit, nemo dubitat. Qui enim solvit, nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet, et indebitas effundat: et maxime, si ipse qui indebitas dedisse dicit, homo diligens est (d), et studiosus paterfamilias, cujus personam incredibile est in aliquo facile errasse: et ideo eum qui dicit indebitas solvisse, compelli ad probationes quod per dolum accipientis, vel aliquam justam ignorantiae causam indebitum ab eo solutum est. Et nisi (hoc) ostenderit, nullam eum repetitionem habere (e). l. 25.

12. Procula magnae quantitatis fideicommissum a fratre sibi debitum (f), post mortem ejus in ratione cum haeredibus compensare vellet; ex diverso autem allegaretur, *nunquam id a fratre, quandiu vixit, desideratum, cum variis ex causis saepe in rationem fratris pecunias ratio Proculae solvisset* (g): Divus Commodus, cum super eo negotio cognosceret, non admisit compensatio-

(c) V. l. 2 §. 1. *de pactis.*

(d) Nota praesumptionem juris adversus diligentes.

(e) Qui autem ab initio negavit pecuniam suscepisse, postquam fuerit convictus eam accepisse, probationem non debiti ab adversario eum exigere perabsurdum est.

(f) Praesumptio doli est adversus eum qui petitionem differre post mortem adversarii quo tempore defensionemque ejus difficiliorem esse speret. Molin. Mornac.

(g) Tres hic adeunt praesumptiones: consanguinitas, diuturnitas temporis, et rationes simul saepius habitae.

nem, quasi tacite fratri fideicommissum fuisset remissum. l. 26.

13. Qui testamentum faciebat, ei qui usque ad certum modum capere potuerat, legavit licitam quantitatem: deinde ita locutus est: *Titio centum do, lego quae mihi pertulit; quae ideo ei non cavi, quod omnem fortunam et substantiam, si quam a matre susceperat, in sinu meo habui, sine ulla cautione. Item, eidem Titio reddi et solvi volo de substantia mea centum quinquaginta, quae ego ex reditibus praediorum ejus, quorum ipse fructum percepi et distraxi: Item de Calendario, si qua a matre receperat Titius, in rem meam converti.* Quaero an Titius ea exigere potest? *Respondit*, si Titius suprascripta ex ratione sua ad testatorem pervenisse probare potuerit, exigi; videtur enim eo, quod ille plus capere non poterat, in fraudem legis haec in testamento adjecisse (*h*). l. 27.

14. Mulier gravida repudiata, filium enixa absente marito, (ut) spurium in actis professa est. *Quaesitum est*, an is in potestate patris sit, et matre intestata mortua jussu ejus haereditatem matris adire possit, ne obsit professio a matre irata facta? Respondit, veritati locum superfore. l. 29. §. 1.

15. Commemorationem in chirographo pecuniarum quae ex alia causa deberi dicuntur, factam, vim obligationis non habere. l. ult. (*i*).

(h) Qui non potest dare, non potest confiteri. V. leg. 26. *de donationibus*, ubi dicitur unde ratio non facit aliquem debitorem, licet referamus in rationes nostras debere eos, tamen nulla donatio intelligitur. V. l. 6. *de fide instrumentorum.*

(i) V. l. 29 *de obligationibus et actionibus*, et Auth. *si in aliquo.* Cod. *de edendo.*

16. Possessiones, quas ad te pertinere dicis, more judiciorum persequere: non enim possessori incumbit necessitas probandi eas ad se pertinere, cum te in probatione cessante dominium apud eum remaneat. l. 2. C. *de probat.*

17. Frustra veremini, ne ab eo qui lite pulsatur probatio exigatur. l. 8. C. *de probat.* (1).

18. Sciant cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere, quae munita sit idoneis testibus, vel (instructa apertissimis) documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis et luce clarioribus expedita. l. ult. C. *de probat.*

19. Indicia certa, quae jure non respuuntur, non minorem probationis, quam instrumenta continent fidem. l. 19. C. *de rei vindic.*

---

(1) » Colui che domanda l'esecuzione di una obbligazione, dee provarla — Reciprocamente, chi pertende di esserne stato liberato, dee giustificare il pagamento, o il fatto che ha prodotto l'estinzione della sua obbligazione. (*Leggi civ. art.* 1269)

TITULUS IV.

De fide instrumentorum, et amissione eorum.

SUMMARIA.

1. *Instrumenta sunt quibus causa instrui potest.*
2. *Authentico non exemplo fides habenda etiam per fiscos.*
3. *Multa sine scriptis probantur.*
4. *Senior juniori, mas faeminae, et dignior praeferuntur, dum agitur de instrumentorum deposito.*
5. *Nec rationes, neo testamentum cujusquam debitorem probant.*
6. *Instrumentis exustis, aliis probationibus eorum fides astruitur.*
7. *Divisio sine instrumentis constare potest.*
8. *Contrariae scripturae ab uno prolata sibi invicem derogant.*
9. *Instrumenta non habent vim nisi postquam omnibus partibus absoluta sunt.*
10. *Alterius provinciae testes, vel instrumenta apud locorum judicem examinentur.*
11. *Antapocham retinere potest creditor ut debitum probet.*

1. Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest: et ideo tam testimonia quam personae instrumentorum loco abentur. l. 1.

2. Quicunque a fisco convenitur, non ex indice et exemplo alicujus scripturae, sed ex authentico conveniendus est; ita si contractus fides possit ostendi: cae-

terum calumniosam scripturam vim in judicio obtinere non convenit. l. 2. (1).

3. Sine (scripturis) valet quod actum est, si habeat probationem: sicut et nuptiae sunt, licet testatio sine scriptis habita est. l. 4. in fin.

Si res gesta, sine literarum quoque consignatione, veritate factum suum praebeat, non ideo minus valebit, quod instrumentum nullum de ea intercessit, l. 5.

Proprietatis dominium, non tantum instrumento emptionis, sed et quibuscumque aliis legitimis probationibus ostenditur. l. 4. C. *de probat.* (2).

4. Si de tabulis testamenti deponendis agatur, et dubitetur cui eas deponi oportet, semper seniorem juniori, et amplioris honoris inferiori, et marem foeminae praeferemus (*a*). l. ult. (3).

5. Rationes defuncti quae in bonis ejus inveniuntur, ad probationem sibi debitae quantitatis solas sufficere non posse saepe rescriptum est. Ejusdem juris est, et si in ultima voluntate defunctus certam pecuniae quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significaverit (*b*). l. 6. C. *de probat.* Nov. 48. cap. 1.

Exemplo perniciosum est, ut ei scripturae credatur, qua unusquisque sibi adnotatione propria debitorem

---

(1) » Le cose, quando esista il titolo originale, fanno fede soltanto di ciò che si contiene nel titolo di cui può chiedersi sempre l' esibizione » (*Leggi civ. art.* 1288)

(2) » Per qualunque cosa che ecceda la somma o il valore di cinquanta ducati, non si ammette veruna pruova testimoniale » (*Leggi civ. art.* 1295)

(a) V. l. 4. in fine. l. 5. 6. *familiae erciscundae.*

(3) » I testimonj richiesti per far testimonianza nel testamento debbono esser maschi, maggiori di età, sudditi del Re (cioè nazionali), e che godano diritti civili » (*Leggi civ. art.* 936)

(b) V. l. 27. *de probationibus.*

constituit. Unde neque fiscum, neque aliam quemlibet ex suis (subnotationibus debiti probationem praebere) posse oportet. l. 7. C. *de probat.*

6. Sicut iniquum est, instrumentis vi ignis consumptis, debitores quantitatum debitarum renuere solutionem, ita non statim casum conquerentibus facile credendum est (c). Intelligere itaque deberis, non existentibus instrumentis, vel aliis argumentis, probare debere fidem vestris precibus adesse. l. 5. C. *de fid. instr.* (4).

7. Instrumentis etiam non intervenientibus semel divisio recte facta non habetur irrita. l. 9. C. *de fid. instr.* (5).

8. Scripturae diversae fidem sibi invicem derogantes, ab una eademque parte prolatae, nihil firmitatis habere poterunt (*) l. 14. C. *de fid. instr.*

9. Contractus venditionum, vel permutationum, vel donationum, quas intimari non est necessarium, dationis etiam arrharum, vel alterius cujuscumque causae (quas tamen) in scriptis fieri placuit, transactionum etiam, quas in istrumento recipi convenit, non aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusque partium confirmata; et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a partibus absoluta sint. l. 17. C. *de fid. instr.* (6).

(c) V. l. 57. *de administratione et periculo tutorum.* Chirographis debitorum incendio exustis.

(4) Concorda (*Leggi civ. art.* 1289, 1290)

(5) Ved. la nota 2.

(*) Idem de teste qui deposuit pro utraque parte.

(6) » Per qualunque cosa che ecceda la somma o il valore di cinquanta ducati, ancorchè si tratti di deposito volontario, dee stenderse atto » (*Leggi civ. art.* 1295)

10. Judices, sive in hac inclyta urbe, sive in provinciis, secundum ea quae disposuimus, ut possint si hoc perspexerint, occasione testium in aliis locis digentium litigantes vel procuratores eorum ibi destinare, ut depositionibus sub utrinsque partis praesentia factis, res ad eos referatur, etiam in illis servare volumus qui prolatis instrumentis fidem adhibere exiguntur, ut si proposcerint, in aliis locis id eis facere permittatur: et hoc si juste peti judex invenit, similis proferatur sententia: ut postquam in locis opportunis fides instrumento data vel minus data fuerit, referatur nagotium ad priorem judicem. l. 18. C. *de fid. instr.*

11. Si voluerit is qui apocham conscripsit vel exemplar cum subscriptione ejus qui apocham suscepit ab eo accipere, vel antapocham suscipere, omnis ei licentia hoc facere concedatur, necessitate imponenda apochae susceptori antapocham reddere. l. 19. C. *de fid. instr.* (7).

(7) » Le controscritture non possono avere effetto se non fra le parti contraenti » (*Leggi civ*: *art.* 1275)

TITULUS V.

De testibus.

SUMMARIA.

1. *Testes idonei quorum fides non vacillat.*
2. *In pecuniariis et criminalibus causis testes adhibentur quibus id liceat, et qui lege non excusentur.*
3. *Modus adhibendus in numero testium.*
4. *In testibus spectanda dignitas, fides, mores: qui vacillant non audiendi.*
5. *Varia unde testium fides pendet.*
6. *Quae argumenta ad quem modum probent, judex aestimabit.*
7. *Testes a judice audiendi.*
8. *Testes esse non possunt impuberes, judicio publico damnati, et quidam alii.*
9. *Evocandi testes necessarii.*
10. *Testes esse prohibentur in publicis judiciis agnati et affines usque ad sobrino natos.*
11. *Hac in re pro genero habetur sponsus filiae.*
12. *Non est idoneus testis cui id imperari potest.*
13. *Excusantur a testimonio quos aetas, morbus, aut alia justa causa venire non sinit.*
14. *Ubi numerus non adjicitur, duo testes sufficiunt.*
15. *Quorumlibet testium testimonia perpendere religioni reliquitur judicantium.*
16. *Adulterii damnatus in testamento testis esse non potest.*
17. *Repetundarum damnatus nulli testimonio adhiberi potest.*

18. *Hermaphroditus in quo praevalet sexus virilis in testamento testis esse potest.*
19. *Plures ex una domo testes simul adhiberi possunt.*
20. *Mulier testis esse potest in judicio.*
21. *Damnatus carminis famosi intestabilis est.*
22. *Magistratus testis esse potest.*
23. *Idem non bis testis in eundem reum.*
24. *Rejicitur domesticum accusatoris testimonium.*
25. *Patrocinium et testimonium in eadem causa idem non praestat.*
26. *Contra scriptum non admittitur testimonium non scriptum.*
27. *Non admittitur domesticum testimonium.*
28. *Testes non audiantur nisi post jusjurandum.*
29. *Solus unus testis non facile admittitur.*

1. Testimoniorum usus frequens ac necessarius est; et ab his praecipue exigendus, quorum fides non vacillat. l. 1.

2. Adhiberi quoque testes possunt, non solum in criminalibus causis, sed etiam in pecuniariis litibus, sicubi res postulat: et hi, quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege a dicendo testimonio excusantur. l. 1. §. 1.

3. Quamquam quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus sit; tamen ex constitutionibus principum haec licentia ad sufficientem numerum testium coartatur, ut judices moderentur; et eum solum numerum testium, quem necessarium esse putaverint, evocari patiantur: ne effaenata potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium potrahatur. l. 1. §. 2. (1).

(1) » La parte che avrà fatto esaminare più di cinque testimonj sopra un medesimo fatto, non potrà chiedere le spese delle altre

4. In testimoniis autem dignitas, fides, mores, gravitas examinanda est: et ideo testes qui adversus fidem suae testationis vacillant, audiendi non sunt. l. 2.

Eos testes ad veritatem juvandam adhiberi oportet, qui gratiae et potentatui fidem religioni judiciariae debitam possint praeponere. l. 5. C. *eod.*

5. Testium fides diligenter examinanda est: ideoque in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cujusque, utrum quis decurio, an plebejus sit: et an honestae et inculpatae vitae, an vero notatus quis et reprehensibilis; an locuples vel egens (*) sit, ut lucri causa quid facile admittat: vel an inimicus ei sit adversus quem testimonium fert; vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat: nam si careat suspicione testimonium, vel propter personam a qua fertur, quod honesta sit, vel propter causam, quod neque lucri, neque gratiae, neque inimicitiae causa fit, admittendus est. Ideoque D. Hadrianus Vivio Varo legato provinciae Ciliciae rescripsit, eum qui judicat, magis posse scire quanta fides habenda sit testibus. Verba epistolae haec sunt. *Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus; qui, et cujus dignitatis, et cujus aestimationis sint; et qui simpliciter visi sint dicere: utrum unum eundemque meditatum sermonem attulerint; an ad ea, quae interrogaveras, ex tempore verisimilia responderint.* l. 3.

---

deposizioni — Se la nota dei testimonj presentata dall' accusato sia soverchiamente estesa, il presidente o il giudice delegato, sulla domanda del ministero pubblico, ordinerà all' accusato medesimo di ridurla ad un numero discreto. » (*Leggi di proc. civ. art.* 376, *di proc. cr. art.* 200).

(*) Novella 1. c. 2. ait, inventarium conficiendum coram testibus fide dignis. *Divites, qui* minus urgentur, pro necessariis ad vitam, minus corruptioni sunt obnoxii. Contra egestas, malesuada est, et periculosis virtutem certaminibus exponit.

6. Ejusdem quoque Principis extat rescriptum ad Valerium Verum de excutienda fide testium, in haec verba: *Quae argumenta ad quem modum probandae cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest: sicut non semper ita saepe certo sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur: alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias veluti consentiens fama* (a) *confirmat rei, de qua quaeritur, fidem. Hoc ergo solum tibi rescribere possum summatim, non utique ad unam probationis speciem, cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te aestimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opinaris.* l. 3. §. 2.

Si testes omnes ejusdem honestatis et existimationis sint, et negotii qualitas, ac judicis motus cum his concurrit, sequenda sunt omnia testimonia: si vero ex his quidam (eorum) aliud dixerint, licet impari numero, credendum est; sed quod naturae negotii convenit, et quod inimicitiae aut gratiae suspicione caret, confirmabitque judex motum animi sui ex argumentis et testimoniis, et quae rei aptiora, et vero proximiora esse compererit: non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et testimonia quibus potius lux veritatis assistit. l. 21. §. 3.

7. Idem Divus Hadrianus Junio Rufino proconsuli Macedoniae rescripsit, *testibus se, non testimoniis crediturum.* Verba epistolae ad hanc partem pertinentia haec sunt: *quod crimina objecerit apud me Alexander Apro, et (quia) non probabat nec testes producebat,*

(a) Notorietas.

sed testimoniis uti volebat, quibus apud me locus non est, nam ipsos interrogare soleo: quem remisi ad provinciae praesidem, ut is de fide testium quaereret; et nisi implesset quod intenderat, relegaretur. l. 3. §. 3.

8. Lege Julia de vi cavetur, *ne hac lege in reum testimonium dicere liceret, qui se ab eo, parenteve ejus liberaverit: quive impuberes erunt: quique judicio publico damnatus erit, qui eorum in integrum restitutus non erit: quive in vinculis custodiave publica erit: quive ad bestias ut depugnaret, se locaverit: quaeve palam quaestum faciet, feceritve: quive ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepisse judicatus vel convictus erit.* Nam quidam propter reverentiam personarum, quidam propter lubricum consilii sui, alii vero propter notam, et infamiam vitae suae, admittendi non sunt ad testimonii fidem. l. 3. §. 5. (2).

9. Evocandi (sunt testes) quos necessarios in ipsa cognitione deprehenderit qui judicat. l. 3. §. ult. in fin.

10. Lege Julia judiciorum publicorum cavetur, *ne invito denuncietur ut testimonium (litis) dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosve qui priore gradu sint.* l. 4. (3).

11. In legibus quibus excipitur *ne gener aut socer*

(2) Potranno essere esaminati gl' individui i quali avranno meno di quindici anni compiti: ma si avrà per le loro deposizioni quel riguardo che sarà di ragione. » (*Leggi di pr. civ. art.* 379.
» Il condannato ai ferri, o alla reclusione non potrà mai deporre in giudizio, fuorchè per somministrare semplici indicazioni. » (*Leggi pen. art.* 17)

(3) » Niuno potrà essere citato come testimone, qualora sia consanguineo o affine in linea retta di una delle parti, o del di lei conjuge » (*Leggi di proc. civ. art.* 363)

invitus testimonium dicere cogeretur, *generi* appellatione sponsum quoque filiae contineri placet: item *soceri*, sponsae patrem. l. 5.

12. Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, ut testes fiant. l. 6.

Quae autem in testamento diximus super perhibendis testimoniis eorum qui in potestate sunt, in omnibus testimoniis accipias, ubi aliquid negotii geritur per quod acquiratur. l. 20. §. 3. ff. *qui test. fac. poss.* V. 1. n. 17.

13. **Inviti testimonium dicere non coguntur senes, valetudinarii, vel milites, vel qui cum magistratu reipublicae causa absunt, vel quibus venire non licet.** l. 8. (4).

14. Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficient: pluralis enim locutio duorum numero contenta est. l. 12.

15. Quaesitum scio, an in publicis judiciis calumniae damnati testimonium judicio publico perhibere possunt? Sed neque lege Remmia prohibentur; et Julia lex de vi et repetundarum et peculatus, eos homines testimonium dicere non vetuerunt: verumtamen, quod legibus omissum est (*b*), non omittetur religione judicantium, ad quorum officium pertinet, ejus quoque testimonii fidem quod integrae frontis homo (*c*) dixerit, perpendere. l. 13. (5).

16. Scio quidem tractatum esse an ad testamentum

---

(4) Concorda. *Leggi di proc. civ. art.* 360 e 361 — *Leggi di pr. civ. art.* 242.

(b) Omissum in lege non habetur pro omisso. V. l. 10. 11 12 13. *de legibus.*

(c) Verum suppletur quod orationi deest. l. 16 *de sponsalibus.*

(5) Vedi la nota 2.

faciendum adhiberi possit adulterii damnatus? Et sane juste testimonii officio ei interdicetur. Emoxisti ergo neque jure civili testamentum valere, ad quod hujusmodi testis processit, neque jure praetorio quod jus civile subsequitur: ut neque haereditas adiri, neque bonorum possessio dari possit. l. 14.

17. Repetundarum damnatus nec ad testamentum, nec ad testimonium adhiberi potest. l. 15.

18. Hermaphroditus an ad testamentum adhiberi possit, qualitas sexus incalescentis ostendit. l. 15, §. 1.

19. Pater, et filius qui in potestate ejus est, item duo fratres qui in ejusdem patris potestate sunt, testes utrique in eodem testamento, vel eodem negotio fieri possunt. Quoniam nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi l. 17. (6)

20. Ex eo quod prohibet lex Julia de adulteriis, testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur, etiam mulieres testimonii in judicio dicendi jus habere. (d). l. 18.

21. Ob carmen famosum damnatus, intestabilis fit. l. 21.

22. Illud quoque incunctabile est, ut si res exigat, non tantum privati, sed etiam magistratus, si in praesenti sint, testimonium dicant. Item Senatus censuit, praetorem testimonium dare debere judicio adulterii causa. l. 21. §. 1.

---

(6) Contra. Non possono essere testimonj i congiunti ed affini in linea retta in qualunque grado, in linea collaterale fino al terzo grado inclusivamente (*Legge sul notariato de'* 23. *nov.* 1819 *art.* 10.

(d) Argumentum a contrario valet hic sicut in l. 20 §. 6. *qui testamenta facere possunt.*

23. Produci testis is non potest, qui ante in eum reum (*e*) testimonium dixit. l. 23.

24. Testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit. l. 24. (7)

25. Mandatis cavetur ut praesides attendant ne patroni (*f*) in causa, qui patrocinium praestiterunt, testimonium dicant. Quod et in executoribus negotiorum observandum est. l. ult.

26. Contra scriptum testimonium, non scriptum testimonium non fertur. l. 1. C. *de testibus.*

27. Etiam jure civili domestici testimonii fides improbatur. l. 3. C. *de testib.* (8)

Parentes et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt. l. 6. C. *eod.*

28. Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, jamdudum arctari praecipimus: et ut honestioribus potius testibus fides adhibeatur. l. 9. C. *de testib.* (9)

29. Simili modo sanximus, ut unius testimonium nemo judicum in quacumque causa facile patiatur admitti. Et nunc manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiam si praeclare curiae honore praefulgeat. l. 9. C. §. 1. *de testib.*

(e) L. 27. §. 1 *de lege Cornelia de falsis.*

(7) Possono essere ripulsati i domestici o addetti al servizio. (*Leggi di proc. civ. art.* 378)

(f) V. Contra Mornac.

(8) Concorda. (*Leggi di pr. civ. art.* 378)

(9) » Ogni testimone, prima di essere esaminato, giurerà di di dire il vero » (*Leggi di proc. civ. art.* 357 — *di pr. cr. art.* 247)

TITULUS VI.

De juris et facti ignorantia.

SUMMARIA.

1. *Ignorantiae juris vel facti exempla.*
2. *Jus finitum, facta infinita.*
3. *Aliud aliena nescire, aliud sua.*
4. *In usucapione facti ignorantia prodest, non juris.*
5. *Nec scientia alterius cuiquam nocet, nec ignorantia prodest.*
6. *In factis nec exigitur, nec supina ignorantia excusatur.*
7. *Juris ignorantia suum petenti non nocet, acquirere volenti non prodest.*
8. *Error facti nemini obest: juris error nemini in compendiis prodest: in damnis nemini nocet.*
9. *Juris ignorantia cuique nocet, non facti.*
10. *Minoribus jus ignorare permissum est, et interdum foeminis.*
11. *Error juris, falcidia non usus, non repetit.*
12. *Non stultis succurritur, sed ignorantibus.*
13. *Jus ignorare nemini permissum.*

1. Ignorantia vel facti, vel juris est. l. 1. l. ult. in fine. *pro suo.*

Si quis nesciat decessisse eum cujus bonorum possessio defertur, non cedit ei tempus. Sed si sciat quidem defunctum esse cognatum, nesciat autem proximitatis nomine bonorum possessionem sibi deferri; aut se sciat scriptum haeredem, nesciat autem quod scriptis haere-

dibus bonorum possessionem praetor promittit, cedit ei tempus: quia in jure errat. l. 1. §. 1.

2. In omni parte error in jure non eodem loco, quo facti ignorantia, haberi debebit: cum jus finitum et possit esse, et debeat; facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat. l. 2.

3. Plurimum interest, utrum quis de alterius causa et facto non sciret, an de jure suo ignorat. Sed Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert, non deperditi et nimium securi hominis. l. 3.

4. Juris ignorantiam in usucapione prodesse negatur: facti vero ignorantiam prodesse constat. l. 4.

5. Iniquissimum videtur, cuiquam scientiam alterius quam suam nocere: vel ignorantiam alterius alii profuturam. l. 5.

6. Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis; ut nec scrupulosa inquisitio exigenda: scientia enim hoc modo aestimanda est, ut neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur. l. 6. V. l. 9. §. 2. l. 19. *de novationibus.*

7. Juris ignorantia non prodest adquirere volentibus: suum vero petentibus non nocet (a). l. 7.

8. Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obest: juris autem error nec foeminis in compendiis prodest: caeterum omnibus juris error in damnis emittendae rei suae non nocet. l. 8.

9. Regula est juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere. l. 9.

(a) Factum ipsum nocet.

Cum ignorantia juris facile excusari non possis, si major annis (viginti quinque) haereditati matris tuae renuntiasti, sera prece subveniri tibi desideras. l. 2. C. *eod.* l. 3. *eod.*

Cum falsa demonstratione mutari substantia veritatis minime possit, respondendo id, quod paternum erat, ex maternis esse bonis, nihil egesti. l. 3. C. *eod.*

Si non transactionis causa (*b*), sed indebitam errore facti, olei materiam vos Archantico stipulanti spopondisse rector provinciae animadverterit, reddito quod debetis residui liberationem condicentes audiet. l. 6. C. *eod*

Error facti necdum finito negotio nemini nocet: nam causa decisa velamento tali non instauratur (*). l. 7. C. *eod.*

10. Minoribus vigintiquinque annis (jus) ignorare permissum est: quod et (in) foeminis in quibusdam causis propter sexus infirmitatem dicitur. Et ideo, sicubi non est delictum, sed juris ignorantia, non laeduntur. Hac ratione, si minor vigintiquinque annis filiofamilias crediderit, subvenitur ei, ut uon videatur filiofamilias credidisse. l. 9.

Quamvis in lucro nec foeminis jus ignorantibus subveniri soleat, attamen contra aetatem adhuc imperfectam locum hoc non habere, retro principum statuta declarant. l. 11. C. *eod.*

11. Si quis jus ignorans, lege falcidia usus non sit, nocere ei dicit epistola divi Pii (*) l. 9. §. 5. d. l. in fin.

(b) Propter. l. 65. *de condictione indebiti.*

(*) Propositiones erroris sunt abrogatae.

(*) Idem de haerede qui non petiit quatuor e quinque partibus propriorum contra legatarium. Videtur magis officio adimplendae fidei functus erga defunctum. Arg. l. 5 §. 13 *de donationibus inter virum et uxorem.*

12. Ignorantia facti non juris prodest: nec stultis solet succurri sed errantibus. l. 9. §. 5.

Si post divisionem factam testamenti vitium in lucem emerserit, ex his quae per ignorantiam confecta sunt praejudicium tibi non comparabitur. Ostende igitur hoc apud correctorem virum clarissimum amicum nostrum, testamentum vel fide veri deficere, vel juris ratione stare non posse; ut infirmata scriptura, quae testamenti. vice prolata est, solidam successionem obtineas. (c). l. 4. C. *eod.*

Constitutiones principum nec ignorare quemquam nec dissimulare permittimus. l. 12. C. *eod.*

(c) Propter. l. 6. *de transactionibus.* hic. l. 13 *de testibus.*

LIBER XXIII.

TITULUS I.

De sponsalibus.

SUMMARIA.

1. *Quid sponsalia.*
2. *Nec solvere sponsalia nec constituere tutor potest sine consensu puellae.*
3. *Consentire debent sponsalibus qui nuptiis.*
4. *Furor sponsalia impedit, factas non infirmat.*
5. *Pupillam tutor. nec ejus filius ducere porsunt.*
6. *Sponsalibus renuntiari potest.*

1. Sponsalia sunt mentio et repromissio nuptiarum futurarum. l. 1.

2. Si puellae tutores ad finienda sponsalia nuntium miserunt, non putarem suffecturum ad dissolvendam nuptiarum spem, hunc nuntium: non magis quam sponsalia posse eos solos constituere; nisi forte omnia ista ex voluntate puellae facta sint. l. 6.

3. In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. l. 7. §. 1.

4. Furor quin sponsalibus impedimento sit, plus quam manifestum est. Sed postea interveniens, sponsalia non infirmat. l. 8. l. 16. §. 2. *de nuptiis.*

5. Tutor factam pupillam suam nec ipse uxorem ducere, nec filio suo in matrimonio adjungere potest, scias tamen, quod de nuptiis tractamus, et ad sponsalia pertinere (*a*) l. 15.

(a) Ut suppleat quod orationi deest. l. 16.

6. Alii desponsatae renuntiare conditioni, et nubere alii non prohibentur. l. 1. C. *eod.* (1)

TITULUS II.

De ritu nuptiarum.

SUMMARIA.

1. *Nuptiae conjunctio legitima maris et foeminae, ex jure divino.*
2. *Consensus partium et parentum necessarius. Nuptias facit consensus.*
3. *Furor nuptias impedit, factas non infirmat.*
4. *Officium parentum dotare filiam.*
5. *Stat matrimonium quod patre cogente factum est.*
6. *Dignitatem a patre profectam non aufert crimen patris.*
7. *Honestas spectanda in matrimoniis.*
8. *Affectio tollit suspicionem fraudis.*

1. Nuptiae sunt conjunctio maris et foeminae: (et) consortium omnis vitae: divini et humani juris communicatio. l. 1.

Uxor socia rei humanae atque divinae domus suscipitur. l. 4. C. *de crim. exp. haered.*

2. Nuptiae consistere non possunt nisi consentiant

(1) » La promessa di matrimonio, in qualunque modo e sotto qualsivoglia condizione data o ricevuta, non produce civilmente alcuna legale obbligazione nè per lo adempimento, nè per la prestazione di ciò che siasi promesso nel caso d'inadempimento, » (*Leggi civ. art.* 148)

omnes, id est, qui coëunt, quorumque in potestate sunt. l. 2.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit. l. 15. ff. de condit. et dem. (1)

3. Furor contrahi matrimonium non sinit, quia consensu opus est: sed recte contractum non impedit. l. 16. §. 2. l. 8. *de sponsalibus*.

4. Capite trigesimoquinto legis Juliae, qui liberos quos habent in potestate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere (vel qui dotem dare non volunt, ex constitutione divorum Severi et Antonini, per proconsules praesidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare, et dotare (a) l. 19.

Cum pater curator suae filiae juris sui effectae dotem pro ea constituisset, magis eum quasi patrem id quam quasi curatorem fecisse videri (b). l. 5. §. 12. ff. *de jure dot.*

Sancimus siquidem (pater) nihil addendum existimaverit, sed simpliciter dotem dedit, vel promiserit, ex sua liberalitate hoc fecisse intelligi, debito in sua figura remanente (c). Neque enim leges incognitae sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium do-

---

(1) » Non vi è matrimonio quando non vi è consenso — Il figlio che non è giunto all' età di anni venticinque compiti, e la figlia che non ha compito gli anni ventuno, non possono contrarre matrimonio senza il consenso del padre e della madre. (*Leggi civ. art.* 155, 163)

(a) Prohibere autem videtur et qui conditionem non quaerit. d. l. 19.

(b) Contra apud nos. V. observ. l. ult. C. *de dotis promissione*.

(c) Secus apud nos. Nam qui debitor est praesumitur sese potius exonerare velle quam liberalitatem exercere. Si quidem in necessitatibus nemo liberalis existit.

tem pro sua dare progenie. l. ult. C. *de dot. prom.* V. Nov. 115. c. 3. §. 11.

Neque mater pro filia dotem dare cogitur, nisi ex magna et probabili causa vel lege specialiter expressa: neque pater de bonis uxoris suae invitae ullam dandi habet facultatem. l. 14. C. *de iure dot.* V. l. 82. ff. hoc t.

5. Si patre cogente (filius familias) ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur: maluisse hoc videtur. l. 22. (2)

6. Quaesita dignitas liberis, propter crimen patris auferenda non est l. 34 §. 3.

7. Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit. l. 42.

8. Affectionis causa suspicionem fraudis amovet (*d*). l. 67. §. 1.

---

(2) » Il solo timore riverenziale verso il padre, la madre, o altri ascendenti, senza che vi sia concorsa una violenza di fatto, non basta per annullare il contratto » (*Leggi civ. art.* 1069.)

(d) Fraudis praesumptio excluditi meliori praesumptione, ait Algenterus.

TITULUS III.

De jure dotium.

SUMMARIA.

1. *Dos semper apud maritum.*
2. *Favor dotis.*
3. *Profectitia dos quae a patre profecta est.*
4. *Profectitia dos ad patrem revertitur filia mortua. Ad extraneos dotis promissores dos non revertitur, nisi ita convenerit.*
5. *Dotis fructus mariti sunt pro oneribus.*
6. *Dos in bonis mariti. Dos in bonis mulieris.*
7. *Parapherna sunt bona mulieris quae in dotem non dantur. Parapherna interdum marito traduntur. Paraphernorum domina uxor, si marito committantur, eris loco procuratoris nisi aliter convenerit.*
8. *Quae res aestimatae in dotem dantur, mariti sunt, et pretium dos est.*
9. *Res inaestimatae mulieris periculo sunt.*
10. *In dote eam diligentiam praestat maritus quam exhibet in rebus suis.*
11. *Omnis circa dotem conventio conductionem continet; si nuptiae sequantur.*
12. *Non mutatur causa dotis aut ex re in pecuniam, aut ex pecunia in rem, nisi utile sit mulieri*
13. *Dotis causam deteriorem facere post nuptias pater non potest.*
14. *Quae fructus non sunt dotem augent.*

15. *Dos ab extraneo promissa mariti periculo est, si non exigat, aliud in dote adversus patrem, vel donatorem.*

16. *Dotem suo periculo maritus novat.*

17. *Quae usu consumuntur in dotem data, mariti periculo sunt.*

18. *Tempus solvendae dotis non a stipulatione currit, sed a nuptiis.*

19. *Res ex pecunia dotali quaesita, vel uxoris est, vel mariti, prout actum est.*

20. *Impensae dotem minuunt.*

21. *Si dato in dotem fundo, quem pro portione haereditaria mulier acceperat, ea restituatur adversus cohaeredes, doti erit fundi pretium ejus temporis quo doti datus erat.*

22. *Fundo indefinite legato, nullum est legatum: aliud in dote, nam ea pro modo facultatun et dignitate mariti constitui potest.*

23. *Uxoris ingratitudo virum dote non privat.*

24. *In ambiguis doti favendum: dos habet privilegium inter personales actiones.*

25. *Nominis periculum suum facit maritus qui usuras exigit.*

26. *Si universa bona in dotem dentur, transeunt ad maritum cum oneribus.*

27. *Pietatis causa dos alienari potest.*

28. *Dos ab avo profecta ad patrem superstitem non revertitur.*

29. *Qui debet, cum erit commodum, tunc debet cum sine turpitudine poterit.*

30. *Omne pactum circa dotem licitum nisi bonis moribus et legibus reprobetur.*

31. *Minor annis curatore auctore dotem marito constituit.*

32. *De evictione tenentur dotis promissores.*

1. Dotis causa perpetua est: (et) cum voto ejus qui dat, ita contrahitur, ut semper apud maritum sit. l. 1. (1)

2. Reipublicae interest, mulieres dotes salvas habere propter quas nubere possint. l. 2. (2)

3. Profectitia dos est, quae a patre vel parente profecta est, de bonis vel facto ejus. l. 5.

4. Jure succursum est patri (*), ut filia amissa solatii loco cederet, si redderetur ei dos ab ipso profecta: ne et filiae amissae, et pecuniae damnum sentiret. l. 6.

Dos a patre profecta, si in matrimonio decesserit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet (*a*). l. 4. C. *sol. matr.* l. 2. C. *de bon. quae lib.*

Si pater pro filia emancipata dotem dederit, profectitiam nihilominus dotem esse, nemini dubium est. Quia non jus potestatis, sed parentis nomen dotem profectitiam facit. l. 5. §. 11. ff. *de jure dot.*

Si dotem marito libertae vestrae dedistis, nec eam reddi soluto matrimonio vobis incontinenti pacto (*b*)

(1) » Il solo marito ha l' amministrazione de' beni dotali, durante il matrimonio — Gl' immobili costituiti in dote non possono alienarsi o ipotecarsi durante il matrimonio » (*Leggi civ. art.* 1362, 1367)

(2) » La figlia ha dritto di esser dotata dal padre; in difetto, dall' avo paterno; quindi dalla madre » (*Leggi civ. art.* 194)

(*) *Lex* 21 §. 4. Ad municipalem, *habet* constante matrimonio dos in bonis mariti est.

(a) Ne hac injecta formidine parentum liberalitas erga filias retardetur. d. l. 2.

(b) V. Dolive. l. 3 c. 5

vel stipulatione prospexistis, hanc, culpa uxoris dissoluto matrimonio, penes maritum remansisse constitit (c); licet eam ingratam circa vos fuisse ostenderitis (d). l. 24. C. *de jur. dot.* v. l. un. §. 13. C. *de rei ux. act.*

5. Dotis fructum ad maritum pertinere debere aequitas suggerit: cum enim ipse onera matrimonii subeat, aequum est, eum etiam fructus percipere (e). l. 7. l. 56. §. 1. l. 20. C. *eod.* l. 65. §. ult. ff. *pro socio.* (3)

6. Si res in dotem dentur, puto in bonis mariti fieri (*). l. 7. §. 3. (4)

Quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est. l. 75.

(c) Dos uxori constituta non revocatur ex causa ingratitudinis in praejudicium mariti. l. 69 §. 6. hic.

(d) Hodie si matrimonium solvatur morte uxoris absque liberis, dos profectitia revertitur ad patrem. Dos adventitia remanet penes maritum. Lex autem un. §. 13 in fine, C. *de rei uxoriae actione*, ait extraneum intelligimus quemlibet circa patrem aut avum paternum; unde mater non gaudet jure reversionis. Dolive. *l. 4. C. 7.* Si autem soluto matrimonio liberi supersint, dos ad eos a matre transmittitur. Quod si matrimonium solvatur divortio vel morte mariti, dos redditur uxori, nisi extraneus dotator eam sibi hoc casu reddi stipulatus sit.

(e) L. 5 §. 6 ait: Si pater non quasi pater, sed alio dotem promittente fidejussit, et quasi si fidejussor solverit, Neratius ait non esse dotem profectitiam. quamvis pater servare a reo non possit id quod solverit. §. 7. Sed si pater dotem promisit et fidejussorem vel reum pro se dedit, ego puto profectitiam esse dotem, sufficit enim quod pater sit obligatus sive reo, sive fidejussori.

(3) » La dote consiste ne' beni che la moglie porta al marito per sostenere i pesi del matrimonio — Il solo marito ha diritto di riscuoterne i frutti e gl' interessi » (*Leggi civ. art.* 1353, 1362)

(*) *Lex* 15. Qui satisdare cogantur, *habet*: Sciendum est possessores immobilium satisdare non compelli. *Lex* 3. *habet.* Si fundus in dotem datus sit, tam uxor quam maritus propter possessionem ejus fundi possessores intelliguntur.

(4) Vedi più giù la nota 8.

Res dotales ab initio uxoris fuerunt, et naturaliter in ejus permanserunt dominio. Non enim quod legum subtilitate transitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta vel confusa est. l. 30. C. *de jur. dot.* (5)

7. Dotis causa data, accipere debemus ea quae in dotem dantur. Caeterum si res dentur in ea quae Greci παράφερνα *parapherna* dicunt, quaeque Galli *peculium* appellant (f) (6), videamus an statim efficiuntur mariti?... Plane, si rerum libellus marito detur, ut Romae vulgo fieri videmus: nam mulier res quas solet in usu habere in domo mariti neque in dotem dat, in libellum solet conferre (g), eumque libellum marito offerre, ut is subscribat, quasi res acceperit; et velut chirographum ejus uxor retinet res, quae libello retinentur, in domum ejus se intulisse: hae igitur res an mariti fiant videamus. Et non puto: non quod non ei tradantur: quid enim interest, inferantur volente eo in domum ejus, an ei tradantur? Sed quia non puto hoc agi inter virum et uxorem, ut dominium ad eum transferatur, sed magis, ut certum sit in domum ejus illatas, ne si quandoque separatio fiat, negetur. Et plerumque custodiam earum maritus repromittit, nisi mulieri commissae sint. l. 9. §. 2. et 3.

---

(5) Vedi qui giù la nota 8.

(f) L. 9. §. 1. ait: Si res alicui tradidero, ut nuptiis secutis dotis efficiantur, et ante nuptias decessero, an secutis nuptiis dotis esse incipiant? Sed benignius est favore dotium necessitatem imponi haeredi consentire ei quod defunctus fecit. V. l. 44. *eod.* l. 21 et 68.

(6)» Sono parafernali tutti i beni della moglie, che non sono stati costituiti in dote » (*Leggi civ. art.* 1387)

(g) Quidquid est in domo mariti praesumitur ad eum pertinere nisi uxor contrarium probet.

Hac lege decernimus, ut vir in his rebus quas extra dotem mulier habet, quas Graeci *parapherna* dicunt, nullam uxore prohibente habeat communionem, nec aliquam ei necessitatem imponat. Quamvis enim bonum erat mulierem, quae se ipsam marito committit, res etiam ejusdem pari arbitrio gubernari; attamen, quoniam conditores legum aequitatis convenit esse fautores, nullo modo (ut dictum est) muliere prohibente virum in paraphernis se volumus immiscere l. 8. C. *de pact. conv.*

Si mulier marito suo nomina quae extra dotem sunt, dederit, *ut loco paraphernorum apud maritum maneant*, et hoc dotali instrumento fuerit adscriptum: utrumne habeat aliquas ex his actiones maritus, sive directas, sive utiles, an penes uxorem omnes remaneant, et in quem eventum dandae sint marito actiones quaerebatur. Sancimus itaque, si quid tale evenerit, actiones quidem omnino apud uxorem manere, licentiam autem marito (dari) easdem actiones movere apud competentes judices, nulla ratihabitione ab eo exigenda: et usuras quidem eorum circa se et uxorem expendere: pecunias autem sortis, quas exegerit, servare mulieri, vel in causas (ad) quas ipsa voluerit distribuere. Et si quidem in dotali instrumento hypotecae (pro his) nominatim a marito scriptae sint, his esse mulierem ad cautelam suam contentam.

Sin autem minime hoc scriptum inveniatur, ex praesenti nostra lege habeat hypotecam contra res mariti, ex quo pecunias ille exigit (*). Ante enim habeat mu-

(*) Mulieris hypotheca pro suis paraphernalibus, non habet locum nisi a die quo maritus eam adit. V. l. 16. *de fundo dotali*, et infra. l. 71.

ker ipsa facultatem si voluerit, sive per maritum, sive pes alias personas easdem movere actiones, et suas pecunias (percipere) et ipsas cautiones a marito recipere, securitate ei competente facienda. Dum autem apud maritum remanent eaedem cautiones, et dolum et diligentiam maritus circa eas praestare debet, qualem et circa suas res habere invenitur, ne ex ejus malignitate vel desidia, aliqua mulieri accedat jactura. Quod si evenerit, ipse eandem de proprio, resarcire compellitur. l. ult. C. *de pact. conv.* (7)

8. Plerumque interest viri, res non esse aestimatas, idcirco nec periculum rerum ad eum pertinere l. 10.

Quia aestimatio venditio est. l. 10. §. 5. in f. l. 3.

Quoties res aestimatae in dotem dantur, maritus dominium consecutus, summae veluti pretii debitor efficitur. l. 5. C. *de jur. dot.* d. l. 10. §. 4.

Æstimatarum rerum maritus quasi emptor, et com-

---

(7) » La moglie ha l' amministrazione ed il possesso de' suoi beni parafernali. Ma non può alienarli, nè comparire in giudizio per detti beni senza l' autorità del marito; o se questi dissenta, senza il permesso del giudice »

» Se la moglie costituisca suo marito procuratore ad amministrare i suoi beni parafernali col peso di renderle conto de' frutti, costui sarà tenuto verso la medesima come qualunque altro procuratore »

» Se il marito abbia goduto i beni parafernali della moglie senza procura e nel tempo stesso senza opposizione per parte di lei, non è tenuto, allorchè si scioglie il matrimonio, o alla prima domanda della moglie, se non ad esibire i frutti esistenti, senza essere obbligato a dar conto di quelli che sono stati fino allora consumati »

» Se il marito, malgrado la certa opposizione della moglie, abbia goduto de' beni parafernali, è tenuto a render conto alla medesima di tutti i frutti non solo esistenti, ma anche consumati »

» Il marito che gode de' beni parafernali, è tenuto a tutte le obbligazioni dell' usufruttuario » (*Leggi civ. art.* 1389, 1390, 1391, 1392, 1393)

modum sentiat, et dispendium subeat, et periculum expectet. l. un. §. 9. in fin. C. *de rei ux. act.* (8)

9. Quoties non aestimatae res in dotem dantur et meliores et deteriores mulieri fiunt. Si praediis inaestimatis aliquid accessit, hoc ad compendium mulieris pertinet; si aliquid decessit, mulieris damnum est. l. 10. d. l. §. 1. l. 10. C. *eod.*

10. In rebus dotalibus virum praestare oportet tam dolum, quam culpam, quia causa sua dotem accepit. Sed etiam diligentiam praestabit, quam in suis rebus exhibet. l. 17. l. ult. C. *de pact. conv.* (9)

11. Si res aestimata data, nuptiae secutae non sunt, videndum est quid repeti debeat, utrum res an aestimatio. Sed id agi videtur, ut ita demum aestimatio rata sit, si nuptiae sequantur, quia nec alia causa contrahendi fuerit. Res igitur repeti debent, non pretium. l. 17. §. 1.

Stipulationem quae propter causam dotis fiat, constat habere in se conditionem hanc *si nuptiae fuerint secutae*: et ita demum ex ea agi posse, quamvis non sit expressa conditio *si nuptiae*, constat. Quare, si nuntius remittatur, defecisse conditio stipulationis videtur. l. 21.

Omnis dotis promissio, futuri matrimonii tacitam conditionem accepit. l. 68.

---

(8) » Se la date o parte di essa consista in beni mobili stimati nel contratto nuziale, senza la dichiarazione che la stima non vale per vendita, il marito ne diviene proprietario, e non è debitore di altro che del prezzo stabilito ».

» La stima dell' immobile costituito in dote non ne trasferisce la proprietà al marito senza una espressa dichiarazione » (*Leggi civ. art.* 1364, 1365)

(9) » Il marito riguardo ai beni dotali è tenuto pei deterioramenti avvenuti per sua negligenza » (*Leggi civ. art.* 1375).

12. Ita, constante matrimonio, permutari dotem posse dicimus, si hoc mulieri utile sit; si ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam, idque probatum est. Quod si fuerit factum (h), fundus vel res dotalis efficitur. l. 26. l. 17. v. l. 21. in fin. ff. *de pact. dotal.* (i). (10)

13. Post nuptias pater non potest deteriorem causam filiae facere, quia nec reddi ei dos invita filia potest. l. 28.

14. Si ex lapidicinis dotalis fundi lapidem vel arbores, quae fructus non essent, sive superficiem aedificii dotalis voluntate mulieris vendiderit (k); nummi ex ea venditione recepti, sunt dotis. l. 32.

15. Si extraneus sit, qui dotem promisit, isque defectus sit facultatibus, imputabitur marito cur eum non convenerit (11): maxime si ex necessitate, non ex voluntate dotem promiserat. Nam si donavit utcunque parcendum marito, qui eum non praecipitavit ad solutionem, qui donaverat; quemque in id, quod facere posset, si convenisset, condemnaverat (l). Hoc enim divus Pius rescripsit » eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id » quod facere possunt, condemnandos. » Sed si vel pater vel ipsa promiserunt, Julianus quidem scribit, etiamsi

(h) *Subrogatio*

(i) V. l. 54. hic.

(10) » L'immobile dotale può esser permutato con un altro immobile dello stesso valore pe' quattro-quinti almeno; purchè si giustifichi la utilità della permuta . . . . — In tal caso l'immobile ricevuto in permuta, diverrà dotale: l'avanzo del prezzo, se ve ne ha, è pure dotale, e con tal qualità verrà impiegato a vantaggio della moglie » (*Leggi civ. art.* 1372)

(k) Nisi lapis renascatur, alias non est in fructu. l. 7 §. 13. *soluto matrimonio*, l. ult. *de fundo dotali.*

(l) Id est condemnari fecisset.

(11) » Il marito, riguardo ai beni dotali, è tenuto per tutte le prescrizioni incorse per sua negligenza » (*Leggi civ. art.* 1375)

pater promisit, periculum respicere ad maritum. Quod ferendum non est. Debebit igitur mulieris esse periculum. Nec enim quicquam judex propriis (*m*) auribus audiet mulierem dicentem, cur patrem qui de suo dotem promisit, non urserit ad exsolutionem. Multo minus cur ipsam non convenerit (*). Recte itaque Sabinus disposuit, ut diceret, quod pater vel ipsa mulier promisit, viri periculo non esse: quod debitor, id viri esse. Quod alius scilicet donaturus, ejus periculo ait cui adquiritur: adquiri autem mulieri accipiemus, ad quam rei commodum respicit. l. 33.

16. Dotem a patre, vel a quovis alio promissam, si vir novandi causa stipuletur, coepit viri esse periculum, cum ante mulieris fuisset (*n*). l. 35. (*o*).

17. Res in dotem datae, quae pondere, numero, mensura constant, mariti periculo sunt; quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat et quandoque soluto matrimonio, ejusdem generis et qualitatis alias restituat, vel ipse vel haeres ejus (*). l. 42. (12)

18. Tali facta stipulatione, *decem in anno proximo dotis nomine dare spondes?* Quaesitum est, annus ex

(m) Propriis.

(*) Maritus agere contra uxorem non potest pro dotis solutione.

(n) Ergo maritus novare potest.

(o) V. l. 71.

(*) Quid de gemmis, aut unionibus mulieris? si pretio sunt inmutae, et dotis partem faciunt, contenditur quod maritus eas in specie reddere nequeat, nam si valde pretio essent auctae eas non redderet: distinguendum sint auctae, nec ne.

(12) Ciò però mobili che furono stimati nel contratto — Ma pei mobili la cui proprietà resta alla moglie, quando siensi consumati coll'uso e senza colpa del marito, egli non restituisce se non quelli che rimangono, e nello stato in cui si trovano (*Leggi civ. art* 1378. 1379)

quo tempore esset numerandus, utrum ex die stipulationis factae, an ex eo die quo dos esse potuisset, id est, nuptiarum? Et responsum est, ex die nuptiarum annum esse numerandum. l. 48. (13)

19. (p) Res quae ex dotali pecunia comparatae sunt dotales videntur. l. 54. (q).

Ex pecunia dotali fundus a marito tuo comparatus, non tibi quaeritur, cum neque maritus uxori actionem empti possit acquirere, at dotis tantum actio tibi competit (r). Unde aditus praeses provinciae, si non (te) transegisse reperierit, sed ex majore parte dotem consecutam, residuum restitui providebit. l. 12. C. *eod.*

Sive cum nupsisses, mancipia in dotem dedisti, sive post datam dotem de pecunia dotis maritus tuus quaedam comparavit: justis rationibus dominia eorum ad eum pervenerunt. l. ult. C. *de ser. pign. dat. man.* (14)

20. Quod dicitur, *necessarias impensas ipso jure dotem minuere*, non eo pertinet, ut si forte fundus in dote sit, desinat aliqua ex parte dotalis esse: sed nisi impensa reddatur, aut pars fundi, aut totus retineatur. l. 56. §. 3. V. tit. *de impensis in res dot.* (15)

---

(13) Concorda. (*Leggi civ. art.* 1361)

(p) Idem in pecunia pupilli ex qua tutor proprio suo nomine fundum emit: nam vindicatio datur minori. l. 20. *quando ex facto tutoris.*

(q) V. l. 267 et 2 hic.

(r) Si maritus pecuniam dotalem uxoris in utilem usum collocavit, opus est ut id in contractu explicet, et ipsa se subscribat, secus acquisitio seu emptio illa, pro ea nulla est.

(14) » L'immobile acquistato col denaro dotale non diviene dotale, se non quando nel contratto di matrimonio sia stata stipulata la condizione dell'impiego — La stessa regola si osserva per l'immobile dato per pagamento della dote costituita danaro ». (*Leggi civ. art.* 1366)

(15) Concorda. (*Leggi civ. art.* 1371, n. 4.

21. Titia, cum esset minor vigintiquinque annis, quartam haereditatis matris suae communem sibi cum fratribus mutavit, et accepit pro ea parte fundum, quasi emptione inter se facta: hunc fundum cum aliis rebus doti dedit. Quaero, si in integrum restituatur, et partem suam accipiat quartam, et reddat fundum, quid debeat maritus facere? an contentus esse debeat aliis rebus in dotem datis? Item quaero, si haec decesserit, et haeredes ejus in integrum restitutionem ex persona ejus petierint; et ipsi petant quartam partem, et illi fundum: an maritus cogatur restituere fundum, contentus in retentione lucri dotis caeteris rebus (s)? Modestinus respondit, nihil proponi cur marito dos auferenda sit: sed in meram aestimationem praedii mulier, vel ejus haeredes condemnandi sunt, in hoc tempus referendam, quo in dotem datus est. l. 62. (t).

22. Gener a socero dotem *arbitratu soceri certo die dari*, non demonstrata (re vel) quantitate, stipulatus fuerat: arbitrio quoque detracto, stipulationem valere placuit. Nec videri simile, quod, fundo non demonstrato, nullum esse legatum vel stipulationem fundi constaret (u); cum inter modum constituen-

(s) Maritus hic tenetur restituere fundum contentus aestimatione fundi, in hoc tempus referenda quo datus est in dotem: et sic Cujacius explicat haec verba *in meram aestimationem haeredes condemnandi sunt*, scilicet solvere marito aestimationem fundi. Contra glossa quae putat fundum relinquendum marito. Sed verus legis intellectus est, fundum a marito restituendum esse cohaeredibus uxoris: 1 quia restitutio fit ex causa anteriori; 2 quia omnis restitutio est reciproca; 3 quia restitutio fit in rem, ex causa minoris aetatis, unde locum habet adversus maritum, tamquam adversus quemlibet possessorem, ut ait Cujacius hic.

(t) L. 35. l. 39. §. *familiae erciscundae.*

(u) Si ab ipsa muliere promissa sit dos incerta, maritus actionem non habet. l. 1. C. *de dotis promissione.* Veluti si neque species ul-

dae dotis, et corpus ignotum differentia magna sit: dotis enim quantitas pro modo facultatum patris, et dignitate mariti constitui potest. l. 69. §. 4. (x).

23. Patrona dotem pro liberta jure promissam, quod extiterit ingrata, non retinebit (y). l. 69. §. 6. (z).

24. In ambiguis pro dotibus respondere melius est. l. 70.

Si sponsa dotem dederit, nec nupserit, vel minor duodecim annis, ut uxor habeatur: exemplo dotis, condictioni, favoris ratione, privilegium quod inter personales actiones vertitur, tribui placuit (a). l. 74. v. l. 17. §. ult. l. 18. et l. 19. ff. *de reb. act. jud. possid*.

Scire debes, privilegium dotis (*), quo mulieres utuntur in actione de dote, ad haeredem non transire (b). l. un. C. *de priv. dot.*

25. Cum dotem mulieris nomine extraneus promisit, mulieris periculum est. (Sed) si maritus nomen secutus, usuras exegerit (c), periculum ejus futurum respondetur l. 71.

---

la, neque quantitas promissa sit, sed dos in genere. Sin autem ab alio promissa sit etiam cum his verbis: *quodcumque arbitratus fuisset*, debetur et videtur boni viri arbitrium stipulationi insertum esse. l. 3. eod.

(x) L. 43. *de legatis.*

(y) Doli. l. 4. c. 5.

(z) V. f. n. 4. in fine.

(a) Quid privilegio legis *Assiduis*. C. Quid potiores. Distingue ex qua parte fuerit bona fides.

(*) Dos capitur super bona substituta in favorem uxoris, suorumque filiorum. n. 39. non in favorem collateralium.

(b) Lex haec anterior est legi *Assiduis*, *C. qui potiores l.* 12. §. 3. *de fundo dotali.* Hinc ea de hypothecis non loquitur.

(c) V. l. ult. *de pactis conventis.* sup. n. 9. et l. 35. supra eod.

26. Mulier bona sua omnia in dotem dedit (*d*): quaero an maritus, quasi haeres, oneribus respondere cogatur? Paulus respondit, eum quidem, qui tota ex repromissione dotis bona mulieris retinuit (*e*), a creditoribus conveniri ejus non posse (*f*): sed non plus esse in promissione bonorum, quam quod superest deducto aere alieno (*g*). l. 72.

Nulla lege prohibitum est, universa bona in dotem marito foeminam dare. l. 4. C. *de jur. dot.*

27. Manente matrimonio, non perditurae uxori ob has causas dos reddi potest, ut se suosque alat; ut fundum idoneum emat; ut in exilium, ut in insulam relegato parenti praestet alimonia; aut ut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat. l. 73. §. 1. v. 1. *sol. matr.* n. 8. (16)

(d) Non valet istud proverbium jure romano, *qui faeminam ducit uxorem et debita simul contrahit*; sed maritus duntaxat tenetur condictione ex lege ad restituendam dotem creditoribus, ne uxor ex pecunia mutuo forte sumpta, dotem sibi constituat et creditoribus illudat.
* *Si uxor in dotem omnia sua bona sibi constituat dos et bona non intelliguntur, nisi deducto aere alieno, et maritus non percepit nisi residuum; secus si uxor sibi certam summam in dotem constituit, hanc summam ipse retinebit suae uxoris in praejudicium suorum creditorum, at durante matrimonio maritus ad nil personaliter tenebitur.*

(e) Hoc verbum *retinuit*, intelligitur post mortem uxoris: unde quaeritur an maritus quasi haeres teneatur post mortem uxoris, non vero constante matrimonio.

(f) V. l. 10. §. 14. et l. ult. *quae in fraudem creditorum*, et quae ibi notavit.

(g) Nota. *Nulla actio personalis contra maritum quoad ejus personam, nam ipse nec haeres est nec successor universalis vivente uxore: at quoniam dos constituta est in fraudem creditorum, e manibus mariti retrahitur, licet in bona fide sit; secus si dos constituta fuerit, a tertio, qui creditores habeat, et maritus sit in bona fide.* L. 10. §. 14. et l. ult. Quae in fraudem creditorum.

(16) Cioè, 1. per collocare i figli; 2. per liberare dal carcere il marito o la moglie; 3. per sommministrare gli alimenti alla famiglia; 4. per pagare i debiti della moglie, anteriori al matrimonio; 5.

28. Avus neptis nomine filio natae, genero dotem dedit et moritur. Negat Servius, dotem ad patrem reverti, et ego cum Servio sentio (*h*): quia non potest videri ab eo profecta, quia nihil ex his sui habuisset. l. 79.

V. 1. l. 6. *de collat.* cap. 53.

29. Pater, filiae nomine, centum doti ita promisit, cum *commodissimum esset*: Atteius scripsit, Servium respondisse, cum primum sine turpitudine et infamia dari possit, deberi. l. 79. §. 1. (*i*).

30. Si qua pacta intercesserint vel pro restitutione dotis (*k*), vel pro tempore, vel pro usuris, vel pro *jur. dot.* l. 1. §. 1. C. *de rei ux. act.*
alia quacumque causa, quae nec contra leges nec constitutiones sunt; ea observentur. l. un. §. ult. C. *de rei ux. act.*

31. Mulier in minori aetate constituta, dotem marito, consentiente generali vel speciali curatore, dare potest. l. 28. C. *de jure dot.*

32. Evicta re quae fuerat in dotem data, si pollicitatio vel promissio fuerit interposita, gener contra socerum, vel mulierem, seu haeredes eorum, condictione vel ex stipulatione (17), agere potest (*l*). l. 1. C. *de jure dot.* l. 1. §. 1. C. *de rei ux. act.*

---

per le riparazioni straordinarie all' immobile dotale (*Leggi civ. art.* 1368, 1369, 1371)

(h) Ista lex ex rigore juris descendit. Lex vero 6. *de collatione*, loquitur ex aequitate. Cambol. 2. 14. legit *filia* non *filio*, ut ista lex de avo materno tantum intelligatur.

(i) V. l. 25. *de verborum significationibus.* l. 69. §. 4. hic.

(h) Tabularum nuptiarum aeterna auctoritas esto. *Contractus matrimoniales cujusvis conventionis sunt susceptibiles.*

(17) » Coloro che costituiscono una dota, son tenuti a garentire i beni assegnati in dote » (*Leggi civ. art.* 1360)

(l) Licet nec promissio nec stipulatio intervenerit. D. l. unica. 1. §.

TITULUS. IV.

De pactis dotalibus (a).

SUMMARIA.

1. *Conveniri potest ut dos ad patrem ejusve filium aut caeteros haeredes revertatur.*
2. *Valet pactum ut dos, mortua muliere, apud virum remaneat.*
3. *Matre et filio anniculo simul mortuis, mater supervixisse praesumitur.*

1. Si ita conveniat (b), *ut si vivo socero mortua sit filia, ipsi socero: si mortuo, filio ejus, si filio quoque defuncto, totum suo haeredi reddatur*; benigna interpretatione potest defendi, utilem stipulationem esse (c). l. 9.

2. Si pater dotem dederit, et pactus sit, *ut mortua in matrimonio filia, dos apud virum remaneret*; puto pactum servandum, etiam si liberi non interveniant. l. 12. l. 2. *eod.*

Si decesserit mulier constante matrimonio, dos non in lucrum mariti cedat, nisi ex quibusdam pactionibus. l. un. §. 6. C. *de rei ux. act.*

(a) Pacisci post nuptias, etiamsi nihil ante convenerit, licet. l. 1. l. 12 §. 1.

(b) De usufructu in dotem dato, et quid restituendum veniat. V. l. 4.

(c) Licet alter alteri stipulari non possit, tamen hoc summo amori et summae propensioni parentum erga liberos datum est. V. etiam l. 3. C. *de donationibus quae sub modo.* l. 40 §. ult. *de pactis.*

Inter socerum et generum convenit, ut *si filia mortua superstitem anniculum filium habuisset, dos ad virum pertineret: quod si vivente matre filius obiisset, vir dotis portionem, uxore in matrimonio defuncta, retineret*: mulier naufragio cum anniculo filio periit, quia verisimile videbatur, ante matrem infantem periisse, virum partem dotis retinere placuit. l. 26. (*d*). (1)

TITULUS V.

De fundo dotali (*a*)

SUMMARIA.

1. *Fiscus semper idoneus et solvendo.*
2. *Alienari non potest fundus dotalis.*
3. *Nec amittere servitutes fundi dotalis, nec alias imponere potest maritus.*
4. *Ligna succisa in fundo dotali uxoris sunt, licet ejus rogatu succisa sint.*
5. *Haeres mulieris revocat alienationem fundi dotalis.*

(d) V. tit. *de rebus dubiis*.. n. 6. 7. 8. 9. 10.

(1) La presunzione di sopravvivenza per lo caso riportato in questo articolo, non è regolata dalle nostre leggi. Esse propongono (art. 642 e 643) quattro casi; 1. Se coloro che perirono insieme aveano meno di anni quindici; — 2. Se erano tutti maggiori di sessant'anni; — 3. Se gli uni avevano meno di quindici anni, e gli altri più di sessanta; — 4. Se tutti avevano compito l'età di anni quindici, e non oltrepassavano quella di sessanta.

I casi dunque da prevedersi sono: 6. Se alcuni aveano meno di quindici anni, ed altri più ma senza oltrepare i sessanta; — 7. Se alcuni aveano più di sessant'anni, ed altri meno ma non sotto de' quindici.

(a) Interdum lèx Julia de fundo dotali cessat, si ob id quod maritus damni infecti non cavebat missus sit vicinus in possessionem dotalis praedii, deinde jussus sit possidere: hic enim dominus vicinus fit; quia haec alienatio non est voluntaria. l. 1.

6. *Marito imputatur fundi dotalis praescriptio, nisi paucissimi dies supersint: ita ut praescriptionem ignoranti nihil imputetur.*

7. *Venditum a se fundum dotalem non revocat maritus qui in uxoris locum succedit.*

8. *Impensas utiles debet mulier: ejus generis est quod impenditur, ut aperiantur, in fundo dotali, lapidicinae unde crescat lapis.*

9. *Si aestimato fundo dotali electio est mulieris ut pretium habeat aut fundum, non poterit fundus alienari.*

1. Fiscus semper idoneus successor est et solvendo (*).

. 2. in f.

1 2. Toties non potest alienari fundus, quoties mulieri actio de dote competit, aut omnimodo competitura est. l. 3. §. 1. V. hic. n. ult. (1)

Fundum dotalem non solum hypothecæ titulo dare (*b*), nec consentiente muliere, maritus possit, sed nec alienare; ne fragilitate naturæ suæ in repentinam deducatur inopiam. l. 1. §. 15. C. *de rei ux. act.*

3. (*c*) Julianus scripsit, neque servitutes fundo debitas posse maritum amittere (*d*), neque ei alias imponere. l. 5.

(*) In quaestionem fiscus non revocatur, neque cautiones ipse exhibet.

(1) » Gl' immobili costituiti in dote non possono alienarsi o ipotecarsi durante il matrimonio, (salve alcune eccezioni) *Leggi civ. art.* 1367)

(b) Quid vero, potest ne ipsa fundum dotalem alienare? Non dolive. l. 3. C. 29. Duperier. l. quaest. 1. 3. V. l. 21. C. *de donationibus.*

(c) Verum lex quae praescriptionem introducit hanc alianationem facit.

(d) Quidam legunt remittere, sed vide legem 28. *de verborum significationibus.* l. 15. §. ult, *de usufructu.*

4. Vir in fundo dotali, uxoris rogatu, olivetum succiderat, hoc (ut) novellum reponeret: postea vir mortuus erat, et uxori dotem relegaverat: ligna quæ ex oliveto excisa essent, oportere mulieri reddi respondit l. 8. (*e*).

5. Hæredi quoque mulieris idem auxilium præstabitur (*f*), quod mulieri præstabatur. l. 13. §. 3. (2)

6. Si fundum, quem Titius possidebat bona fide (*g*), et longi temporis possessione poterat sibi quærere, mulier ut suum marito dedit in dotem, eumque petere neglexerit vir, cum id facere posset; rem periculi sui fecit. Nam, licet lex Julia quæ vetat fundum dotalem alienari, pertineat etiam ad hujusmodi acquisitionem (*h*), non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus fit, si, antequam constitueretur dotalis fundus, jam caeperat. Plane, si paucissimi dies (*i*) ad perficiendam longi temporis possessionem superfuerunt, nihil erit, quod imputabitur marito (*k*). l. 16. (3)

(e) V. l. 12. l. 18. l. 19. §. 1. 59. *de usufructu.* l. 7. §. 12. *soluto matrimonio.*

(f) Non idem privilegium. l. unic. C. *de privilegio dotis.*

(2) » Se la moglie o il marito, o amtrambi unitamente alienano il fondo dotale, la moglie o i di lei eredi potranno dopo lo scioglimento del matrimonio far rivocare l' alienazione » (*Leggi civ. art.* 1373)

(g) Ex hac lege fundi dotalis praescriptio non potest inchoari post nuptias, sed inchoata ante nuptias potest continuari durante matrimonio. Duperier l. 1. q. 11.

(h) Apud nos fundus dotalis potest praescribi, quando mulier potest possessionem interrumpere, nec regressus datur adversus maritum.

(i) Unam. V. Le Cruu, *de successionibus.*

(k) Ista lex dicitur abrogata per legem 30. C. *de jure dotium.* V. Bonifac. t. 2. l. 9. tit. 1. c. 7.

(3) » Il marito riguardo ai beni dotali è tenuto per tutte le prescrizioni incorse per sua negligenza » (*Leggi civ. art.* 1375)

7. Fundum dotalem maritus vendidit, et tradidit: si in matrimonio mulier decesserit, et dos lucro mariti cessit, fundus emptori avelli non potest. l. 17.

8. Vir in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat: divortio facto, quæritur marmor, quod cæsum, neque exportatum esset, cujus esset; et impensam in lapidicinas factam mulier, an vir præstare deberet? Labeo, marmor viri esse ait: cæterum, viro negat quidquam præstandum esse a muliere; quia nec necessaria ea impensa esset, et fundus deterior esset factus. Ego non tantum necessarias, sed etiam utiles impensas præstandas a muliere existimo: nec puto fundum deteriorem esse, si tales sunt lapidicinæ, in quibus lapis crescere possit (l) l. ult. V. Tit. *de imp. in res dot.*

9. Si æstimata prædia in dotem data sunt (m), et convenit ut electio mulieri servetur, nihilominius lex Julia locum habet. Est autem alienatio, omnis actus per quem dominium transfertur. l. 1. C. eod. V. l. 3. §. 1. (4)

(l) L. 7. §. 13. *soluto matrimonio.* l. 32. *de jure dotium.*

(m) Idem dici potest de supellecticariis uxoris cum clausula restitutionis.

(4) » La stima dell' immobile costituito in dote non ne trasferisce la proprietà al marito senza una espressa dichiarazione ») *Leggi civ. art.* 1365)

LIBER XXIV.

TITULUS I.

De donationibus inter virum et uxorem.

SUMMARIA.

1. *Improbatae donationes inter virum et uxorem ne concordia pretio concilietur, neve invicem spolientur.*
2. *Quod creditori meo debitor meus jubente solvit, quasi a me ad creditorem pervenit.*
3. *Cui donare non possumus, nec per interpositas personas donare possumus.*
4. *Qui rem donatam omittit, non donat ei ad quem perventura est.*
5. *Omnis mortis causa donatio usque ad mortem semper revocari potest.*
6. *Quod unde habeat uxor non apparet, e re viri quesitum praesumitur.*

1. MOribus apud nos receptum est, ne inter virum et uxorem donationes valerent. Hoc autem receptum est, ne mutuato amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se felicitate. Nec esset eis studium liberos potius educandi. Sextus Cæcilius et illam causam adjiciebat, quia sæpe futurum esset, ut discuterentur matrimonia, si non donaret is, qui posset; atque ea ratione eventurum, ut venalicia essent matrimonia. Hæc ratio ex oratione Imperatoris nostri Antonini (Augusti) electa esti: nam ira ait » majores nostri » inter virum et uxorem donationes prohibuerunt, amorem

» honestum solis animis æstimantes, famæ etiam conjunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur; neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret » 1. 2. 3.

Non amare, nec tamquam inter infestos jus prohibitæ donationis tractandum est; sed ut inter conjunctos maximo affectu, et solam inopiam timentes. l. 28. §. 2.

Ne amore alterius alter despoliaretur: non quasi malivolos, *ne alter locupletior fieret*. l. 31. §. 7. in fin. (1)

2. Si debitorem suum (maritus uxori) solvere jusserit . . . celeritate conjungendarum inter se actionum (*a*), unam actionem occultari. l. 3. §. 12.

3. Generaliter tenendum est, quod inter ipsos, aut qui ad eos pertinent, aut per interpositas personas, donationis causa agatur, non valere: quod si aliarum extrinsecus rerum personarumve causa commixta sit, si separari non potest, nec donationem impediri (*b*); si separari possit, cætera valere, id quod donatum sit, non valere (*c*). l. 5. §. 2. (2)

4. Si maritus hæres istitutus repudiet hæreditatem donationis causa, Julianus scripsit, donationem valere: neque enim pauperior fit, qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit (*d*). Repudiatio autem ma-

---

(1) » Quatunque donazione fra conjugi, durante il matrimonio, quatunque si qualifichi per donazione fra vivi, potrà sempre rivocarsi » (*Leggi civ.. art.* 1050)

(a) Fictio brevis manus.

(b) Verbi gratia, uxor haeres extit Titio qui apud maritum fidejusserat pro Cajo, maritus liberat Cajum. Uxor liberatur Glossa, secus si duo essent rei, uxor et alter, et maritus alterum liberaret. Gl.

(c) Utile per inutile vitiatur.

(2) » Fra coojugi sarà nulla quatunque donazione fatta ad interposta persona » (*Leggi civ. art.* 1053)

(d) Multum tamen discriminis est inter eum qui falcidiam dumtaxat et cum qui legatum amittit: prior videtur pleniore officio fidei

mariti mulieri prodest, si vel substituta sit mulier, vel etiam ab intestato hæres futura. Simili modo, et si legatum repudiet, placet nobis valere donationem, si mulier substituta sit in legato, vel etiam si proponas eam hæredem institutam. l. 5. §. 13. et 14. (e).

5. Ambulatoria voluntas usque ad vitæ supremum exitum. l. 32. §. 3. in fin.

6. Quintus Mucius ait, cum in controversiam venit unde ad mulierem quid pervenerit, et verius et honestius est, quod non demonstratur unde habeat, existimari a viro .... ad eam pervenisse. Evitandi autem turpis quæstus gratia circa uxorem hoc videtur Quintus Mucius probasse. l. 51.

Nec est ignotum quod cum probari non possit, unde uxor matrimonii tempore honeste quaesierit, de mariti bonis eam habuisse veteris juris autores merito crediderint. l. 6. C. eod.

---

adimplendae fungi; hic vero jus sibi quaesitum in gratiam conjugis omittit, et quasi videtur donare.

(e) V. l. 1. C. *ad legem falcidiam* l. 9. §. 5. *de juris et facti ignorantia.*

TITULUS. II.

De divortiis et repudiis.

SUMMARIA.

1. *Non ex animo fit quod in calore iracundiae erumpit.*
2. *Separatis conjugibus apud quem morentur liberi statuit Judex.*

1. Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur; non prius ratum est, quam (si) perseverantia apparuit judicium animi fuisse. l. 3. l. 48. *de r. j.*

2. Licet neque nostra, neque divorum parentum nostrorum ulla constitutione caveatur ut per sexum liberorum inter parentes divisio celebretur, competens tamen judex aestimabit (*a*) utrum apud patrem an apud matrem matrimonio separato, filii morari ac nutriri debeant (*b*). l. un.C. *de divort. fact. ap. quem lib. mor. vel educ. deb.* v. 1. *de lib. exhib.* l. 1. §. 3.

TITULUS III.

Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.

SUMMARIA.

1. *Favor dotis.*
2. *Fructus soluto matrimonio pro rata temporis quo stetit matrimonium dividuntur.*

(a) V. tit. *De agnoscendis et alendis liberis.*

(b) Lex sexta est Triboniani et supposititia V. le Pretre, cent. 1 c. 1.

3. *Fructus minuunt impensae propter fructus.*
4. *Arbores caeduae et gremiales in fructu sunt, non quae ceciderunt.*
5. *Lapidicinae in fructu sunt.*
6. *Impensas utiles repetit maritus.*
7. *Maritus in id quod facere potest condemnatur, non haeres.*
8. *Erogatio in officia pietatis erga parentes et proximos, dotem minuit.*
9. *Vir uxoris et uxor viri casus ferre debet.*
10. *Viro vergente ad inopiam uxor dotem repetit.*
11. *Lege non vindicatur qui legem contempsit; paria delicta pensatione dissolvuntur.*
12. *De casu tenetur maritus, cui locum dedit.*
13. *Invitus possessor non ejicitur, nisi auctore judice.*

1. Dotium causa semper et ubique praecipua est: nam et publice interest dotes mulieribus conservari. l. 1.

2. De divisione anni ejus quo (solutum est matrimonium) quaeritur, ex die matrimonii, an ex die traditi (marito) fundi maritus sibi computet tempus? Et utrique in fructibus a viro retinendis neque dies dotis constitutae, neque nuptiarum observabitur: sed quo primum dotale praedium constitutum est; id est, tradita possessione. l. 5.

(Soluto matrimonio) fructus dividi ait, non ex die locationis, sed habita ratione praecedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit. l. 7. §. 1. l. 78. §. ff. *de. jur. dot.*

De pensionibus quoque praediorum urbanorum idem est, quod in fructibus rusticorum. l. 7. §. 11.

Novissimi anni, in quo matrimonium solvitur, fiu

ctus pro rata temporis portione utrique parti debere assignari. l. un. §. 9. C. *de rei ux. act.* (1)

3. Fructus (eos) esse constat, qui deducta impensa supererunt. l. 7.

Impendi autem *fructuum percipiendorum causa*, Pomponius ait, quod in arando ferendoque agro impensum est; quodque in tutelam aedificiorum. d. l. 7. §. 16.

Quod in *sementem* erogatur, si non responderint messes, ex vindemia deducetur: quia totius anni unus fructus est (*). l. 8. §. 1.

Sumptus vero necessarios et utiles in praedia quae dotalia videbantur, factos, compensatis fructibus perceptis (*a*), ad finem superflui servari convenit. l. 42. §. 1.

4. Si arbores caeduae fuerunt vel cremiales (*b*), dici oportet in fructus cedere: si minus, quasi deteriorem fundum fecerit maritus, tenebitur. Sed et si vi tempestatis ceciderunt, dici oportet pretium earum restituendum mulieri (*c*), nec in fructum cedere. l. 7. §. 12. (2)

5. Si vir in fundo mulieris dotali lapidicinas marmoreas invenerit, et fundum fructuosiorem fecerit; marmor quod caesum neque exportatum (*d*), est mariti, et impensa non est ei praestanda; quia nec in fructu

---

(1) » Sciolto il matrimonio, i frutti degl' immobili dotali si dividono tra il marito e la moglie, o i loro eredi, in proporzione del tempo che ha durato il matrimonio nell' ultimo anno » (*Leggi civ. art.* 1384)

(*) Ita quidem distinguitur respectu redemptoris, seu coloni; qui diminutionem pro sterilitate petit.

(a) L. 48. *de rei vindicatione.*

(b) Quae gremio portari possunt quales sunt caeduae.

(c) V. l. 12. 18. 19. §. 1. 59. *de usufructu.*

(2) Concorda. (*Leggi civ. art.* 515, 516)

(d) Faber. 1. conject. 8. legit. Non est mariti et impensa non est ei praestanda.

est marmor, nisi tale sit ut lapis ibi renascatur; quales unt in Gallia, sunt et in Asia (e). l. 7. §. 13. l. 8. eod. (3)

6. Plane si novam villam necessario extruxit, vel veterem totam sine culpa sua conlapsam restituerit, erit ejus impensae petitio: simili modo et si pastina instituit. Hae enim impensae aut in res necessarias, aut utiles cedunt, pariuntque marito actionem.. l. 7. §. ult. V. l. 7. §. 1. ff. *de imp. in res dot.*

7. Maritum in id quod facere potest, condemnari exploratum est; sed hoc haeredi non esse praestandum: quia tale beneficium personale est, et cum persona extinguitur. l. 12. l. 13.

8. Quamvis mulier non in hoc accipiat costante matrimonio dotem, *ut aes elienum solvat, aut praedia idonea emat, sed ut liberis ex alio viro egentibus, aut fratribus, aut parentibus consuleret*, vel *ut eos ex hostibus redimeret* (*f*), quia justa et honesta causa est, non videtur male accipere; et ideo recte ei solvitur: idque et in filiafamilias observatur. Sed et si ideo maritus ex dote expendit, ut a latronibus redimeret necessarias mulieri personas, vel ut mulier vinculis vindicet de necessarii suis aliquem; reputatur ei id quod expensum est: sive pars dotis, sit pro ea parte; sive tota dos sit, actio dotis evanescit (*g*). Et multo magis idem dicendum est, si

---

(e) V. l. ult. *de fundo dotali.* l. 32. *de jure dotium.* L. 9. §. 2. *de usufructu et* §. 3.

(3) » L'usufruttuario gode delle miniere e delle cave di pietre, che sono aperte ed in esercizio al tempo in cui si fa luogo all'usufrutto — Non ha però verun diritto sulle miniere o cave di pietre non ancora aperte » (*Leggi civ. art.* 523).

(f) *Potest uxor se sine mariti auctoritate obligare ad eum carcere extrahendum, et ne in illum detrudatur, cum captus est.*

(g) Nota. *Haec dispensatio in communitatem non cadit.*

socer agat de dote, debere rationem haberi ejus quod in ipsum impensum est: sive ipse maritus hoc fecit, sive filiae ut faciat dedit. Sed et si parte non experiretur, sed post mortem ejus filia sola de dote ageret: idem erit dicendum: cum enim doli exceptio insi de dote actioni, ut (in) caeteris bonae fidei judiciis, potest dici (ut et Celso videtur) inesse huuc sumptum actioni de dote; maxime, si ex voluntate filiae fastus sit. l. 20. l. 21. v. t. *de jure dot.* n. 27. (4)

9. Quid tam humanum est, quam (ut) fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse? l. 22. §. 7.

10. Si, constante matrimonio, propter inopiam mariti, mulier agere volet, unde exactionem dotis initium accipere ponamus? Et constat, exinde dotis exactionem competere, ex quo evidentissime apparuerit mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere. l. 24. l. 22. §. 8..

Ubi adhuc matrimonio constituto maritus ad inopiam sit deductus, et mulier sibi prospicere velit, resque sibi suppositas pro dote, et ante nuptias donatione, rebusque extra dotem constitutis tenere: non tantum mariti res ei tenenti, et super his ad judicium vocatae, exceptionis præsidium ad expellendum ab hypotheca, secundum creditorem præstamus: sed etiam si ipsa contra detentores rerum ad maritum suum pertinentium, super iisdem hypothecis aliquam actionem, secundum legum distinctionem moveat, non obesse ei matrimonium adhoc constitutum sancimus, sed ita eam posse easdem res vindicare, vel a creditoribus posterioribus, vel ab aliis qui non potiora jura legibus habere noscuntur, ut potuisset, si matrimonium eo modo dissolutum esset,

(4) Concorda. (*Leggi civ. art.* 1371)

quo dotis et ante nuptias donationis exactio ei competere poterat: ita tamen ut eadem mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi vivente marito, et matrimonio inter eos constituto (*): sed fructibus earum ad sustentationem tam sui quam mariti, filiorumque, si quos habet, abutatur. l. 29. C. *de jur. dot.* l. 30. in fin. C. *eod.* V. Nov. 9. c. 6. (5)

11. Viro atque uxore mores invicem accusantibus, causam repudii dedisse utrumque pronuntiatum est: id ita accipi debet, ut ea lege quam ambo contempserunt, neuter vindicetur. Paria enim delicta mutua pensatione dissolvuntur (*h*). l. 39.

12. In his rebus quas praeter numeratam pecuniam doti vir habet, dolum malum et culpam eum praestare oportere Servius ait. Ea sententia Publii Mucii est (*i*): nam is in Licinnia Gracchi uxore statuit, quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perissent, ait, quia Gracchi culpa ea seditio facta esset, Licinniae praestari oportere. l. 66. (6)

13. Dotis actione successores mariti super eo quod ei dotis nomine fuerat datum, convenire debes. Ingrediendi enim possessionem rerum dotalium (*k*), haeredibus mariti non consentientibus, sine auctoritate competentis judicis nullam habes facultatem l. 9. C. *eod.*

(*) Uxor separata alienare non potest: at prescriptio contra ipsam currit, *quia est alienatio ex lege.* Insuper, mulier quae virum impetere non timuit, vereri nequit quod locum det actioni contra ipsum, cum ipsa praescriptionem interrumpet.

(5) » Se la dote sia in pericolo, la moglie può domandar la separazione de' beni » (*Leggi civ. art.* 1376)

(h) V. l. 36. *de dolo.* l. ult. §. 3. *de eo per quem factum erit.*

(i) V. l. 25. §. 4. *locati conducti.* l. 1. §. 25. *depositi vel contra.*

(6) » Il marito, riguardo a' beni dotali, è tenuto pei deterioramenti avvenuti per sua negligenza » (*Leggi civ. art.* 1375)

(k) L. 13, *quod metus causa.*

LIBER XXV.

TITULUS I.

De impensis in res dotales factis.

SUMMARIA.

1. *Impensae vel necessariae sunt, vel utiles, vel voluptariae.*
2. *Necessariae impensae sunt quas fieri necesse est.*
3. *Exempla necessariarum impensarum.*
4. *Impensae ad praesens cum fructibus compensantur. Tributa et stipendia sunt onera fructuum.*
5. *Amissis necessariis impensis vir tenetur.*
6. *Necessariae dotem minuunt, quae sunt necessariae ex earum genere aestimandum.*
7. *Utiles sunt quae rem meliorem faciunt.*
8. *Voluptariae sunt quae exornant.*
9. *Utilium impensarum exactionem habet maritus.*
10. *Voluptarias si non reddantur tollere potest maritus, modo quod tollitur ejus futurum sit.*
11. *Modicarum impensarum ratio non habetur.*

1. IMpensarum quaedam sunt necessariae, quaedam utiles, quaedam (vero) voluptariae. l. 1.

2. *Necessariae* hae dicuntur, quae habent in se necessitatem impendendi: caeterum si nulla fuit necessitas, alio jure habentur. l. 1. §. 1.

3. Inter necessarias impensas esse Labeo ait, moles in mare vel flumen projestas: sed et si pistrinum vel horreum ne-

cessario factum sit (*a*), in necessariis impensis habendum ait. Proinde Fulcinius inquit: si aedificium ruens, quod habere mulieri utile erat, refecerit; aut si olivceta rejecta restauraverit; vel ex stipulatione damni infecti, ne committatur, praestiterit; vel si vites propagaverit, vel arbores curaverit, vel seminaria pro utilitate agri fecerit, necessarias impensas fecisse videbitur. l. 1. §. 3. l. 3. V. l. 4.

4. Nos generaliter definiemus multum interesse, ad perpetuam utilitatem agri, vel ad eam quae non ad praesentis temporis pertineat, an vero ad praesentis anni fructum (*): si in praesentis, cum fructibus hoc compensandum; si vero non fuit ad praesens tantum apta erogatio, necessariis impensis computandum. l. 3. §. 1. l. ult. V. l. 7. §. ult. ff. *sol. matr.*

Neque stipendium neque tributum, ob dotalem fundum praestita, exigere vir a muliere post: onus enim fructuum haec impendia sunt. l. 13 l. ult.

5. Et in totum, id videtur necessariis impensis contineri, quod si a marito omissum sit, judex tanti eum damnabit, quanti mulieris interfuerit eas impensas fieri. l. 4.

6. Necessariae impensae dotem minuut. l. 5. v. f. l. 56. §. 3. *de jure dot.*

Quod dicitur, *impensas quæ in res dotales necessario factæ sunt, dotem minuere*, ita interpretandum est, ut si quid extra tutelam necessariam in res dotales

(a) V. l. 79. §. 1. *de verborum significationibus.*

(*) Quid expensis factis ad agrum stercorandum? applicanda ad hunc casum est lex 42. §. 1. *soluto matrimonio.* Sumptus necessarios et utiles, compensatis fructibus perceptis, ad finem superflui servari convenit. l. 48. *de rei vindicatione.*

impensum est, id (est), in ea causa sit: unam erit res dotales vir suo sumptu debet (*b*). Alioquin quaevis modica aedificiorum dotalium refectio, et agrorum quoque cultura dotem minuent: omnia enim haec in specie necessariarum impensarum sunt. Sed ipsae res ita praestare intelliguntur, ut non tam impendas in eas, quam, deducto eo, minus ex his percepisse videaris. Quae autem impendia, secundum eam distinstionem, ex dote deduci debeant, non tam facile in universum definiri, quam per singula ex genere et magnitudine impendiorum aestimari possunt. l. 15.

7. *Utiles* impensae sunt, quas maritus utiliter fecit, remque meliorem uxoris fecerit, hoc est, dotem: veluti si novelletum in fundo factum sit, aut si in domo pistrinum aut tabernam adjecerit. l. 5. §. ult. l. 6.

8. *Voluptariae* impensae sunt, quas maritus ad voluptatem fecit, et quae species exornant. l. 7.

9. Utiles impensae non minuunt ipso jure dotem, veruntamen habent exactionem. l. 7. §. 1. v. f. *de fund. dot.* n. 6.

Cum necessariae quidem expensae dotis minuant quantitatem, utiles autem non aliter, in rei uxoriae actione detinebantur, nisi ex voluntate mulieris: non abs re est, si quidem mulieris voluntas intercedat, mandati actionem a nostra auctoritate marito contra uxorem indulgeri: quatenus possit per hanc quod utiliter impensum est adservari: vel si non intercedat mulieris voluntas, utiliter tamen res gesta est, negotiorum gestorum adversus eam sufficere actionem. l. un. §. 5. C. *de rei ux. act.*

(*b*) Debetque sumptus in lites impigre facere. Arg. l. 1. C. *de bonis maternis.* V. n. ult.

ne quidem furtum eam facere, ut Nerva, Cassio, quia societas vitae quodammodo dominam eam faceret (a): aliis (ut Sabino et Proculo) furto quidem eam facere sicuti filia patri faciat, sed furti non esse actionem constituto jure; in qua sententia et Julianus rectissime est. Nam in honorem matrimonii, turpis actio adversus uxorem negatur. l. 1. l. 2.

2. Non aequum est, invitum suo pretio res suas vendere. l. 9. v. l. 11. *de evict.* l. 12. *de religios.*

TITULUS III.

De agnoscendis et alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis.

SUMMARIA.

1. *Necat partum qui abjicit, qui non alit, qui exponit.*
2. *Alendi parentes a liberis, et liberi a parentibus.*
3. *Æs alienum patris exolvere filius non cogitur.*
4. *Patris officium non matris alimenta liberis praestare.*
5. *Patri, non avo materno liberorum onus incumbit.*
6. *Liberorum et parentum mutuum onus, ut se invicem alant, si qui egent.*

1. Necare videtur non tantum is qui partum perfocat, sed et is qui abjicit; et qui alimonia denegat; et is qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet (*) l. 4.

(a) V. l. 51. *pro socio.*

(*) *Lex* 1. §. ult. *lex* 2. *et lex* 3. *habent*: Si judex pronuntiaverit quod ex eo praegnans sit, in ea causa est quod agnosci debeat sive filius fuit, sive non fuit. In omnibus causis quare et fratribus suis consanguineus erit; sive contra pronuntiari non esse suum, placet ejus rei judicem jus facere. V. l. 25. *de statu hominum*. l. 11. *de justitia et jura* 3. *de collusione detegenda.*

2. Si quis a liberis ali desideret, vel (si) liberi, ut a parente exibeantur, judex de ea re cognoscet. l. 5.

Utrum autem tantum patrem, avumque paternum, proavumque paterni avi patrem, caeterosque virilis sexus parentes (alere cogamur), an vero etiam matrem caeterosque parentes (et) per illum sexum [illegible] tes cogamur alere, videndum? Et magis est que se judex interponat, quorundam necess cilius succursurus, quorumdam aegritudini: aequitate haec res descendat, caritateque sanguinis, singulorum desideria perpendere judicem oportet. Idem in liberis quoque exhibendis a parentibus dicendum est. Ergo et matrem cogemus, praesertim vulgo quaesitos liberos alere; nec non ipsos eam. l. 5. §. 2. 3. et 4.

Non tantum alimenta, verum etiam caetera (*) quoque onera liberorum patrem ab judice cogi praebere, rescriptis continetur. d. l. §. 12. (1)

Alimenta autem pro modo facultatum erunt praebenda egentibus. d. l. §. 19. (2)

Iniquissimum quis merito dixerit patrem egere, cum filius sit in facultatibus (*a*). l. 5. §. 13.

(*) *Lex* §. 17. *habet.* Item rescriptum est heredes filii ad ea prestanda que vivus filius ex officio pietatis sue dabit invitos cogi non oportere, nisi in summam egestatem pater deductus est. *At tunc exhibebunt pro necessitate solum, non pro qualitate.* Dargentrè.

(1) « I conjugi contraggono col solo fatto del matrimonio l' obbligazione di nutrire, mantenere ed educare i loro figli » (*Leggi civ. art.* 193).

(2) « Gli alimenti non saranno accordati, se non in proporzione del bisogno di chi li domanda, e delle sostanze di chi li dee somministrare » (*Leggi civ. art.* 198).

(a) L. 1. §. 4. *de tutela et rationibus distrahendis.*

Filia tua non solum reverentiam, sed etiam subsidium vitae ut exhibeat tibi, rectoris provinciae auctoritate compelletur. l. 5. C. *de patr. pot.*

Ipsum autem filium vel filiam, filios vel filias, et deinceps alere patri necesse est, non propter haereditatem, sed propter ipsam naturam, et leges quae ea parentibus alendos esse liberos imperaverunt, et ab ipsis liberis parentes, si inopia ex utraque parte vertitur. l. ult. §. 5. C. *de bon. quae lib.*

V. tot. tit. C. *de alend. lib. ac parent.*

3. Parens quamvis ali a filio ratione naturali debeat, tamen aes alienum ejus non esse cogendum exolvere filium rescriptum est (*b*). d. l. 5. §. 16. v. Nov. 115. c. 3. §. 8. (3)

4. Si mater alimenta quae fecit in filium, a patre repetat, cum modo eam audiendam: ita Divus Marcus rescripsit Antoniae Montanae in haec verba; ***sed et quantum tibi alimentorum nomine*** (*c*), ***quibus necessario filiam tuam exhibuisti, a patre ejus praestari oporteat, Judices aestimabunt*** (*d*): ***nec impetrare debes ea quae exigente materno affectu, in filiam tuam erogatura esses, etiamsi a patre suo educeretur.*** d. l. 5. §. 14. (4)

5. Non quemadmodum masculorum liberorum nostrorum liberi ad nostrum onus pertinent, ita et in foeminis est: nam manifestum est, id quod filia parit, non

(b) Puto tamen filium, licet non haeredem, patris teneri solvere sumptus medicorum in extremo morbo factos ratione humanitatis.

(3) « Il figlio non ha azione contra il padre e la madre per obbligarli a fargli uno stabilimento per qualunque titolo. — La figlia ha diritto di esser dotata dal padre; in difetto, dall' avo paterno; quindi dalla madre » (*Leggi civ. art.* 194).

(c) V. *de devortiis et repudiis*, n. 2.

(d) L. 34. *de negotiis gestis.*

(4) Vedi la nota seguente.

avo, sed patri suo esse oneri; nisi pater aut non sit superstes, aut egens est. l. 8. (5)

6. Quod de alendis matre et filiis indigentibus definivimus, hoc quoque in omnibus ascendentibus, descententibusque personis utriusq[illegible] cipimus (*) Nov. 117. c. 7. in

TITULU[illegible]

De inspiciendo ventre, custodiendoque partu.

SUMMARIA.

1. *Partus in utero portio matris est.*

1. Partus antequam edatur mulieris est, vel viscerum. l. 1. §. 1.

TITULUS V. *Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur.*

TITULUS VI.

Si mulier ventris nomine in possessione, calumniae causa, esse dicatur.

SUMMARIA.

1. *Inter alios acta nec prosunt, nec nocent.*

1. Alteri nec prodest nec nocet jusjurandum inter alios factum. l. 1.

TITULUS VII. *De concubinis.*

(5) « Il padre è tenuto in primo luogo di nutrire e mantenere i figli, quindi l' avo o proavo paterno, ed in sussidio la madre. » (*Leggi civ. art.* 193).

(*) *Lex ultima C. de alendis liberis ac parentibus ait*, Si: patrem tuum officio debito promerueris, paternam pietatem tibi non denegabit, aut judex compellet.

(6) « Le obbligazioni risultanti da queste disposizioni sono reciproche » (*Leggi civ. art.* 196).

INDEX TITULORUM

N. B. Tituli, qui litteris *italicis* hic notantur, nullam habent in libro materiam; sed tantum non interruptam ostendunt suorum seriem, quae in Pandectis.

LIBER PRIMUS

Titulus		pag.
I.	De justitia et jure	7
II.	De origine juris, et omnium magistratuum, et successione prudentium	9
III.	De legibus senatusque consultis, et longa consuetudine	10
IV.	De constitutionibus principum	16
V.	De statu hominum	18
VI.	De his qui sui vel alieni juris sunt	22
VII.	De adoptionibus, et emancipationibus, et aliis modis quibus potestas solvitur	25
VIII.	De divisione rerum et qualitate	26
IX.	De senatoribus	28
X.	*De officio consulis*	
XI.	De officio praefecti praetorio	31
XII.	De officio praefecti urbis	*ibid.*
XIII.	*De officio quaestoris*	
XIV.	De officio praetorum	32
XV.	De officio praefecti vigilum	*ibid.*
XVI.	De officio proconsulis et legati	33
XVII.	*De officio praefecti augustalis*	
XVIII.	De officio praesidis	35
XIX.	*De officio procuratoris Caesaris, vel rationalis*	
XX.	*De officio juridici*	
XXI.	De officio ejus cui mandata est jurisdictio	39
XXII.	De officio adsessorum	40

LIBER II.

Titulus		pag.
I.	De jurisdictione	41
II.	*Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur*	
III.	Si quis j	
IV.	De in ju	
V.	Si quis cum v . , q buerit, ...	46
VI.	*In jus vocati ut eant, aut satis, vel cautum dent*	
VII.	Ne quis eum qui in jus vocabitur, vi eximat	*ibid.*
VIII.	Qui satisdare cogantur, vel jurato promittant, vel suae promissioni committantur.	47
IX.	*Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caveatur*	
X.	De eo per quem factum erit quominus quis in judicio sistat	48
XI.	Si quis cautionibus in judicio sistendi causa factis non obtemperaverit	49
XII.	De feriis, et dilationibus, et diversis temporibus	51
XIII.	De edendo	52
XIV.	De pactis	53
XV.	De transactionibus	54

LIBER III.

Titulus		
I.	De postulando	72
II.	De his qui notantur infamia	75
III.	De procuratoribus, et defensoribus	77
IV.	Quod cujusque universitatis nomine, vel	

contra eam agatur 80
V. De negotiis gestis 82
VI. *De calumniatoribus* . . . .

LIBER IV.

titutionibus 91
gestum erit 93
. . . . 96
IV. De minoribus viginti quinque annis . . . 98
V. De capite minutis 116
VI. Ex quibus causis majores viginti quinque annis in integrum restituuntur 117
VII. De alienatione, judicii mutandi causa, facta. 121
VIII. De receptis qui arbitrium receperunt ut sententiam dicant 122
IX. Nautae, caupones, stabularii, ut recepta restituant 128

LIBER V.

TITULUS
I. De judiciis : et ubi quisque agere vel conveniri debeat 132
II. De inofficioso testamento 139
III. De hereditatis petitione 150
IV. Si pars hereditatis petatur 156
V. *De possessoria hereditatis petitione* . . . . . .
VI. *De fideicommissaria hereditatis petitione* . . .

LIBER VI.

TITULUS
I. De rei vindicatione 157
II. De Publiciana in rem actione 165
III. Si ager vectigalis, id est, emphiteuticarius, petatur 169

LIBER VII.

Titulus		pag.
I.	De usufructu, et quemadmodum quis utatur fruatur	168
II.	De usufructu adcrescendo	184
III.	Quando dies usufructus legati cedat.	185
IV.	Quibus modis ususfructus vel usus amittitur	186
V.	De usufructu earum rerum, quae usu consumuntur vel minuuntur.	188
VI.	Si ususfructus petetur, vel ad alium pertinere negetur	19
VII.	De operis servorum	191
VIII.	De usu et habitatione.	*ibid.*
IX.	Usufructuarius quemadmodum caveat	195

LIBER VIII.

Titulus		
I.	De servitutibus	197
II.	De servitutibus praediorum urbanorum.	199
III.	De servitutibus praediorum rusticorum	203
IV.	Communia praediorum, tam urbanorum, quam rusticorum	209
V.	Si servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.	212
VI.	Quemadmodum servitutes amittuntur	216

LIBER IX.

Titulus		
I.	Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.	219
II.	Ad legem Aquiliam.	221
III.	De his, qui effuderint vel dejecerint.	226
IV.	De noxalibus actionibus.	228

LIBER X.

Titulus		pag.
I.	Finium regundorum	229
II.	Familiae erciscundae	232
	vidundo	239
	ım	243

ER XI.

Titulus		
I.	De interrogationibus in jure faciendis, et interrogatoriis actionibus	245
II.	De quibus rebus ad eundem judicem eatur.	246
III.	De servo corrupto	247
IV.	De fugitivis	*ibid.*
V.	De aleatoribus	248
VI.	Si mensor falsum modum dixerit	249
VII.	De religiosis et sumptibus funerum, et ut funus ducere liceat	*ibid.*
VIII.	De mortuo inferendo, et sepulcro aedificando	253

LIBER XII.

Titulus		
I.	De rebus creditis, si certum petetur, et de condictione	254
II.	De jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali	259
III.	*De in litem jurando*	
IV.	De condictione causa data causa non secuta	266
V.	De condictione ob turpem vel injustam causam	*ibid.*
VI.	De condictione indebiti	268
VII.	De condictione sine causa	274

LIBER XIII.

TITULUS		pag.
I.	De condictione furtiva	276
II.	*De condictione ex legge*	
III.	De condictione triticiaria	ibid.
IV.	De eo, quod certo loco dari oportet	277
V.	De pecunia constituta	278
VI.	Commodati, vel contra	279
VII.	De pigneratitia actione, vel contra	287

LIBER IV.

TITULUS		
I.	De exercitoria actione	294
II.	De lege Rhodia de jactu	298
III.	De institoria actione	304
IV.	De tributoria actione	306
V.	Quod cum eo, qui in aliena potestate est (negotium) gestum esse dicetur	307
VI.	De senatus-consulto Macedoniano	308

LIBER XV.

TITULUS		
I.	De peculio	310
II.	*Quado de peculio actio annalis est*	
III.	De in rem verso	311
IV.	Quod jussu	312

LIBER XVI.

TITULUS		
I.	Ad senatum-consultum Vellejanum	313
II.	De compensationibus	ibid.
III.	Depositi, vel contra	317

LIBER XVII.

Titulus		pag.
I.	Mandati, vel contra	326
II.	Pro socio	339

RER XVIII.

	nda emptione, et de pactis in- ... emptorem et venditorem compositis; et quae res venire non possunt.	359
II.	De in diem addictione	372
III.	De legge commissoria	373
IV.	De hereditate, vel actione vendita.	374
V.	De rescindenda venditione, et quando licet ab emptione discedere	376
VI.	De periculo et commodo rei venditae	378
VII.	De servis exportandis; vel si ita mancipium venierit ut manumittatur vel contra	383

LIBER XIX.

Titulus		
I.	De actionibus empti et venditi	384
II.	Locati-conducti	397
III.	De estimatoria.	416
IV.	De rerum permutatione	*ibid.*
V.	De praescriptis verbis, et in factum actionibus	417

LIBER XX.

Titulus		
I.	De pignoribus et hypothecis: et qualiter ea contrahantur: et de pactis eorum.	419
II.	In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahitur	430

III. Quae res pignori vel hypothecae datae obligari non possunt 432
IV. Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur, et de his qui in priorum creditorum locum succedunt 434
V. De distractione pignorum et hypothecarum 444
VI. Quibus modis pignus vel hypotheca solvitur 445

LIBER XXI.

Titulus
I. De aedilitio edicto, et redhibitione, et quanti minoris 450
II. De evictionibus, et duplae stipulatione. . 456
III. *De exceptione rei venditae et traditae.* . . .

LIBER XXII.

Titulus
I. De usuris, et fructibus, et causis, et omnibus accessionibus, et mora 463
II. *De nautico foenore* . . . .
III. De probationibus et praesumtionibus . . . 470
IV. De fide instrumentorum, et amissione eorum 476
V. De testibus 480
VI. De juris et facti ignorantia 488

LIBER XXIII.

Titulus
I. De sponsalibus 493
II. De ritu nuptiarum 494
III. De jure dotium 497
IV. De pactis dotalibus 512
V. De fundo dotali 513

LIBER XXIV.

Titulus		pag.
I.	De donationibus inter virum et uxorem. .	517
II.	De divortiis et repudiis.	520
III.	Soluto matrimonio dos quemadmodum pe-	ivi
I.	De impensis in res dotales factis	527
II.	De actione rerum amotarum	530
III.	De agnoscendis et alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis . .	531
IV.	De inspiciendo ventre, custodiendoque partu	534
V.	*Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicetur*	
VI.	Si mulier ventris nomine in possessione calumniae causa esse dicetur	ivi
VII.	*De concubinis*	


NAPOLI





